ELIAE REUSNERI, ... HORTULUS HISTORICO-POLITICUS CORONAS SEX...

Elias Reusner, Abraham : de La Faye




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
23 A
10


ELIÆ REVSNERI, HISTORICI SVMMI,

HORTVLVS HISTORICO-POLITICVS

CORONAS SEX EX FLORIBVS variis variegatas complectens;

ID EST,

LECTIONES HISTORICO-POLITICÆ, publicè in alma SALANA propositæ; Reipublicæ cuiusvis constitutionem, administrationem, conseruationemque explicantes, vsumque exemplis historicis demonstrantes; tam imperantibus quàm obtemperantibus perutiles & necessariæ.




Curâ & studio

ABRAHAMI DE LA FAYE Gr. BER. *tum temporis Illustrissimorum* SAXONIÆ DVCVM, *Winariensis lineæ florentissimæ, domestici, operosè conscriptæ: postquam verò sæpiùs expetitæ & desideratæ, de consilio virorum magni nominis juris publici factæ, & in demissæ obseruantiæ monumentum,* inclyto *ac* illustri Senatui populoq; *vulg* Ducentis *appellato, præpotentis* Reipubl. Bernensis, *dicatæ & consecratæ.*



Herbornæ Nassoviorum. 1618.



ILLVSTRI SENATVI PO-
puloq; Inclyto (Ducentis appellato) præpotentis Reipublicæ BERNENSIS,

S. P. D.

ABRAHAMVS DE LA FAYE.



LLVSTRES SENATORES, T[illegible] que popule inclyte Bernensis Rei[illegible]blicæ, Magnifice & Clementissim[illegible] Certum est Rerumpublicarum sa[illegible]tem, & felicitatem non solùm ex lege, vel sub[illegible]tis obtemperantibus, sed ex bonis & salutaril[illegible] Reipublicæ moderatoribus, qui nec ipsi à rat[illegible]nis semita deflectant, nec alios deflectere pati[illegible]tur, dependêre: His Reipublicæ capitibus sal[illegible] eius quoque membra salua: hoc, inquam, R[illegible]publicæ fulcro, & sustentaculo integro, inte[illegible] consistit ipsa Respublica. Etenim quemad[illegible]dum gubernatori cursus secundus, medico sa[illegible] Imperatori victoria, sic Reipublicæ modera[illegible]ribus beata civium subditorumque vita pro[illegible]sita esse debet, vt non solùm opibus firma, co[illegible] locuples, gloriâ ampla, sed & virtute sit hone[illegible] & inprimis religione sancta: vt in cælestis [illegible]ctrinæ veritate absque errore edocti, Deo su[illegible]mâ fide & pietate seruiant, veramque eius ju[illegible]


tiam strenuè colant, & tutò exerceant: hoc stabilis Reipublicæ regiminis quasi solidissimo & firmissimo fundamento, certè collocato, cætera omnia quæ superstructa fuerint, firmiter constabunt. Huiusmodi salutares Reipublicæ moderatores in sacris celebrantur Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias: qui non solùm ornamentis, quibus aliâs salutares Reipublicæ moderatores, vtpote virtute, prudentiâ, maiestate, clementiâ, & beneuolentiâ præditi; verùm ipsi diuinam veritatem magno ardore atq; studio complexi fuere, & etiam subditis eam castam & sartam tectam conseruarunt.

Horum laudatissimum exemplum pio zelo æmulati sunt superioribus seculis maiores vestri, qui pro libertate patriæ & ecclesiæ, forti inuictoq; animo depugnarunt, falsosq; deorum cultus & superstitiones funditus extirparunt; *Rempublicam Bernensem*, immunem, liberam potentemq; reddiderunt; *Priuilegiis* omnino illustrissimis fortitudine suâ ditarunt, famamq; sempiternam de se posteritati æmulandam, vti facitis, reliquerunt; Inde etiam felix quoq; & beata vestra administratio hactenus fuit & manebit, viuetq; in animis bonorum omnium nominis vestri immortalis gloria: quæ nullâ hominum obliuione aut reticētiâ obscurabitur, dum ad suum finem & scopum florentissimam & fortunatissimam Rempublicam vestram administrare conabimini.

nabimini. Etenim cùm præſitis hominib. hominum causâ, nec ſolùm domini & arbitri rerum, verùm etiam tutores & adminiſtratores ſitis, in Republica non tantùm de Republica cogitandum, ſed vt hominibus, ſubditis à Deo vobis datis, profitis, neceſſum eſſe ſciatis. Sicut enim ſidera ſplendorem, vt vſibus mortalium deſerviant, ſic Rempublicam adminiſtrantes, authoritatem cum munere officioq; deuinctam habere quàm probé meminiſtis; Collatos quoq; eſſe ſubditos in ſinum protectionis veſtræ, vt foueatis & quæ eorum ſunt, protegatis, ſuſcipiatis. Quæ cùm ita ſint, atq; exemplis tam ſacris, quàm prophanis, id lucidiùs demonſtrare poſſem, niſi auribus veſtris parcere conſtituiſſem, ſpero vos illis qui ſtudio Reipublicæ adminiſtrationem docenti, & exemplis hiſtoricis demonſtranti, deque iis qui virum Reipublicæ natum formant, & erudiunt, vt bonus & ſalutaris Reipublicæ fiat, proponenti, incumbunt, fauturos, eorumq; lucubrationes gratas habituros: Qua de cauſa eò audacior vos alloquor & compello, rogitans, vt *Hortulum hunc floribus variis coronatum*, ſiue *Lectiones Hiſtorico-Politicas*, cuiusuis Reipublicæ conſtitutionē, adminiſtrationem & conſeruationem, conuerſionemq; explicantes, iam olim in alma Saxoniæ Ducum Salana unicè, in vſum Illuſtris, Nobiliſſimæque veſtræq; Reipublicæ Iuuentutis à me operosè collectas, conſcriptas, iam verò de

consilio virorum magni nominis juris publici factas, vestro Nomini, vtilitati & vsui, in demissæ obseruantiæ monumentum à me, ob memoriam beneuolentiæ à nonnullis vestri Senatus & *Consilii* magni exhibitæ, consecratas & à me venerabundo dicatas, suscipiatis, accipiatis. Quod si munus hoc hac ipsâ scriptione censeatis, tenuissimum fore fateri cogat: si verò benigno animo, satis amplum: si rei dignitate, acceptum gratumq́; erit. Etenim munus hoc meum vestri causâ comparatum, amplissimum & inclytum quod sustinetis, dilucidè explicat, quamq́ue arduum sit, demonstrat. Vnicum ergo superest. *Illustris Senatus Populeq́ inclyte* & præpotens: voti nempe mei summam cum *Hortulo* muneris loco oblatam perclementer excipiatis, quod facturos mihi persuasum non solùm habeo, sed manus etiam auxiliatrices benignè porrecturos, spero & expecto, Deum Rerumpubl. moderatorem primum, Regumq́, Regem, & Principum Principem, ex intimis cordis penetralibus orans & flagitans, ut is in omni felicitate, nunquam interiturâ ad tutelam & salutem territori vestrii tam Germanici quàm Gallici, longævos, & sub optimis patribus Patriæ, optimam Patriam, statumq́; i. e. desideratam tranquillitatem subditi viuere possint, conseruet, ita vt inclyti & invicti sitis, felicitasque illustris & præpotentis Reipublicæ Bernensis illæsa remaneat.

Dabantur Jenæ, Calendis Iunii, 1618.



FLORUM HORTULI POLITICO-HISTORICI

Corona Prima.

De Regnorum & Imperiorum & Rerumpublicarum acquisitione, conservatione, administratione, vigore, ruinâ, interitu.

F L O S I.

Corona ſecunda.

De Regum & Principum dignitate & officio, eorundemq; in Tyrannos degenerantium naturâ & interitu.

7. Sit

Corona tertia.

De Regum & Principum consiliariis, & legatis, cæterisq; administris, & magistratibus inferioribus.

Corona quarta.

De subditis, & ministris aulicis.


Corona quinta.


Conjugibus, parentibus, liberis, fratribus, cæterisq; cognatis consecrata.

2. Vir

Corona sexta, sc. Martia.

De bellorum auspiciis, progressu & successu &c.






ILLVSTRI SENATVI POpuloq; Inclyto (Ducentis appellato) præpotentis Reipublicæ BERNENSIS,

S. P. D.

ABRAHAMVS DE LA FAYE.



ILLVSTRES SENATORES, Tuque popule inclyte Bernensis Reipublicæ, Magnifice & Clementissime: Certum est Rerumpublicarum salutem, & felicitatem non solùm ex lege, vel subditis obtemperantibus, sed ex bonis & salutaribus Reipublicæ moderatoribus, qui nec ipsi à rationis semita deflectant, nec alios deflectere patiantur, dependêre: His Reipublicæ capitibus saluis, eius quoque membra salua: hoc, inquam, Reipublicæ fulcro, & sustentaculo integro, integra consistit ipsa Respublica. Etenim quemadmodum gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria, sic Reipublicæ moderatoribus beata civium subditorumque vita proposita esse debet, vt non solùm opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, sed & virtute sit honesta, & inprimis religione sancta: vt in cælestis doctrinæ veritate absque errore edocti, Deo summâ fide & pietate seruiant, veramque eius justi-

tiam ſtrenuè colant,& tutò exerceant:hoc ſtabilis Reipublicæ regiminis quaſi ſolidiſſimo & firmiſſimo fundamento,certè collocato,cætera omnia quæ ſuperſtructa fuerint,firmiter conſtabunt. Huiusmodi ſalutares Reipublicæ moderatores in ſacris celebrantur Dauid,Salomon,Ezechias,Ioſias,qui non ſolùm ornamentis,quibus aliâs ſalutares Reipublicæ moderatores,vtpote virtute, prudentiâ,maieſtate, clementiâ,& beneuolentiâ præditi; verùm ipſi diuinam veritatem magno ardore atq; ſtudio complexi fuere, & etiam ſubditis eam caſtam & ſartam tectam conſeruarunt.

Horum laudatiſſimum exemplum pio zelo æmulati ſunt ſuperioribus ſeculis maiores veſtri, qui pro libertate patriæ & eccleſiæ, forti inuictoq; animo depugnarunt,falſosq; deorum cultus & ſuperſtitiones funditus extirparunt; *Rempublicam Bernenſem*,immunem,liberam potentemq; reddiderunt; *Priuilegiis* omnino illuſtriſſimis fortitudine ſuâ ditarunt,famamq; ſempiternam de ſe poſteritati æmulandam,vti facitis, reliquerunt;Inde etiam felix quoq; & beata veſtra adminiſtratio hactenus fuit & manebit,viuetq; in animis bonorum omnium nominis veſtri immortalis gloria:quæ nullâ hominum obliuione aut reticẽtiâ obſcurabitur,dum ad ſuum finem & ſcopum florentiſſimam & fortunatiſſimam Rempublicam veſtram adminiſtrare conabimini.

nabimini. Etenim cùm præsitis hominib. hominum causâ, nec solùm domini & arbitri rerum, verùm etiam tutores & administratores sitis, in Republica non tantùm de Republica cogitandum, sed vt hominibus, subditis à Deo vobis datis, prositis, necessum esse sciatis. Sicut enim sidera splendorem, vt vsibus mortalium deseruiant, sic Rempublicam administrantes, authoritatem cum munere officioq; deuinctam habere quàm probè meministis; Collatos quoq; esse subditos in sinum protectionis vestræ, vt foueatis & quæ eorum sunt, protegatis, suscipiatis. Quæ cùm ita sint, atq; exemplis tam sacris, quàm prophanis, id lucidiùs demonstrare possem, nisi auribus vestris parcere constituissem, spero vos illis qui studio Reipublicæ administrationem docenti, & exemplis historicis demonstranti, deque iis qui virum Reipublicæ natum formant, & erudiunt, vt bonus & salutaris Reipublicæ fiat, proponenti, incumbunt, faututos, eorumq; lucubrationes gratas habituros: Qua de causa eò audacior vos alloquor & compello, rogitans, vt *Hortulum hunc floribus variis coronatum*, siue *Lectiones Historico-Politicas*, cuiusuis Reipublicæ constitutionẽ, administrationem & conseruationem, conuersionemq; explicantes, iam olim in alma Saxoniæ Ducum Salana unicè, in vsum Illustris, Nobilissimæque vestræq; Reipublicæ Iuuentutis à me operosè collectas, conscriptas, iam verò de

consilio virorum magni nominis juris publici factas, vestro Nomini, vtilitati & vsui, in demissæ obseruantiæ monumentum à me, ob memoriam beneuolentiæ à nonnullis vestri Senatus & *Consilii* magni exhibitæ, consecratas & à me venerabundo dicatas, suscipiatis, accipiatis. Quod si munus hoc hac ipsâ scriptione censeatis, tenuissimum fore fateri cogar: si verò benigno animo, satis amplum: si rei dignitate, acceptum gratumq; erit. Etenim munus hoc meum vestri causâ comparatum, amplissimum & inclytum quod sustinetis, dilucidè explicat, quamque arduum sit, demonstrat. Vnicum ergo superest. *Illustris Senatus Populeq; inclyte* & præpotens: voti nempe mei summam cum *Hortulo* muneris loco oblatam perclementer excipiatis, quod facturos mihi persuasum non solùm habeo, sed manus etiam auxiliatrices benignè porrecturos, spero & expecto, Deum Rerumpubl. moderatorem primum, Regumq́, Regem, & Principum Principem, ex intimis cordis penetralibus orans & flagitans, ut is in omni felicitate, nunquam interiturâ ad tutelam & salutem territori vestrii tam Germanici quàm Gallici, longævos, & sub optimis patribus Patriæ, optimam Patriam, statumq; i. e. desideratam tranquillitatem subditi viuere possint, conseruet, ita vt inclyti & invicti sitis, felicitasque illustris & præpotentis Reipublicæ Bernensis illæsa remaneat.

Dabantur Jenæ, Calendis Iunii, 1618.



FLORUM HORTULI POLITICO-HISTORICI

Corona Prima.

De Regnorum & Imperiorum & Rerumpublicarum acquisitione, conservatione, administratione, vigore, ruinâ, interitu.

FLOS I.

Corona ſecunda.

De Regum & Principum dignitate & officio, eorundemq; in Tyrannos degenerantium naturâ & interitu.

Corona tertia.

De Regum & Principum consiliariis, & legatis, cæterisq; administris, & magistratibus inferioribus.

Corona quarta.

De subditis, & ministris aulicis.


Corona quinta.

Conjugibus, parentibus, liberis, fratribus, cæterisq́; cognatis consecrata.

2. Vir

Corona sexta, sc. Martia.

De bellorum auspiciis, progressu & successu &c.



FLORUM HORTULI POLITICO-HISTORICI

Corona prima.

De Regnorum, Imperiorum & Rerumpublicarum acquisitione, conservatione, administratione, vigore, ruinâ, interitu.

FLOS I.

A DEO Imperia.

FUIT initiò ante diluvium mitissima dominatio; & planè paterna, majorum in minores potestas, quæ in pœnis infligendis, sacrorum, consortii; & forsan, bonorum quoque exheredationem, non excedebat. Postea verò crescente hominum multitudine cùm simul malitia cresceret, & summa scelerum flagitiorumque impunitas; novo Deus

præsidio humanam societatem munivit, excitato NIMRODO viro audace & strenuo, qui violentum Imperiũ primus arripuit, & vi à subditis extorsit obedientiam, publicis legibus propositis, & judiciis atq; pœnis constitutis. Unde quoq; sermone multitudinis venator coram Domino audiit; sive quòd dominator esset violentus atq; injurius; qui homines domesticis tantùm, paternisque imperiis antehac assuetos, ceu feras bestias, in suam ditionem potestatemq; redegisset; sive quòd primus esset Rex, à Deo tanto robore, fortunâ & authoritate armatus; ut formam Imperii legibus & præsidiis constituere, & sontes atq; rebelles vi ad pœnas trahere posset. Ex quo non solùm in admirationem traduxit homines; sed tantum quoque eis injecit terrorem, ut & pro terreno quodam numine haberetur. Hujus exemplum mox aliarum familiarum Principes certatim secuti; quilibet in suos regio uti imperio, quàm propriâ potestate maluit.

Hinc videre est, Imperia & regna mundi, quamvis primitus vi sint extorta, non sponte exorta, non tamen esse latrocinia; sed singulari Dei consilio constituta: & quantum ordinis politici in hac naturæ humanæ confusione manet, ab ipso adhuc verè & efficaciter conservari; non secus, atque idem stellarum motus, quos suo consilio semel ordinavit, adhuc potentiâ suâ conservat. Cujus profectò patrocinio & protectione si desti-

destitueremur, jam pridem honestam societatem Diabolus in universum dissipasset.

Deum autem conservatorem esse Imperiorum, & totius ordinis politici, manifestò ipso ostendit effectu; quippe qui homicidas & seditiosos ex magistratuum manibus elapsos mirabiliter ad pœnas retrahit: qui item nonnullis gubernatoribus ad constituenda & mutanda Imperia heroicos addidit impetus, qui omnes naturæ vires longè superant. Sic nimirum contra Julium Cæsarem, quem regnare & ad Monarchiam Romanam Augusto Cæsari viam sternere fatum volebat; nulla nec prudentia Pompeji, nec S.P.Q. Romani potentia, nec denique fraus Ægyptiorum valuit: qui denique terribilium Imperatorum impetus tyrannicos sępe frangit, ne possint ultra terminum præfixum progredi; juxta illud Salomonis Prov. 21. *Sicut rivuli aquarum, ita cor Regis in manu Domini: qui, quocunque vult, id inclinat.* Sic nimirum tertio secundi belli Punici anno post Cannensem cladem Romanis funestissimam, Hannibali non dedit Deus impetum & animum, ut Romā caperet, cùm in promptu jam esset optatissima urbis invadendæ & expugnandæ occasio; anno verò belli octavo dedit quidem animum, sed eventum aliter gubernavit. Non enim Carthagini, sed Romæ ex Danielis vaticinio divinitus destinata erat quarta Monarchia, ideoque Dei hoc decretum impedire

non potuit ulla humana ſapientia & potentia.

Quod enim DEUS *decrevit, non poteſt ab hominibus mutari*; ut veriſſimè apud Herodotum inquit Mardonius: Nempe Dei Imperium (ut poſt amiſſionem regni ad ſaniorem mentem reverſus apud Danielem c.4. ipſe fatetur Nabuchodonoſor) ſempiternum eſt Imperium, & regnum ejus tale, quod non corrumpitur; qui arbitratu ſuo & cælorum exercitu, & terræ incolis utitur; qui regnum, cui vult, dat: nec quiſquam eſt qui manum ejus impediat, aut ab eo facti rationem exigat.

Sic & ſuperioribus ſeculis in maxima illa & confuſiſſima interregni anarchia, Italiâ inteſtinis disſidiis & ſeditionibus flagrante, Germania ex veteribus odiis, noviſque motib. dubio flatu fluctuante, cunctiſque rebus ubique ad triſtem ruinam ſpectantibus, DEUS Principum Electorũm animos impulit, ut multis aliis prętęritis uni Rudolpho Habsburgenſi Imperii gubernacula committerent, & ipſum Rudolphũ, quanquam pleriſq; aliis inferiorem opibus, authoritate, viribus, animi tamen quadam magnitudine incitatum confirmavit, ne onus difficillimæ & periculoſiſſimæ gubernationis recuſaret. Affectabat tunc Imperium ambitioſo pariter ac minaci conatu Otocarus Bohemus, empto Ottonis Brandeburgici ſuffragio, & nonnullis inter cæteros Ordines

Ordines pecuniâ expugnatis; & præterea in ſenatu Septemvirûm tunc disputabatur de nonnullis aliis, quorum aliquos opum ſplendor, aliquos rerum præclarè geſtarum fama, aliquos ſapientiæ opinio, authoritatisque reſpectus commendabat, ſed Rudolphi fatum vicit. *Fato ergo poteſtates dantur*, inquit Aurelius Victor: *nec eſt poteſtas, niſi à Deo*, teſte Apoſtolo ad Rom. 13.

Quòd ſi poteſtates à Deo ſunt; quantò magis regna, à quibus reliquæ poteſtates progrediuntur. Si autem regna diverſa, quantò æquius regnum aliquod maximum, cui reliquorũ regnorum poteſtas univerſa ſubjicitur; ut in hunc modum eleganter argumentatur Paulus Oroſius lib. 2. Hiſt cap. 1.

Hoc floſculo monentur Reges & Principes, Rempublicam non eſſe ſuam, ſed ſe eſſe Reipub. Nec quicquam ipſis ipſorúmve adminiſtris tentandum fiduciâ propriarum virium: ſed potiùs cogitandum, quòd venentur coram Deo; ideoq; veluti rationẽ Deo aliquando reddituros, torno, amuſſi & gnomone (ut eſt in verſibus Theognidis) rectiores eſſe oportere.

Porrò, quòd Magiſtratus politicus ordinatio eſt divina, cui qui reſiſtit, Deo reſiſtit, teſte apoſtolo ad Rom. 13. Ideo & ſubditorum mentibus ſapientiſſimum illud Salomonis pręceptum Proverb. 24. ſemper obverſari debet; *Deum time, & Regem honora*: nec cum ſeditioſis miſceare, quorum repentinus eſt interitus.

Flos II.

Regnum virtute parandum.

De Philippo Macedonum rege memorat Plutarchus in apoph. quòd Alexandrum filium, conquestū de numerosiore sobole ex pluribus ipsius mulieribus, his verbis ad virtutem extimulaverit: Ergo cùm plures habeas regni competitores, da operam, ut honestus ac probus evadas, ne per me, sed per teipsum regnum obtinuisse videaris. Innuere nempe voluit vir prudentiâ verè regiâ præditus, ipsi non aliter sperandum regnum paternum, nisi se successione dignum præbeat: nec tam magnum esse, regnum adipisci, quàm regnum promeruisse. Et profectò terminum justi regiminis difficillimè sortitur, quod malo principio est inchoatum. Cùm enim ea natura sit potestatis, ut etiam optimum quemq; in deterius mutet, impossibile quodammodo fuerit, ut qui fraude, vi, aut largitionibus potentiam sibi quæsivit; eam postea justitiâ, clementiâ, liberalitate, aliisq; bonis artib. tueatur. Et principatus scelere quęsitus, non potest subitâ modestiâ & priscâ gravitate retineri, ut scribit Tacitus lib. 1. Historiarum.

Exemplo sit Domitianus, qui (*anno Christi 80*) Vespasiano patre defuncto, jactitans relictū se Principem Imperii, sed fraudem testamento adhi-

adhibitam, nõ cessavit fratri Tito insidias struere clam palamque, quoad correptum gravi valetudine, priùs, quàm planè efflaret animam, pro mortuo deseri sepelirió; jussit.

Imperio potitus tantæ fuit ab initio clementiæ, ut ab omni cæde abhorreret; cupiditatis atq; avaritiæ ne ullam quidem suspicionem haberet: deinde & privatus, & initio principat⁹ largissimè familiares suos prosecutus, abstinentię & liberalitatis aliquot experimenta dedit, quæ Suetonius latè enarrat: verùm mox ad sævitiam conversus & libidinem, Neronem ipsum superasse visus est.

Nullum præterea regnum scelere partum esse diuturnum, testis est Didius Julianus, qui (*anno Christi 193.*) Imperiũ à militib. sestertiis 25. mercatus, ærarium cùm expilaret, post tertium mensem Imperio abrogato est obtruncatus. Testis Decius, qui (*anno Christi 252*) Philippi cæde Imperium invasit; altero regni anno voragine palustri absorptus in Mœsia. Testis Heracleonas, qui (*anno Christi 641.*) Constantino fratre consanguineo sublato, cum matre Martinâ Imperium arripuit; à senatu, populoq; Constantinopolitano naso mutilatus, in exiliũ relegatus quarto regni mense. Testis (ut alios innumeros prætereamus) Richardus Clocestriensis dux (in Anglia) ab excessu fratris Eduvvardi Quarti regis Anglię filiorum ipsius tutor relictus, quib. in carcerem conjectis, ut regnũ liberiùs occuparet, Hastyngium

in procerum concilio indictâ causâ securi percussit. Ipse vi regno occupato, Eduvvardum & Richardum fratris sui filios (anno Christi 1485) in carcere necari curavit, sed biennio vix exacto, ab Henrico VII. regno & vitâ exutus sepulturæ honore caruit: quippe cujus cadaver nudũ dorso equi impositum artubus utrinque dependentib. Lacæstriam sine honore est delatum; ut autor est Polydorus l.25.

Quid? quòd cruentâ plerosq; morte interiisse, qui ad regiam vel imperatoriam potestatem non ritè pervenerunt, omnium gentium & seculorum loquuntur historiæ. Notum hoc ex exemplis modò allatis; notum ex Attaliæ reginæ internecione; notum ex perpetuis regum Israëliticorum laniénis & conspirationibus; illis rapientibus regnum, qui vi & armis plurimùm poterant; notum deniq; (ne plerorumque monstrorum, quæ vel ad clavũ Imperii Rom. vel aliorum regnorum olim sederunt, tragicos casus recenseamus) ex longissimo illo viginti octo annorum interregno inter Frid. secundum & Rudolphum Habsburgium. Nimirum contra Fridericum secundum Imperatorem, ejusq; filiũ Conradum ab Innocentio Papa excitatus, & à quibusdam Imperii proceribus Cæsar electus, Henricus Landgrav. Thuringiæ, cum hoc ob Imperium confligens in obsidione Ulmę sagittâ ictus oppetiit. Contra eosdem eodem hoc anno electus

Wil-

Wilhelmus Comes Holandiæ, à Conrado profligatus, in inferiori Germania delituit: bonis tandem omnibus exutus privatam vitã arripiens in Frisia à dispositis insidiis circumventus confoditur (*anno Christi 1253. 22. Maji.*) Anno ab hujus cæde quinto diversis Electorum votis Imperatores creantur Richardus Anglus, & Alphonsus Hispanus, quorũ ille præsens mox Imperium à Moguntino, Coloniense & Palatino, quorum suffragia emerat, accepit, in quo se cõfirmaturus vi potiùs quàm benevolentiâ, dissoluto fœdere principum & pace publicâ perturbatâ, in illorum agros, qui à cæteris in electione dissenserant, igne & rapinis sæviens multum dedit damni. Verùm, ut violentum nullum diuturnum, ita citò exhaustus pecuniâ, quam largitionibus immodicis in suffragiorum emptionem profuderat, & tandem à suis quoq; spretus atq; desertus, desperatione in Angliam rediit ad Henricum fratrem, bella cum subditis gerentẽ; ubi obsidione Bargenstedi oppidi sagittâ trajectus periit (*anno Christi 1272.*) Alphonsus Castellæ rex, ad quem factio adversa legatos miserat, qui in Germaniã adducerent, dum cunctatur philosophicâ quadam moderatione, seu potiùs timiditate, discordias reformidans, quib. tunc Germania & Italia flagrabant, Imperium foris, regnũ domi amisit: dejectus à spe consequendi Imperium novis Principum cõsiliis, paterno verò regno exutus à

filio Sanctio; Hispalin ergo conversus mœrore contabuit.

Hæc & hujus farinæ alia futuro Regi calcar addere debent, ut à primis statim ætatis incunabulis animum suum in Virtutis templo salutaribus imbui patiatur opinionibus, optimamq; imperitandi artem unà cum lacte materno imbibat, virtutiq;, quæ verè unica illa & certissima Rerumpub. norma est, quæq; vel maximè subditos allicit ad diligendum ipsum, per totam vitam intensissimè studeat, inq; ejus cursu ita progrediatur, ut, quicquid tandem agendum suscipiat, non semel tantùm aut bis (nam, ut vetus monet proverbium, *una hirundo non facit ver*) sed semper idem benè & generosè agendi propositum teneat. Sic ille non solùm, juxta Homericum illud, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, h.e. præ aliis dignus erit, cui fasces Imperii committantur, sed & ipsam Rempublicam pace, tutelâ, honore, omniumq; rerum abundantiâ beabit.

FLOS III.

Regnum absq; gravissimâ causâ à stirpe non amovendum.

IN regnis à constitutis patriis & Legib. non discedendum, nisi extrema cogat necessitas. Electio itaque si invaluit, ut in Imperio Romano, suc-

ſucceſſio non quærenda. Sin verò ſucceſſio invaluit,ut in plerisq; regnis & principum familiis, electio nequaquam eſt introducenda. Omnis n. Reipublicæ, quæ utcunq; tolerari poteſt, mutatio inceptu difficilis eſt & ardua, progreſſu anceps & incerta, exitu verò infelix & calamitoſa. Et quanquam magna omnino electionis ſint commoda,utpote quæ optimum quemque Imperioq́; digniſſimũ invenit,& in qua minùs periclitatur Reipubl. libertas,& plus benevolentiæ eſt in ſubditos, minus onerum & expilationum; non tamen minoris, forſan etiam majoris ſunt ponderis, quæ ſucceſſionem ſuadet. Ut enim de ſucceſſione in regibus ab ipſo Deo approbatâ nihil dicamus; non rarò fortes creantur fortibus & bonis,& parentum virtus unà cum ſemine in ſobolem transfunditur; ipſi quoq; Reges regnũ, quod norunt eſſe ſuum ſuorumq́;, dexteriùs adminiſtrant; nec patrimonium Imperii, quod ad liberos devolutum illi ſciunt, facilè profundunt, ipſe denique populus libentiùs conſueto, quàm novo Domino obtemperat. Quibus commodis & hoc addimus, quòd in regno ſucceſſivo omnia ſint quieta, regna verò cõfuſis ſuffragiis collata, rapinis ſint expoſita & latrociniis: Unde vaſtationes agrorum, direptiones urbium, competitorum mutuæ cædes & lanienæ, diminutio juriũ majeſtatis & infinita alia mala atq; ſcelera. Satis ſuperque hoc teſtatur Interregnum illud quod

inter Friderici secundi & Rudolphi Habsburgensis intercessit Imperium: testantur & aliorum Imperatorũ discordes electiones, & adhuc hisce in regionibus arcium ruinæ atque rudera, quæ latronum tunc longè lateque per Germaniam erant receptacula, deplorant.

Quia verò Regum filios à parentum sæpe degenerasse virtute, & regum Judaicorũ aliorumq; loquitur historia, & communis testatur experientia; ideo Reges & Principes memores, patriæ genitos esse educandos; ab ipsis statim incunabulis filios, quibus destinatum regnum, artibus cùm imperandi, tũ parendi sedulò instituendos curent. Utique enim, ut rectè M. Cicero scribit lib.3. de LL. *Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est; & qui modestè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse.*

FLOS IV.

Ad regni successionem, Imperiiq; majestatem non temere admittendæ fœminæ.

LEguntur sanè passim aliquot fœminarum exempla, quas in summo honoris, Imperiiq; gradu nationes quædam tulerunt; nequaquam tamen illas judicio & suffragio electas, sed nascendi sorte oblatas. Nec enim ullus unquam popu-

populus, ubi virorum quantulacunq; fuit copia, liberis existentibus suffragiis fœminas sibi præfecit. Nec immeritò. Primùm nempe reclamant sacræ literæ, quæ viris parére jubent fœminas, Gen 3. ad Ephes 5. Col. 3. & loco pœnæ gravissimæ denunciant muliebre imperium, Esa. cap. 3. Deinde ipsa quoque natura repugnat, quæ ἡγεμονικώτερον, magis ad imperandum aptum effecit marem in omni genere animantium, juxta Aristotelem lib. 1. Polit. c 4 & 8. Viris siquidem illa dedit prudentiam, animi magnitudinem, robur corporis, patientiam laboris, constantiam in adversis, placabilitatem in offensis, taciturnitatem in occultis, authoritatem in arduis, quæ omnia Reip. moderandæ summopere necessaria. At hæc in fœminis pauciora & parciora sunt omnia: nec nisi rarissima fœminarum nonnullarum in omni historia inveniuntur exempla, quæ naturã suam supergressæ ab ingenio, prudentiâ, doctrinâ, animi magnitudine præclarè instructæ, paratæque laudabiliter regnis suis præfuerunt. Harum è numero fuit Debora Jud. 4. Artemisia Cariæ regina à Xerxe in arcano consilio sæpe ad consultandum adhibita, teste Herodoto lib. 8. Irene, Leonis quarti Imperatoris Constantinopolitani relicta vidua; Margareta Daniæ, Noroëgiæ, & Suetiæ regina, quam tamen licet Dani in deorum numerum retulerint, Sueones apud inferos sempiterno excruciari supplicio putant;

ut author est Johannes Magirus lib.21. & Elisabeth, quæ nostro seculo ad annos fermè 47. regno Angliæ præfuit, fœmina præter multas corporis dotes supra sexum prudens, literisque & linguis multis expolita. In cæteris plerisq; mulieribus verum est Ciceronis illud pro Cluent. *Abundat mulier audaciâ, consilio & ratione destituitur.* Unde ex omnibus fœminis una Pallas Jovis cerebro nata matre caruit, ut est apud Lucianum in dial. Vulcani & Jovis, ut intelligeretur sapientiā à fœminis manare non posse. Meticulosæ præterea sunt fœminæ, sententiâ leves, loquaculę & garrulæ; &, si quid præ se ferre gravitatis velint, non secus ac sponsa Æsopica, quæ musculus fuerat, sui facilè obliviscuntur. Imò malorum quoq; & injuriarum sunt impatientes & crudeles, si legum frenos licentia perrupit.

Exemplo sunt Attalia & Jezabel, quarum illa regiam Davidis stirpem excîdit, hæc Nabothum & prophetas Domini occidit: 3. Reg 21. & 4. Regum 11.

Tullia minor, quæ dominandi libidine pruriens, Tarquinium Superbum suum maritum non modò ad patris sui Servii Tullii cædē extimulavit; sed nec ipsa verita est, per cadaver ejus carpentum agere, teste Livio lib.1. & Ovidius lib.6. Fast. Cleopatra Ægypti regina, quæ fratrem, cui regni successio debebatur, veneno sustulit, & Arsinoën sororem Ephesi in templo occîdit; teste

Josepho

Joſepho lib.2. contra Appionem; Brunegilidis, uxor Sigeberti regis Francorũ,quæ ut poſt mortem mariti regno Galliarũ potiretur,decem regii ſanguinis pueros partim conſilio, partim manu aut veneficio extinxit, ut ſcribit Aymo de geſtis Francorum lib. 4.c.1. Trahomira Lucenſis, quæ ut poſt mortem Ladislai mariti Principatu Bohemiæ potiretur,, filium Wenceslaum unà cum hujus aviâ Ludomillâ in templo, ſacerdotes verò extra Pragam occidit; & noſtro ſeculo Catharina Medicea, cujus lanienas Gallia adhuc deplorat. Unde non fruſtra barbara iſta vox tam ſæpè ab Hiſtoricis repetitur: *Nullum regnũ ſine domeſticâ cæde, aut parricidio eſſe ſolere.* De hujusmodi Reginis, rem turbantibus publicam, Græcus iſte verſus in proverbium abiit:

Γραῦς ἀνασκιρτήσασα πολλὴν κονίαν ἐγείρει.
Vetula ſaltans multum pulveris excitat.

Porrò munera publica ſexui quoq; & pudori fœmineo planè ſunt contraria: Quid enim ad bellum mulier?

Bella viri pacemq; gerant, quîs bella gerenda.

Fœminarum verò eſt colum capere cum calathis,& ſtamina pollice torquere. Hinc ſapienter conſtitutum lege Salicâ, ne regnum Francicum cadat in colum, h. e. ne mulieres vel in regno ſuccedant, vel regnum adminiſtrent, ut quæ ob ſexus imbecillitatem impares ſunt rebus gerendis, ſi vis quædam gravior ingruat. Hinc Eudoxia

Imperatrix Constantinopolitana, Sultano Turcico Imperium bello premente, coacta fuit nubere Romano Diogeni militum fortissimo, teste Zonarâ tom. 2. Et de Hedvvige Poloniæ regina, quæ postmodum nupsit Ladislao Gaddelloni Litvano, scribit Cromerus lib. 14. nõ satis in tuto visum reginæ pudorem illâ ætate illâq; formâ, & necessariâ cum viris conversatione. *Nec enim fœmina amissâ pudicitiâ alia abnuerit*, inquit Tacitus lib. 4. Annal. Exemplo sunt Semiramis Assyriorum, Cleopatra Ægypti, reginæ, Semiamira Heliogabali mater, Johanna Neapolis regina, & aliæ. Concludimus ergo cũ Tacito de moribus Germanorum, *mulieribus obedire, indecorum nimis, & sævum hoc esse servitium, quod non modò à libertate, sed etiam à servitute degenerat.*

FLOS V.

Facilius est regnum occupare, quàm retinere.

NObilis de Pyrrho Epirotarum rege fama est, semper eum parandis, quàm retinendis regnis meliorem extitisse, quoniam ad nova subinde properaret. Qua de causa Antigonus Asiæ rex Pyrrhum aleatori similem esse dixit; qui cùm optimè caderent tesseræ, arte utendi iis, quæ jecisset, destitueretur. Hinc non abs re Franciscus Guic-

Guicciardinus libr.4. hist. celerem & incruentam describens victoriam Caroli octavi regis Gallæ, quâ Arragonios Neapolitano regno exuit, sed quod defectione Neapolitanorum mox rursus amisit; tacitè eos imprudentiæ arguit, qui armis Imperia facilè propagant, ea tamen retinere non valent; nec vident apertum Imperium iis, qui domesticâ disciplinâ uti nesciunt, non modò non utile, sed etiam grave & perniciosum semper fuisse. Et profectò stultum est, eos invadere quos victor in officio retinere non potest; ut apud Thucydidem libr.6. rectè sentit Nicias. Et hoc ipsum non ignoravit Augustus Cęsar, quem, cùm Alexandri Magni res in Oriente gestas legeret, admiratum ferunt; cur Alexander in animum suum non induxerit, quomodo quæsita conservaret, & regeret, sed tantùm quomodo quæsitis alia adjiceret. Hujus certè principatus priùs penè diffluxit, quàm ab ipso partus fuit. Ex quibus liquet, nullum esse dubium, quin minoris sit industriæ & laboris regnum acquirere, quàm partum in suo statu conservare. Cujus sanè rei duæ afferri possunt causæ: Una, quòd naturâ suâ omnia regna, perinde ut cætere res humanæ, ubi ad summum pervenêre, iterum decrescant; adeò ut ingentis & vix humanæ sapiẽtiæ opus sit, diu in eodem statu regnum aut Rempub. conservare: altera, quia exiguæ sępè vires, ubi hostes incautos & imprudentes nactę sunt, Imperia quan-

tumvis prævalida circumveniant. Quod & Totilas Gothorũ rex occupatâ Româ considerans, ita orationem ad suos milites concludit apud Aretinum de bello Italico contra Gothos lib. 3. Tueri quæsita difficilius est, quàm acquirere; quoniam in acquirendo ignavia possidentis plus sæpè confert, quàm propria virtus; tueri autem quæsita sine propriâ virtute nemo potest.

F L O S VI.

Imperium facilè iis retinetur artibus, quibus ab initio partum.

POlybius lib. 9. histor. *Quidam putant*, inquit, *aliâ ratione acquirendos esse principatus, & aliâ rursus servandos. At ignorant, eos demum optimè principatus servare, qui eandem voluntatem & mentem, quâ primùm principatus sunt adepti, firmiter retinent.* Non itaq; temerè apud Turcas vetus atque perpetuum institutum, ut intranti templum supplicandi causâ Sultano Talismanus æditũus sacerdos occurrat, claraq; voce pronunciet; Meminisse velit, Imperium quod justitiâ & virtute bellicâ partum sit, non aliis, quàm iisdem artibus conservari, propugnarique oportere, teste Jovio in Elogiis, lib. 2.

Hinc videmus, maximo nostro cum malo, hostem hunc eâ esse vigilantiâ, eam servare disci-

ſciplinam, eâ uti in conſervandis iis, quæ ſibi adjunxit, ratione, ita regnare, ac dominari, ut ubi ſemel veſtigium fixerit, inde ſe moveri nunquam patiatur; *nunquam ſe attollat ſeges, quàm ſemel iſta calamitas depreſſerit*, ut Busbequius loquitur in ſua exclamatione, de acie contra Turcas inſtruendâ. Rectè itaque cum Saluſtio de conjuratione Catilinariâ ſentit Franciſcus Patricius in Dial. 6. de hiſtoria, quòd quib. modis acquiratur Imperium, iisdem etiam augeatur. *Quoniam* (inquit) *non eſt aliud incrementum, quàm adjectio ejus, quod augetur.* Sed ubi jam acquiſitum eſt auctumque Imperium; ſupereſt, ut conſervetur, ſubditorum animos continendo, ut libenter aut etiam inviti maneant; quorum iſtud vi perficitur; illud, ſi optimè eos tractaris; aut meliùs quàm alii; aut ſaltē, ſi meliùs quàm alii tractare videberis. *Sic nimirum regna ut fortitudine comparantur, ſic manſuetudine & humanitate conſervantur.*

Hîc tamen & illud Jovii lib. 2. hiſtor. notandū, *non iisdē ſemper artib. reges magna Imperia tueri poſſe, quibus ea quæſierint.* Ignoſcendo, largiendo, indulgendoque regna læto admodum hoſpitio feliciter ineuntur. Cæterùm cùm prava inquietaque hominum ingenia audendo moliendoque inſperatas ex occulto tempeſtates cient, tum denique ſervitutem pro clementiâ, parſimoniam pro munificentiâ, pro facilitate autem


& liberalitate, illiberalem durioremq; naturam utilia, salubriaque didiceris.

FLOS VII.

Regni vinculum firmissimum Benevolentia subditorum.

DIonysium juniorem, Siciliæ tyrannum, deperditum inscitiâ, moribusque profligatissimis, Dio videns (ut Plut. scribit in ejus vita) hortatus est, se ad disciplinam ut conferret, Platoniq; philosophorum principi se formandum, & virtute exornandum traderet. Ita fore, ut pulcerrimo exemplari & divino ejus, cui gubernanti universum hoc ob emperans pro confusione ordinem, constantiamq; tuetur, conformatus; plurimam & sibi & civibus, quibus se pro Tyranno regem præberet, felicitatem pareret, ut quæ illi modò metu tyrannidis mœsti invitique facerent, eadem deinceps modestiam & justitiam ipsius venerantes, itidem ut patri præstarent. Non enim (ut pater ipsi dixisset) metum ac vim, non catervam juvenum stipantium, non immensum barbarorum satellitium, adamantina ista esse vincula; sed benevolentiam, studium, gratificandique voluntatem virtutis reverentiâ civibus ingeneratam, quæ ut rigidis istis & duris vinculis molliora esse videantur, sint tamen ad perpetuitatem

tatem regni firmiora. Quem eundem in modum, & M. Antonius Imp. prudentissimus in sua oratione, quam paulò ante mortem suam ad Commodum filium & amicos habuit, teste Herodiano, monet: Neque aut pecuniæ vim tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri Principem posse, nisi illi ipsi, quos regit, animum imperanti, benevolentiamq; accommodent. *Quippe ii demum diu tutoq; imperant, qui non metũ ex crudelitate, sed amorem ex bonitate civium suorum animis instillant.* Neq; enim quos servire necessitas coëgit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, ii sunt in agendo patiendoque à suspicione omni assentationeque vacui; nunquam Imperia detrectant nisi violenter, contumelioséque sint habiti. Quò respexit & Plinius in Trajano, *Quantò nunc tutior,* inquiens, *quantò securior eadem domus, postquam non crudelitatis, sed amoris excubias, non solitudine & claustris defenditur.* Et quid ergo non discimus experimento, fidissimã esse custodiã Principis, ipsius innocentiam? Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentũ, munimento non egere; frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit; armis enim arma irritantur. Hoc sanè consideravit Eberhardus Primus, Dux Wirtenbergicus, optimus & prudentissimus Germaniæ princeps. Cùm enim in Imperii Conventu Vormatiæ celebrato



cæteri Principes gloriarentur de rebus pretiosioribus, quas singuli in ditione vel thesauris haberent; illum dixisse ferunt, se habere quidem ditionem non tam latam, quàm omnibus rebus refertissimam. Nihil tamen pretiosius in ea ducere, quàm se ita amari à suis subditis, ut si vel in venatione, vel aliâs aberraret, & solus in deviis locis relinqueretur, nullas prorsus insidias metueret; sed absque omni solicitudine somnum capere posset in sinu cujusvis sui subditi. Et profectò rerum omnium nihil commodius est quicquam ad principatum tuendum & conservandum, quàm ab his, quibus imperamus, amari potiùs, quàm metui. Rectè itaque à prudentissimis hominibus dictum, malum esse custodem diuturnitatis metum; & econtrà benevolentiam fidelem esse vel ad perpetuitatem.

FLOS VIII.

Regnorum bases & fundamenta: Religio, Justitia & Prudentia.

TRia sunt, inquit Plato de LL. quibus minimè carere Principes possunt; Religio, Justitia, & Scientia militaris: ac primò quidem ad perfectionem sui; secundò ad retinendum subditos in officio; postremò ad vim hostium reprimendam.

Ad Re-

Ad Religionem quod attinet, primaria illa est causa conservans Regnorum & Imperiorum, quæ idcirco à Platone 2. Polit. rectè fundamentum Reipublicæ constituitur: quâ sublatâ simul tollitur fides & societas generis humani, & excellentissima virtus Justitia, teste M. Cicerone lib. 1. de Natura deorum: & ex qua omnis omnino Reipublicæ pendet felicitas. Nimirum ut tota domus Aminadabi felix fuit propter præsentiam Arcæ, quæ per annos quinquaginta ibi mansit, donec eam David rex Hierosolymã transferret comitatu frequenti & triumpho celeberrimo: ita Deus Regnis & Politiis benefacit, quæ veram religionem fovent, quæ, quoad Ecclesiarũ manent hospitia, non dissipantur, nec funditus delentur. Exemplo est regnum Ægyptium, quod tamdiu floruit, donec familiæ Jacobi hospitiũ præbuit; postea verò regum Ægyptiorum tyrannide contra Israëlitas exasperatâ, regnum florentissimum diu variis quassatum est seditionibus. Porrò si verum est, quod de vanâ scribit religione M. Cicero de arusp. responsis; nec Romani numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, sed pietate ac religione omnes gentes & nationes superarunt; quantò magis de verâ? *quippe quæ in Principe ars est non solùm orandi, sed etiam exorandi à Deo quæcunq; petierit.* Cujus rei locupletes testes sunt Moyses, qui Israëlitis contra Amalekitas pugnantibus

plus effecit orando, quàm Josua pugnando, Exodi 17. Testes sunt omnes pii Reges in populo Judaico, quos non arma, sed pia servavit oratio. Testes denique celebres Christianorum Principum Dei auxilium implorantium, de hostibus suis partæ victoriæ.

Altera Regni basis & fundamentum est Justitia; quâ Regis thronus stabilitur, Prov. 16. quâ remotâ nihil aliud sunt regna, nisi magna latrocinia, teste Augustino lib. 4. de civ. Dei cap. 4. imò cujus tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ullâ particulâ justitiæ vivere, secundùm Cic. 1. Offic.

Quid? quòd justitiæ servandæ causâ videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cùm premeretur inops multitudo ab his, qui majores opes habebant; ad unum aliquem fugiebant virtute præstantem, qui cùm prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate constituendâ summos cum infimis pari jure retinebat, ut est apud eundem Ciceronem Offic. 2. Talemq; subditi, tanquam patrem patriæ, defensorē publicæ salutis, publicum parentem, parentē generis humani, bono Reip. natum, tutoremque status publici coluerunt. Hinc Aristides ille Atheniensis ob insignem justitiam *Græcorum felicitas* est dictus: & quæ eum tulit, ætas aurea appellata, teste Plut. in Aristide.

Tertia Regni basis & fundamentum est Prudentia, quæ sibi aliisque cautioribus semper utitur

utitur consiliis; quæ bona & mala discernens rectissimè, quæ in vita expetenda, retinendaq; sint, dijudicat. *Neq; enim magnificis murorum structuris, neq; numerosâ civium multitudine civitas continetur: sed sapientiâ & moderatione gubernatorum*; inquit Isocrates in Areopagitico: & licet Respubl. labantur & ruant, sapientiâ tamen adhibitâ facilè emendari, & ad rectam revocari moderationem eas posse, Osorius censet lib.3. de Regum institutione.

Ego ita comperi (scribit Saluſt. ad Cęsarem) omnia regna, civitates, nationes usque eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Ubicunque verò gratia, timor, voluptas ea corrupere, pòst paulò imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, postremò servitus imposita est. Sub Salomone certè rege felix extitit regni Judaici status, tantaq; auri argentique Hierosòlymis fuit abundantia, quanta lapidum, 3. Reg. 10. Infelix verò & afflictus sub Roboamo, qui calida & callida juniorum secutus consilia, damno suo didicit, primâ specie illa quidem esse læta, at tractatu dura, exitu denique tristia, 3. Reg. 12.

Pari modo sub Augusto Cæsare tranquillum maximè & pacatum fuit Romanum Imperium, teste Suetonio & Dione lib.53. Miserum econtrà sub stultis Imperatorib. Caligulâ, Claudio, Ne-

rone, Heliogabalo, & aliis Reip. pestibus, eodem teste Suetonio, Tacito, & Dione.

Sic & Persicum regnũ, quod sub Cyro floruit, sub Xerxe, qui Hellesponto cõpedes ac verbera stultè minabatur, teste Herodoto lib. 7. & Diodoro lib. 11. defloruit.

Princeps igitur memor, regnũ munus quoddam & officiũ esse divinum, in quo bene recteq; administrando opus sit religione sanctâ & cultu divino, sine quo nihil neque domi neq; militiæ feliciter geri, aut confici possit; potissimã rerum divinarum justitiæq; curam habeat. Etenim, ut Diothogenes Pythagoricus philosophus eleganter scribit in lib. de regno: *Perfectus ut rex sit, eum bonum Imperatorem & judicem & sacerdotem esse necesse est.* Hæc namq; virtutem & majestatem regiam comitantur atq; ornant. Nam ut gubernatoris munus est, servare navim; aurigę currum, medici ægrum; ita Regis & Imperatoris officium est, servare in bello periclitantes. *Cuicunq; enim rei quis præfectus est, ejusdem tutor & artifex est.* Deinde judicare, & jus suum singulis distribuere, proprium munus est regis, qui ceu Deus in mundo dux atque præses est; insuperque benefacere, subditis & benefactis sibi demereri; idque non præter justitiam & Legem.

Postremò cultus divinus, cultus omnino regię dignitatis est; quippe optimũ ab optimo, & summum à summo coli fas est. Nimirum inter præstan-

ſtantiſſima naturæ Deus excellit; inter homines verò & in terrenis, Rex & Princeps. U*t igitur Deus ad mundum, ſic Rex ſe habet ad Remp. & ut Reſpublica ad mundum: ita Rex ad Deum.* Civitas enim ex multis diverſisque concinnata, mundi ſtructuram & harmoniam imitatur; Rex autem innoxiè & juſtè imperans, & lex viva Dei exiſtēs, Dei figuram inter homines repræſentat. Hactenus Diothogenes. Præterea à cultoribus numinis divini, injuſti nihil ſperant homines; nec facilè factio, aut ſeditiones coaleſcunt adverſus eos, quos claros eſſe & protegi numine divino credunt, ut Ariſtoteles ſcribit in Politicis.

FLOS IX.

Principatus nervi aurum & ferrum.

AUrelianus principatu Rhodianorū potitus magnates rogavit, quo pacto imperandum eſſet? quorum unus reſpondit: Si Rempublicam ritè adminiſtrare volueris, auro & ferro te munitum eſſe oportebit: ac ferro quidem contra hoſtes uti; tui verò obſervantes auro remunerare. Autor Zonaras Tom. 2. annal. in Aurelianum. Nimirum & munificentia indicat regis juſtitiā. Nam qui res ſuas ad hominū utilitatem largiri gaudet, ab alienis manus ut abſtineat, veriſimile eſt. Si enim pecuniarum cupidus eſſet, longè faciliùs ſuas ſervaret, quàm alienas raperet. O-

ptima igitur Principis erit persuasio, si opinabitur, pecuniis non modò justè, verùm etiam liberaliter esse utendum; justo siquidem satis erit, aliena non rapere: liberalis autem insuper cogitabit, quomodo suam ad hominum utilitatem, suorumq́, benevolentiam sibi comparandam elargiri possit.

Documento sit Alexander ille Magnus, qui naturâ ad largitiones cùm inclinaret, & beneficentiam; fama de ejus liberalitate disseminata amorem & benevolentiã illi tantam conciliavit, ut illius in ministerio esse omnes expeterent. Narrat Plutarchus, Dario ad Arbelæ victo & extincto, Thebanum quendam in foro Atheniensi in colloquio plurimùm extulisse fortunã Alexandri, qui tantarum rerum jacturam fecisset. Cui subridens philosophus quidam; falleris, inquit, Thebane, dum existimas, Alexandrũ multas civitates acquisivisse, Darium verò plurimum perdidisse. Hoc enim prælio præter lapides & tecta nihil expugnavit Alexander, qui multò antè animos civium expugnarat; contrà verò infelix Darius in hoc bello præter tecta & lapides nihil perdidit. Jamdudum enim subditorum suorum animos perdiderat, & à se abalienarat. Quin & subjungens; Principes, inquit, qui Imperia sua augere, & bellis regna sua dilatare cupiunt; benevolentiam priùs & amorem hominum conciliare sibi debent: beneficentiam & liberalitatem

in eos

in eos exercendo. Deinde exercitus suos mittere, qui arces & mœnia expugnent: secus namq; facientibus nihil proderit domus & muros expugnasse; animos verè subditorum experiri rebelles, & refractarios. Hinc ergo patet, Alexandrum tam multa acquisivisse suâ liberalitate & beneficentiâ: Darius verò cur se, regnumq; suum perdiderit, aliunde non promanasse, quàm quòd avarus fuerit, & ad corradendas asservandasque opes justo propensior. Teneamus igitur hanc regulam firmissimam; Principem avarum (nisi proditione id consequatur) nunquam aut rarò admodum regnum expugnaturum, & in suam potestatē redacturum; & licet etiam proditione illud adipiscatur, perexiguo tamen tempore esse retenturum.

Sed & aliarum rerum agendarum, & inprimis bellicarum, pecuniæ sunt nervi, quibus Princeps minùs carere potest, quàm animal nervis, primis illis in corpore ipsius sensus motusque instrumentis. Quemadmodum enim nec animal sine nervis: ita nec bellum absque pecuniâ progredi potest, utpote quâ opus habet Princeps tam ad alendos exercitus, quàm ad arcendos, vel etiam expugnandos hostes.

Primùm itaq; pecunia, quæ non deficiat, ei paranda, qui fidum, obsequentem, strenuum & prę-stantem secum habere cupit exercitum. Idque apud Xenophontem lib. 1. παιδείας Cyrum filium

graviter monet Cambyses, quòd qui milites in exercitu magis sint obsequentes, magisque strenui, in rerum necessariarum copia, minusq; alios onerent; & inter illos disciplina militaris rectiùs conservetur. *Utiq; enim qui legum sunt metuentissimi, iidem in hostes sunt audacissimi; & pati quidvis minimè verentur, qui malè audire maximè verentur,* scribit Plut. in Agi & Cleomene.

Deinde multò commodius atque faciliùs hostes arcentur auro, quàm in ipso belli discrimine sustinentur ferro atq; viribus: ipsaq; experientia sæpe comprobavit, eos, qui pecuniæ parcendo remota neglexerunt pericula, incumbentibus iis desperato sæpe remedio gravioribus sese intricasse malis.

Tandem nihil tam munitum est, secundùm Cic. Verrin. 2. quod pecuniâ expugnari nequeat; *nec ulla præsidiis, aliisq; propagnaculis munita arx, quæ non facilè expugnetur, si asinus auro onustus eò penetravit;* quod Philippum Macedonem Alexandri patrem dictitasse ferunt.

Neq; verò minùs, quàm auro, Princeps carere potest ferro & armis; utpote quæ & LL. suo conservant præsidio, teste Justiniano in epistola de Justinianeo Codice conservando: & sine quibus nulla quies gentium haberi potest, nec Princeps sua retinere, nec contra vim & injuriam aliorum subditos suos defendere, aut etiam horum ferociam reprimere.

Verè

Verè igitur, secundùm Dionē lib.37. *ab armis omnia pendent: quibus qui prævalet, hujus legibus necessariò obtemperandum.*

FLOS X.

Regnum splendida servitus.

ANtigonus Asiæ rex, teste Æliano Va: histor. lib.2.c.20. filium suū conspicatus aliquantò ferociùs insolentiusque subditos tractantem; an ignoras, inquit, regnum nostrum splendidam esse servitutem? Idem vetulę cuidam regni ipsius felicitatem prædicanti, ostenso diademate: *Si nosses, dixit, quantis malis panniculus iste refertus esset, ne humi quidem jacentem tolleres.* Utroque hoc apophthegmate innuere voluit vir sapiens, quantum malorum fronte tam blandâ tegat regnum, ut Senecæ utar verbis in Octavia. Quem in modum & Euripides in Jove, *regnum specie quidem externâ latum & jucundum; intus verò triste & molestum esse asseverat. Non igitur diadema regium respiciendum, sed curarū tempestas, per quam ipsis corona paritur*, inquit Chrysost. Homil. 66. Et profectò ut Imperium majestate suâ maximum onus: vel, ut Isocrates loquitur in oratione ad Nicoclem, *regnum omnium rerum humanarum maximum est, & quod maximam curam providentiamq; postulat*: sic Principi

laborandum, ut aliis liceat otiari; Principi vigilandum, ut aliis liceat dormire; Principi curis distringendus animus, ut aliis liceat securè vivere. Quid multa? Principi omnia ferenda incommoda, ut subditi sui omnibus fruantur cōmodis. Sic fit, ut Imperio maximo maxima insit cura, &, ut Tacitus loquitur historiarum lib. I. *arduum sit & subjectũ fortunæ, regendi cuncta, onus.* Et hinc est, quòd multi egregii viri Reip. gubernationem gravem & molestam sentientes, privatam vitam agere, depositâ amplorum Imperiorũ curâ, concupierunt. Augustus certè Imperator, teste Suetonio, multarũ in administratione Imperii molestiarum pertæsus, bis de reddendâ senatui Rep. cogitavit, & jam senatoribus domum accitis, rationarium Imperii tradiderat, cùm à quibusdam aulicis id consilii mutare persuasus est. Diocletianum quoq; Imperatorem (*anno Christi 304*) post gloriosissimum triumphum & rerum à se gestarum perceptos honores, metus rerum humanarum, quæ aut rarissimè, aut nunquam consistunt, Imperii administrationē deponere suasit: qui postmodò Salonis annos adhuc decem superstes, iterumque ad Imperium sollicitatus, à privatâ vitâ abduci non potuit: testatus tunc primùm habuisse vitæ principium, cùm à molestiis Reipublicæ liberatus privatam vitam delegisset; *istâ peste se liberatum amplius venena bibere nolle:* satis se pro Rep. laborasse, & tempus appetiisse, ut sibi

ſibi vivat: Dicebatque ſæpiùs, *nihil difficilius eſſe, quàm bene imperare, & Remp. ſine famæ diſpendio adminiſtrare.* Sed præſtat huc asſcribere locum ex Flavio Vopiſco in Aureliano ita ſcribente: Quæritur, inquit, quæ res malos Principes faciat? primùm nimia licentia, deinde rerũ copia: præterea amici improbi, ſatellites deteſtabiles, eunuchi avari, aulici ſtulti, aut certè improbi: & quod negari non poteſt, rerum publ. ignorantia. Sed Diocletianum Principem ferunt jam privatum dixiſſe: Nihil eſſe difficilius, quàm bene imperare. Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque unum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt; hi dicunt, quid probandũ ſit, Imperator qui domi clauſus eſt, vera non novit; cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur: facit judices quos fieri non oportet; amovet à Rep. quos retinere debet; quid multa? *bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hujus exemplum imitatus Carolus V. Imperator, cùm fortunam ſibi adverſam poſt multas è tribus mundi partibus victorias adeptas cerneret (*anno Chriſti 1558*) traditâ filio Philippo regnorum omnium, quibus potiebatur, adminiſtratione, Electoribus reſignato Imperio, privatam vitam in ſacerdotum contubernio delegit, palàm profeſſus, ut nõnulli, pręſertim Pontificii, ſcribunt, ſe in ſua monaſtica ſolitudine uno die plus delectationis & voluptatis percepiſſe, quàm ex omnibus ſuis victoriis & triumphis.

Memorabilis quoq; est Johannis II. regis Arragoniæ & Siciliæ, Caroli V. Imperatoris materni proavi, oratio ante mortẽ (*anno Christi 1479*) quam ita refert Lucius Marinius de reb. Hispanicis lib. 18. prope finem: Mox respirans & jam reclusis oculis omnes qui aderant adspiciens, ô vanas, inquit, hominum cogitationes! ô miseros omnes, qui ad principatus adspirant! qui divitias & nimios honores adfectant! ô felicem pauperum conditionem, & illorum securam vitam, atque beatam, qui panẽ comedunt cum sudore vultus sui, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid homines, quid obsequia plurimorum contulerunt? quid? labores scil. magnos, & multa corporis atque animæ pericula, nec unquam ætate tam longâ potui mihi dies videre aliquos bonos. O me miserũ & infelicem, qui tam serò fallacem mundum cognosco! qui vitã certè vixissem multò meliorem, si non Rex, sed pauperis agri cultor fuissem. Hæc magno cum dolore animi referebat (subdit Marinius) Alphonsi fratris, ut arbitror, recordatus, atque secutus exemplum, qui Neapoli olim moriens eadem protulisse verba memoratur.

FLOS XI.

Difficile peregrinum Imperium.

ETsi nec semper, nec omnino Principis alienigenæ Imperium est improbandum; potest siquidem ejusmodi incidere tempus, ut huic fasces deferri expediat; si vel status Reip. exteri alicujus præsidium requirat, vel metuenda civium seditio, vel aliis de causis: quia tamen, teste Cic. lib. 2. de Orat. *caput Reipublicæ est, perspectos habere civium mores*, quod peregrino denegatum; utique multò rectiùs, & tutiùs indigenæ, quàm peregrino Respublica committitur. Præterquam enim quòd indigenis Principibus ad obtemperandum faciliores & proniores sunt subditi, & ab his quoq; Rempublicam diligentiùs & fideliùs, quàm à peregrinis administrari persuasum habent; (unde Uladislai posthumi regis Ungariæ & Bohemiæ obitu *(anno Christi 1458)* Bohemi ne externis publicã salutem crederent, Georg. Bogiegbratium, cujus in longa gubernatione justitiam, fortitudinem, integritatẽ & prudentiam sat exploratam habuerant, repulsis competitoribus externis, Regem sibi delegerunt; ut & Ungari Matthiam Corvinum) multæ quoque sese offerunt difficultates, quibus & Regnum & Principes externi non raró involvuntur. Etenim, si Princeps

alienigena juxta id, quod honestum videtur,& apud suos est, novorum civium mores conformare,& omnia innovare voluerit; certè non emendabit,sed perdet. Hinc & Deus in lege sua populo Israëlitico mandat, *ut è numero fratrum eligatur Rex*, Deut.17. Prævidit nimirum Deus, per extranei Imperium non tantùm pejus malum in regno accidere posse.

Et quia *unius saltem legis mutatio ruinam trahit omnium*, ideo omnibus temporibus omnes bene constitutæ Respublicæ,ut non necessarias legum & Rerumpublicarum mutationes caverent,magistratus suis demandarunt civib. quemadmodum & hodie in inclyta Venetorum Rep. peregrinis non est locus: & apud Germanos,ne Romani Imperii decus ad exteros Principes transferatur,legibus cautum est. Et Cominæus lib.8.de rebus Ludovici II. & Caroli VIII.opinatur,singulari Dei beneficio factum esse, quòd juxta legem Salicam Imperium Galliæ non deferatur ad fœminas: ut ne summa regni sit penes aliquem externũ Principem. Vix enim (subdit) ulla est natio,quæ diu ferat peregrinum Imperium. Ante annos 40 (*circa annũ Christi 1436*) maximas in Galliis possessiones tenuerũt Angli; hodierno autẽ die præter Caletum, & duo quædam castella, quorũ tuitio ipsis magno constat, nihil habent, & temporis ferè puncto amiserunt omnia. (Ipsum quoque Caletum à Gallis ductu

Guisii

Guisii iterum subactum est anno Christi 1558.) Galli per complures annos aliquando possederunt Siciliam & Neapolin: his autem omnibus ita nunc sunt exuti, ut præter majorum suorum sepulchra, nihil ibi reliquū habeant. Nam etiam ut Princeps aliquis externus bene rem gerat, & commodè gubernet; tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repræsentare potest benevolentiam, ac si esset indigena, facilè oriuntur dissensionum occasiones. Itaque fit, ut ille, quò principatum ad se delatum, suasq; fortunas tueatur, aliunde militem & copias adducat, eorumque se præsidiis muniat; qui beneficiis deinde singulariter ab eo & honorib. aucti, magnam multitudinis invidiam & odium in se concitant. Hactenus Cominæus, cui Bodinus quoque suffragatur lib. 6 de Rep. c. 5. ubi multis hoc exemplis confirmat; Wilhelmi nempe regis Siciliæ & Neapolis (*anno Christi 1168*) qui cùm hominem Gallum primicerium fecisset, præteritis indigenis, tantâ iracundiâ populus exarsit, ut Gallos ferè omnes unâ conjuratione necaverint; Canuti Dani regis Daniæ & Angliæ (*anno Christi 141*) qui exercitu potentissimo populos oppresserat; ubi similiter Dani & Angli cuncti interfecti, ipseque Rex veneno necatus est. Ungarorum; quorum regem Ludovicum sibi cooptaverant Poloni, qui ob unius Poloni interempti necem à Polonis cæsi fuissent omnes, nisi regiam

arcem occupassent; nec tumultus antea cõquievit, quàm Ungari arce relictâ demũ rediissent. Sigism. Imp. Marchionis Moraviæ, ad quem sponsa MARIA, Ludovici regis filia, Ungariæ regnũ afferebat: qui socrum suam cæde compositâ interemptam ulturus, (hanc namque Johannes Horvatius Pannonius in aquã immersam suffocârat) Pannomiam cum exercitu ingressus, regiis susceptis insignibus, nuptiisq; celebratis, cùm de Horvatio parricida & aliis 32. proceribus, qui sub muliebri regno jugum excusserant, supplicium sumpsisset; tanta ipsius gentis invidia cõflata est, ut post cladem Nicopolitanam armatis comitiis captus, necandusque magis, quàm asservandus, fœminæ, cujus maritum è nobili familiâ Garenorum inter factiosos supplicio affecerat, sit traditus; cujus tamen irato animo promissis amplissimis pacato è vinculis liberatus, in Moravia milite conscripto, regnum Ungarię mox recepit, præsidiisq; firmavit; Stephanum verò Weivvodam, captivitatis suæ authorem, securi feriit. Sic & Albertus dux Megapolensis in Suecorum regem electus, cùm Germanis loca & officia publica committeret, nobilissimasque virgines ac viduas in extraneorum & indignissimorũ conjugia cõsentire cogeret, à suis victus & in carcerem est conjectus, ut autor est Johannes Magnus lib. 11. Quocirca (concludit Cominæus) *qui externæ alicujus gentis Imperium suscipit, nisi magnâ quadam*

quadàm & eximiâ sit præditus dexteritate, multis haud dubiè & longè gravissimis implicabitur difficultatibus.

FLOS XII.

Imperia moderata durant.

ARistoteles lib. 5. Pol. cap. 11. maximè diuturna & stabilia ea regna esse censet, in quibus regum ipsorum potestas ad moderationem revocatur. Nam quò pauciora (inquit) regibus licent, eò ipsi & sunt modestiores, & minùs tyrannicè imperant, & hac ipsâ Imperii moderatione subditis quoq; suis minùs sunt invidiosi vel odiosi. Hinc non sine causâ à Theopompo Lacedęmone instituti sunt Ephori, ut quemadmodum postea Romæ consulari Imperio Tribuni plebis, ita illi regiæ potestati objicerentur; atque ita ille legitimis vinculis regnum constringendo, quò longiùs à licentiâ retraxit, eò propiùs ob benevolentiam & immunitatem civium admonet: ita & hodie Electorum authoritas & Principum, civitatumq; Imperialium senatus nimiæ Impp. Cæsarum potestati sapienter objectus est. Sic & olim David sapienter senatum septuaginta virorum instituit, cujus veluti authoritate & consilio restringeretur potestas regia. Utiq; enim, ut Menelaus ait apud Euripid.

Si vela tendas nimiùm, navis mergitur,
Sed si relaxes rursus, vehitur tutiùs.
Odit Deus nimis vehementes impetus,
Odere cives: gratior est moderatio.

Et Seneca in Troade: *Violenta nemo Imperia continuit diu; moderata durant.*

U*traq; igitur optima*, ait Plato ep. 8. *moderata libertas, & moderata servitus.* Quocirca in administranda Rep. convenit imitari ipsum solem, quem Mathematici tradunt, niti quidem contra supremi orbis impetum, sed obliquè molliterq; ex transverso. Convenit & citharas imitari, in quibus fides rumpuntur, si nimiùm tendantur; sin autem nimiùm laxentur, sonos edunt obtusos. Utraque nimiùm Reipubl. est perniciosa; & dura nimiùm, populariq; voluntati semper adversa severitas qualis fuit in Appio Claudio & M. Catone: & blanda nimiùm, & ad vulgi libidinem accommodata facilitas. Ut enim periculosum est prægrave Imperium, difficileque continere, quod capere non possit, juxta Curtiũ lib. 4. ut item nihil acerbius est hominibus Imperio crudeli & adstricto nimis: sic nihil exitiosius est iis, qui effusè nimis populari se dant auræ, & omnem etiam infimæ plebis rumorem affectant, ut haud injuriâ Fronto vir ille sapiens apud Dionem lib. 68. dubitasse se diceret; Utrum Imperiũ melius, sub quo nihil, an sub quo omnia omnib. licerent? *Mediocritas igitur omnibus in rebus optima:*

ptima est. Ac proinde, qui severitatem cum mansuetudine & comitate conjungunt, hi sapientissimè gubernandi viam incedunt. Hinc non abs re commendatur sapientissimum illud senatoris Norinbergensis responsum, qui à rege Ferdinando (alii tamen ad Maximilianum primum Imperatorem referunt) interrogatus, quomodo tantam multitudinem regerent, respondit: Blandis verbis, & atrocibus pœnis. Sic enim Imperia debent esse constituta, ut gubernatores omnib. comiter respondeant; at in pœnis sumendis gravitatem adhibeant. Vide Philippum in locis Manlii pag. 5.

FLOS XIII.

Nec regna ferre socium, nec tedæ queunt. *Senec. in Agam.*

IN magnis Imperiis non potest firmus esse consensus inter plures collegas & socios, autoritate & potentiâ pares, quantumvis eorum animi fœderibus & aliis firmioribus vinculis colligentur. Facilè namque inter tales nascuntur dissidia, quæ in bella civilia erumpunt. Quod probè intelligens Alexander Magnus, Darii legatis, magnam ipsi auri vim offerentibus, Asiæque totius divisionem æquis portionibus repromittentib. respondit: *Nec mundum duos soles, nec duo summa regna, salvo rerum statu, posse cōcoquere*, teste Plu-

tarcho in apoph. & Curtio lib. 5. Quod idem responsum quidam ex Lydis dedit Crœso, qui fratrem in Imperii consortium assumpserat: Omnium in terra bonorum author est sol: si verò gemini forent soles, periculum esse, ne omnino omnia conflagrarent, teste Serino apud Stob. serm. 45. Ex quo rectè Q. Curtius regnum vocat insociabile. Quod sanè ita verum esse, exemplo suo comprobavit M. Antonius Caracalla Imperator (*anno Christi 212.*) qui ardens cupiditate regni intolerabili Publium Septimium Getam fratrem, socium atque consortem Imperii, cùm veneno tollere non posset, clàm ferro trucidavit in cubiculo.

Quod Romuli quoque & Remi exemplo probat Lucanus lib. 1. ita scribens:

Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit; nec gentibus ullis
Credite, nec longè fatorum exempla petantur;
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Sic & Jugurtha Numidiæ rex, post mortem parentis sustulit fratres collegas, ut solus rerum potiretur: teste Salustio in Jugurtha. A Constantini Magni morte, Imperio in tres ejus filios sortitò diviso, accepit Constantinus junior Galliam, Hispaniam, Alpes Cottias, Britanniam, Orcades, Hyberniam, Thulen: sed sorte suâ non contentus, fratri Constanti parricidiale intulit

bellum;

bellum; in quo ad Aquilejam obtruncatus vitam cum omnibus illis provinciis amisit.

Inter Johan. Palæologum & Johan. Cantacuzenum tutorem, qui simul in Oriente imperarunt, ut firmior coalesceret benevolentia, hic pupillo filiam matrimonio conjunxit. Verùm, ut regna socium ferre nequeunt, ita citò dissiliit malefacta inter utrumque concordia: Generi potestatem soceri exosus in Tenedon profugit, adducturus nova auxilia ad socerum exturbandum; Cantacuzenus tandem post varias clades Palæologo cedens, Imperio abdicato, in monasterium sese abdidit; ut scribunt Laconicus Chalcondylas lib. 1. de rebus Turcicis, & Nicephorus Gregoras lib 11.

Germania quoque ex discordibus Imperatorum electionibus, bellis civilibus compluribus afflicta, suo tandem damno didicit, quàm impatiens consortis sit Imperium, infidelitatisque & malevolentiæ plenum: quod Plutarchus scribit in Demetrio, &c.

FLOS XIV.

Regia sedes in regni umbilico figenda, &c.

CAlanum Gymnosophistam referunt ejusmodi exemplũ Imperii Alexandro Magno

ob oculos posuisse. Corium in medium conjecit siccum & recurvum, cujus oram pedibus calcavit. Id uno loco pressum cùm cæteris partib. subinde resultaret; idem undiquaque circulans & pedibus stringens, in quaque parte idipsum ostendit evenire; quoad medium pedibus occupavit; quo facto pellis tota resedit. Tali imagine significavit, media regni maximè premenda, neque procul ab iis Alexandro vagandum esse: inde omnibus provinciis ipsius, quietem & securitatem fore. Author Plut. in Alexandro. Sic & Arpaces Medorum rex primus in medio regno Imperii sedem fixit, teste Herodoto lib 1. Et Cyrus superatis Medis regiam suam habuit Susis, teste Strabone libr. 15. quæ urbs media est inter Persidem & Babyloniam; & aliis quoq; gentibus propinqua. Et Romani in umbilico Italiæ urbem condiderunt. Idem Strabo libr. 12. author est, Cappadocum reges, Mazacam ad montem Argium, quanquam incommoda ibi plurimis rebus sint, sedem tamen regni ideo elegisse; quòd locus iste totius regionis medius fuerit, & lignis lapidibusq; abundarit, & herbâ, quâ plurimùm ad alenda pecora indigebant. His exemplis monentur Reges & Principes, ut in meditullio suarum ditionum, si fieri possit, sedem potissimùm habeant; quò facilior & commodior ad illos undiquaq; sit aditus, & cùm belli tempestate, tum in pace, inde in omnes ditiones & provincias suas

regimen

regimen habeant, & ad quamvis fortunam tuendam prompti paratique ſint: &, ut apum rex in medio alveario ſe continens, intus opera circumit, exhortanti ſimilis; ita & hi in aulis ſuis tanquam in ſpeculis asſidentes, ſubditos in officio contineant.

FLOS XV.

Regnum ut floreat, divinitus ipſi dantur viri heroici.

NOn ineſt naturâ hominibus virtus heroica, & doctrinâ comparatur; ſed divinitus exiſtit in præſtantibus naturis, ut Plato in Menone veriſſimè dixit: & Marcus Cic. lib. 2. de natura deor. *Nullus*, inquit, *magnus vir unquã fuit ſine afflatu divino.* Quotiescunq; igitur Deus regnum aut Rempublicam voluit florere, dedit ei viros heroicos; eosque excellenti inſtruxit ſapientiâ, virtute, & felicitate. Sic nimirum Davidi dedit Jaſabeam, Eleazarum, Abiſajum, Benajam, Azahelem & alios, quorum catalogus 1. Paralip. cap. 12. recenſetur. Sic Alexandro Magno adjunxit Clithum, Parmenionem, Seleucũ, Ptolomęum, Lyſimachum, Craterum & alios ſapientes & fortes viros. Sic Reipublicæ Atticæ dedit Miltiadem, Themiſtoclem, Ariſtidem, Cimonem, Cononem: Reipublicæ Romanæ Fabricium, Ca-

millum, Scipiones, Fabium, Marcellum & alios. Quoniam igitur Deus Opt. Max. adhuc cum hominibus ex gratiâ agit, & dona illis offert sua; & ex his præcipuè viris principibus, cæterisque qui generis prosapiâ inclyti sunt; hi inprimis quoq; virtuti studeant, & sapientiæ; quę & ipsa Dei sunt dona, & heroës faciunt; non gens, non nobilitas: sibiq; persuadeant (ut pulchrè monet Musonius) *nemini cuiquam magis, quàm Regi, esse philosophandum:* neque id ob aliam causam magis, quàm quia rex est. *Regis siquidem est posse homines conservare, & beneficiis afficere:* quod qui facturus est, eum necesse est scire, quid homini bonum aut malum sit, quid commodum aut noxium, quid utile aut inutile. Sic ergo verè, juxta illud Platonis dictum in Dialogo 5. de Republ. *tunc florent Respublicæ, quando vel Philosophus regit, vel Rex philosophatur.* Cui & Siracides suffragatur c. 10. *quando potentes sapiunt, florent urbes; & ubi prudens est magistratus, ibi omnia suo ordine procedunt.*

FLOS

FLOS XVI.

Optimus regnorum ſtatus minusq́; mutationibus obnoxius, Monarchicus, Ariſtocratiâ temperatus, &c.

ETſi ex rectarum Politiarum ſpeciebus Ariſtocratia quoque & Democratia ſatis laudabiles ſunt, tum bonum publicum reſpiciunt: præ illis tamen ab omnibus tam veteribus, quàm recentioribus philoſophis, palma tribuitur Monarchiæ: 1. Quia eſt antiquiſſima. Etenim ſi principia humanę ſocietatis conſiderare volumus, & hiſtoriarum monumenta revolvere; inveniemus gentium nationumq́ue Imperia penes Reges & Principes extitiſſe, teſte Juſtino libr. 1. Unde & Marcus Cicero lib. 3. de LL. omnes antiquas gentes, Regibus primùm paruiſſe, ſcribit.

2 Eadem quoq; eſt naturæ convenientiſſima. Etenim, ſecundùm Tacitum lib. 2. Annal. *ut unius Imperii corpus unius animo regatur, ipſa ſuadet natura & ratio.* Quemadmodū igitur Deus unus eſt, in quo & à quo ſunt, quæ in rerum hac univerſitate ſunt, omnia; & cujus unius Imperio ſalubriter reguntur omnia: quemadmodum prętterea ſol unus diei præſidet, nocti verò luna una: quemadmodū item ſola ratio in homine, veluti

dux fasces obtinet, appetitus verò huic obtemperat: quemadmodū deniq; in apibus dux unus est; & grues unum sequuntur ordine literato, & cætera quoq; rationis expertia animantia unum aliquem habent, quem quasi ducem sequuntur: ita quoque par est, ut unum Imperii corpus unâ regatur animâ.

3 Omnium quoque Politiatum justissima & æquissima esse Monarchia videtur: quippe quæ, ut ęst apud Isocratē in Nicocle, principem locum præstantissimo cuique defert; secundum illi, qui à primo proximus est. Et Xantes Pythagoricus philosophus lib. de regno, de Principis prærogativa hunc in modum disserit: In terra quidem, inquit, & apud nos optimum sanè ingenium pręcæteris animantibus homini datum est: divinior autem inter homines rex est, ut qui multum supra communem naturam eminet; corpore reliquis hominibus non dissimilis, utpote natus ex eâdem materiâ: sed ab optimo artifice factus, qui fabricavit ipsum archetypo ex sese sumptum. *Æquissimum præterea est, ut uni alicui excellenti viro libenter & sponte cives obtemperent:* inquit Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 9. Faciliùs denique in Monarchia retinetur ordo legum, executio pœnarum, & εὐταξία, quàm in cæteris Politiarum formis.

4 Eadem quoque est tutissima, utilissima, & felicissima. *Virtus siquidem unita longè est potentior,*

tentior, quàm dispersa, & utilior ad omnes bonas & rectas rationes. Respublicæ nimirum, quibus plures præsunt, ambitiosis dissensionibus perpetuò ferè confligantur, & mutuis sese odiis persequuntur; quippe inter quos assiduũ est gloriæ honorisq́, certamen: unde inimicitias aliquando maximas etiam inter amicissimos extitisse, notum est ex æmulationibus istis Athenis inter Æschinem, Phocionem, Demosthenem & alios. Etenim plerunque in re aliqua, in qua plures excellere nequeunt, tanta fit concertatio, ut nõ modò Reipublicæ illa multum afferat incommodi & detrimenti: sed & æquitas atq; justitia servari difficulter possit. At Monarchæ neminem habent, quem æmulentur, & cui invideant: inque omnibus rebus rectiùs & laudabiliùs & salutariùs consilia suscipiunt, Reipublicæque tantùm commodis atq; utilitati inserviunt. Hinc Tacitus libr. 1. Annal. discordantis patriæ non aliud esse remedium scribit, quàm si ab uno regatur: &, ut idem ait lib. 1 historiarum, *Pacis interest, omnem potestatem ad unũ conferre.* Porrò cæteris in Rebuspublicis qui præsunt, domesticis negotiis utplurimùm sunt occupati; quæ Reipublicæ negotiis frequenter anteponunt, & maximas sępe atque optimas occasiones temere negligunt. At Monarchæ, liberi ab his occupationibus, totos se Reipublicæ addicunt; nec ullas occasiones in omni procuratione muneris publici præter-

mittunt: sed in tempore singula peragunt; imò suam salutem salute communi posteriorem ducunt: & in hoc unum elaborant, ut qui ipsorum in Imperio sunt, sint quàm felicissimi & quietissimi. Sed & hoc liquet; eos, ex vulgi qui pendent arbitrio & judicio, plerunque in consilium adhibere audacissimos, & qui de rebus consulant fidentissimè. *Vulgus enim hominum cupiditatibus magis, quàm ratione ducitur:* unde fit, ut Democratia facilè degeneret in Anarchiam; cujus exemplum superius seculum vidit, quando Germania exarsit tumultu rusticorum. At Monarchæ prudentissimos quosque in consilium adhibere solent, qui de rebus prudenter & rectè judicare valent, nec ad affectum cujusquã orationẽ suam instituunt; sed ea tantùm dicunt, quæ rebus gerendis sunt idonea, & quæ necessaria. Unde rectè cum Homero concludimus Iliad. β. *multos imperitare malum; rex unicus esto.*

Monarchia tandem, ex omnibus rerumpublicarum formis, est constantissima & durabilissima. Regnarunt nempe Assyrii, à Nimrodo usq; ad monarchiæ divisionem in regnum Babylonicum, & Medicum, annos mille trecentos, sexaginta. Inde usq; ad Persicam monarchiam, annos ducentos, octoginta sex. Ægyptii ab Osiride usque ad Cleopatræ mortem, antequam Ægyptus in provinciæ formam redigeretur, annos mille nongentos, octoginta novem. Scoto-

rum

rum regnum, quod trecentis triginta annis ante natum Christum cœpit, in hunc usq; diem, continuâ Regum serie, durat. Et ut cætera regna omnia, quæ vel defloruerunt, vel adhuc florent, silentio præteream; apud Germanos nostros, Augustalis dignitas ultra octingētos mansit annos, manebitq; usq; ad universalem omnium regnorum mundi πανωλεθρίαν. Bodinus sanè lib. 2. de Rep. c. 1. & 5. hodiernum Imperii Romani statū censet esse puram Aristocratiam, quæ trecentis ferè Principibus & Optimatibus coalescat; quibus unus Princeps pręsit, ut cōcilii jussa exsequatur, aut magistratu se abdicare cogatur. Quòd itē in Comitiis Imperialib. cùm ab Imperatore, tum singulis Principibus & civitatibus leges ferantur, de bello & pace decernatur, vectigalia & tributa imperentur, quæ tamen non in fiscum Imperatoris, sed in urbes delectas ab Ordinibus inferantur: Deniq; judices Imperialis curiæ, qui de famâ & fortunis omnibus Imperatoris, Principum, ac civitatum judicare possint, potestatem dandi jus habeant. Huc quoque facere videtur, quòd in publica illa & solenni deliberatione, de novo Imperatore Maximiliano surrogando, (*anno Christi 1519*) Elector Moguntinus, inter cæteras rationes, quæ electionē Francisci Galliæ regis impedire videbantur, etiam hanc attulit; quòd in Francisco animi fortitudo ad Monarchiam spectet; in Romano autem Imperio reti-

nendam esse Aristocratiam ; teste Sleidano lib.1.

Quòd præterea Caroli Quinti Legati, ipsius nomine, in hæc à Septemviris proposita capita jurarunt; quòd leges omnes Imperii, præcipuè verò auream Bullam, non solùm confirmare, sed &, cùm res ita feret, de ipsorum consilio amplificare: jura, privilegia, dignitatem Principum & Ordinum Imperii, minimè convellere aut diminuere; nec Electorum conventum impedire, nec de rebus Imperii fœdus aut pactum externum facere, nisi de Septemvirorum assensu; facultates Imperii nec distrahere, nec oppignorare velit, &c: Sleidanus ibidem lib.1 author est. Verùm enimverò diversum suadere videntur, investitura principalis, & extrema appellatio: quòd item Imperatori provincias Imperii obeunti Principes occurrunt; quòd fidem & obsequium eidem in solenni inauguratione præstare tenentur: quòd magnificâ oratione, sacra majestas, à Principibus salutatur; quòd sceptra, regale solium, corona, pallium regale, pomum orbis figuram repræsentans, ipsi dantur; maximè verò illud, quod ex visione propheticâ conspicuum, Romanum Imperium pro quarta numerari Monarchia. Ex his liquidò patet, statum Romani Imperii monarchicum quidẽ esse, sed tamen Aristocratiâ temperatum: ita, ut unus rerum potiatur; ejus verò consilia regant, potentiæq; moderamen addant, & co-

& conatus injuſtos reprimant, Principes electores, viri ſapientes; & hunc ſtatum ad durabilitatem longè eſſe accommodatiſſimũ, nec ita facilè degenerare poſſe, vel in tyrannidem, vel in Oligarchiam. Quod in ſimplicibus Politiarum formis non rarò accidiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Sic & in populo ſuo, Deus primùm voluit eſſe Duces; quorum tamen poteſtatem moderarentur, & quaſi cohercerent ii, quos in Senatum populus legerat numero ſeptuaginta; quorum potior erat authoritas, quàm ipſorũ Ducum. Et talis quoq; forma videtur eſſe regni Gallici, vbi Rex ſimiliter legibus alligatus nil audet facere ſine judicio Parlamenti.

FLOS XVII.

Omnia regna ſuos habent fatales limites.

NUlla unquam Monarchia ſuo Imperio ſubjectum habuit totum orbem terrarum: ſed Deus regna, qui conſtituit & conſervat, ſingulis regnis ſuas conſtituit metas & fines, ultra quas progredi feliciter nulli potuerunt Reges.

Prima nempe Monacrhia, ut & ſecunda, terminũ fatalem habuit, Helleſpontum, anguſtum illud fretum inter Aſiam & Europam, non procul à Conſtantinopoli, ultra quem progreſſi tam

Chaldæi, quàm Persæ, semper magnis affecti fuêre cladibus: veluti accidit Dario in pugna Marathonia, quâ Miltiades Atheniensis profligavit Persarũ sexies centena millia; itemq; Xerxi, qui itidem numerosissimo exercitu expeditionem in Athenienses suscipiens, Hellespontum pontibus conjungi, flagrisq; cædi, & mari compedes injici jusserat; sed à quibus in mari primùm ad Artemisium, & in terra ad Thermopylas; ad Salaminẽ, & tandem ad Plateas & Mycenem, numerosissimo amisso exercitu, intra fatales limites revocatus est, teste Herod. lib. 7. 8. & 9.

Ultima Monarchia Romana, tempore Cæsaris Augusti, quando fuit potentissima & florentissima, versus Orientem fatalem habuit terminum Euphratem; versus Septentrionem verò, ut & cætera regna omnia, Tanaim, & montẽ Caucasum; ultra quem nemo ex Regibus aut Monarchis regni & potentiæ suæ limites protulit. Exemplo sunt Marcus Licinius Crassus, qui ex Syria provincia in Parthos profectus, trans Euphratem, unà cum filio, & toto fermè exercitu, cum ignominiâ & dedecore periit. Trajanus Imperator Ctesiphontem (urbs hæc est regia ad Euphratis ripam) quidem expugnavit, victriciq; manu Romanorum fines longiùs produxit; sed mox totum ferè Orientem, defectione populorum subactorum, amisit. Ctesiphontem, superato

nto Tigride, transire cupiens Valerianus Imperator, anno Christi ducentesimo sexagesimo à Sapore Persarum rege captus, miserâ apud eum ignobilique servitute consenuit. Carus Imperator (*anno Christi 283*) Probi exercitũ Sarmatico bello latè victorem in Persida ducens, hostile regnum vastavit. Seleuciam civitatem Euphratæ, quam olim ceperat Ælius Verus, Antoninus expugnavit. Ctesiphontem deinde petentem & longiùs progredi volentem, ictus fulminis, cælo turbido & coruscante, absumsit. Sic & Julianus Apostata (*anno Christi 363*) Alexandrum Magnum in Monarchia Persarum occupandâ æmulari cupiens, Euphratem cum exercitu transgressus justissimas suæ impietatis & tyrannidis pœnas persolvit. Sic nec versus Septentrionem ultra Mithridatis regnum in Ponto ascenderunt Romani. Sesostris rex Ægypti potentissimus, orbis imperium affectans, postquam totam Asiam victricib. armis percurrit, in Colchide tandem victus est, teste Diodoro lib. 1. c. 4. In eadem vicinia, à Thamyri Massagetarũ regina, victus & occisus est Cyrus Medus, teste Herod. libr. 1. Darius quoque Hystaspes Persarum rex, contra Scythas profectus, infectâ re, domum rediit. Author Herod. lib. 4. Alexander verò Magnus, feris Septentrionis gentibus non irritatus, portas Caspias ferratis repagulis obseratas clausit; ut gentes Scythicas hoc pacto ab Asiæ aditu arceret,

teste Plut. in ejus vita. Sic & Turcæ, in omnibus ferè bellis cum Persis, infelicissimi, maximis acceptis cladibus intra fatales limites subinde sunt revocati.

FLOS XVIII.

Fatales omnium Regnorum & Imperiorum periodi.

CUm omnem omnium temporum memoriam repetimus, certò constat, nullum unquam regnum, nullam unquam Rempublicam potentiorem, ultra quingentos annos floruisse; plurima terminum hunc non atigisse; nulla, aut paucissima, superasse; sed in quingentesimi anni momento, aut propè incidisse mutationes, quib. vel eversa ac deleta funditus, vel aliò translata desierint, vel in aliam novam sint transmutata formam: Multa quoq; circa medium hujus periodi defecisse reperiemus, vix ducentis quinquaginta annis completis. Aristocratia nimirũ Ducum populi Israëlitici, à Mosis vocatione ad regnum usq; Saulis, annos duravit quadringentos viginti octo. Regnum Judaicum ad exilium usq; Babylonicum, annis stetit quadringentis octoginta quatuor. Israëliticum verò regnum, sive Samaritanum ad decem tribuum in exiliũ perpetuum deportationem annis duntaxat ducentis sexa-

ſexaginta uno; à fine captivitatis Babylonicæ, Judæorumque reditu, duce Zorobabele, ad captam ab Herode Hieroſolymam, ſceptrique à Judæis ablationem, interceſſerunt anni quingenti completi; & ab hinc centum quatuordecim annis inſecuta πανολεθρία totius gentis Judaicæ. Aſſyriorum Monarchia à Nino uſque ad ejusdem diviſionem, & interitũ Sardanapali, annis ſtetit mille ducentis quadraginta duobus; atq; ita bis quingentorum annorum periodum, & ferè ejusdem dimidium complevit. Ab ejusdem cum Medis diviſione, Babylonicum regnum annos duravit ducentos octoginta ſex. Perſica Monarchia, quę à Cyro uſque ad Darium ultimum opibus & potentiâ floruit, poſt ducentos ſeptem annos armis Alexandri Magni disſoluta coruit. Græcorum Monarchia ab Alexandro inchoata, complexa initio penè maximam orbis terrarum partem, ſed tandem poſt longas ſucceſſorum hujus dimicationes ad diſtinctos Macedoniæ, Syriæ, Aſiæ & Ægypti reges devoluta, poſt ducentos octoginta duos annos, tota in Romanorum ſubacta eſt poteſtatem.

Atticum regnum ad Codri uſq; devotionem à Cecrope & interitum, poſtquam annos ſtetit quadringentos octoginta octo, mutatum eſt in Democratiam. Romani ſuis regibus ante conſtitutum Conſulatũ abrogarunt regnum, quinquennio ante dimidiæ periodi finem, h.e. anno

ab urbe conditâ ducentesimo quadragesimo quinto; à quo tempore usque ad Monarchiam Augusti, rexerunt Rempublicam Romanam, formâ gubernationis mixtâ ex Aristocratia & Democratia, Cōsules, per annos quadringentos septuaginta octo. Qui numerus à completâ periodo abest annis viginti duobus. Anno quingentesimo tertio, post constitutam Monarchiam ab Augusto Cæsare, Occidentis Imperium sub Augustulo Imperatore ultimo penitus concidit & esse desiit; barbaris & peregrinis populis toti Italiæ dominantibus; *adeò, ut etiam nomina sæpe sint fatalia; & regna in iis deficiant, à quorum nominibus inceperunt.* Sic nimirum Constantinus Magnus Constantinopolim & Orientis Imperiū incepit, Constantinus Palæologus ultimus amisit. Atque ita urbi huic idem accidit, quod oraculi versu Macedonibus significatum fuit: *ut Constantini nomen urbi fatale, & Constantinus imperans ἀγαθὸν καὶ πῆμα esset.* Sed ut eò, unde digressi sumus, redeamus; à Constantini Magni Monarchia, qui Imperii sedem ex Italia Constantinopolim transtulit, usque ad Caroli Magni Imperium, qui victis & domitis Longobardis, à quibus Gothi priùs erant debellati, Italiâq; exacti, Occidentis Imperium in libertatē asseruit, & ad Germanos transtulit, itidē anni ferè quingenti effluxerunt; apud quos à Caroli quarti tempore ultra ducentos quinquaginta annos per Electo-

Electores administratur adhuc. Hoc Romano-Germanicum Imperium, cum quo cętera quoq; regna vel cœperunt, vel incrementa sumpserunt, quia jampridem periodum sesquiunam complevit; metuendum est, omnibus his regnis magnas & fatales imminere mutationes, quas clementer Deus ut mitiget, & in regni quod nutat, gremio, Ecclesiæ suæ aliqua largiatur hospitia, ardentibus votis precamur.

FLOS XIX.

Circumactis regnorum periodis Principum perit authoritas, & mox sequuntur mutationes.

BElsazer Chaldęorum rex ultimus, Herodoto Labinetus, cùm vasa sacra, quæ Nabuchodonosor è templo Hierosolymitano ablata in Beli templo vel dedicarat, vel seposuerat, cum suis pellicibus & satrapis in convivio temulento profanaret, & contra Deum multa impiè effutiret; ecce manus Dei è pariete repente apparuit, hæc verba scribens: Mene, Thecel, Phares, h.e. ut Daniel cap. 5. ea postea interpretatus est, mensura, pondus, divisio. Mensus est Deus regnum tuum: pondere trutinæ inventus es levior: regnum tuum dividetur, & Persis tradetur. Nec ita longè pòst eâdem nocte, Babyloniis bella-

antibus, Cyrus per exiccatum Euphratis fluvii alveum milites introducens, urbe & arce occupatâ Belsazarem jugulavit: & Monarchiā Babyloniorū ad Persas transtulit *(anno mundi 3043.)* Literis his ignotis in parietis tectorium pictis, docemur, omnibus regnis certam divinitus destinatam periodum, quam non transcendunt; hac exactâ authoritatem Regum & Principum frangi & extingui: quâ amissâ, Imperiorum sequi mutationem non sine publicis & privatis calamitatibus. Sunt namq; Imperiorum mutationes, quæ plerunq; fiunt armis, dubio procul pœnæ publicorum & privatorū peccatorum; quas præcedunt utplurimùm in animis Principum errores consiliorum, & furores stolidarum cupiditatum, quibus extra metas feruntur; suasque furenter in clades ruunt, sibi quas noxiis accersierunt consiliis: ut veteres habent versus in oratione Lycurgi contra Leocratem:

Iratus ad pœnam si quos trahit:
Auferre mentem talibus primùm solet,
Caliginemq; offundit: ut ruant suas
Furenter in clades; sibi quas noxiis
Accersierunt ultrò consiliis mali.

Denique Principum authoritate perditâ, & mutatâ fortunâ, simul mutatur benevolentia in animis subditorum; & paulatim fiunt distractiones, aliis contra eos conspirantibus, aliis alibi novis rebus studentibus, & modò has, modò illas pro-

vincias avellentibus. *Sic cum fortuna Principum ſtatq; caditq; fides ſubditorum.* Documento ſit Sardanapalus, Aſſyriorum Monarcha ultimus; cujus exactâ periodo, cùm totus ille otio & voluptate diffluens, & inter pellices ſuos lanas trahens, nullâ planè gubernationis afficeretur curâ, in omnium odium offenſionemq; incurrit; unde quoque Arpaces Mediæ præfectus biennali eum obſidione preſſum, Ninivâ tandem captâ, cum ipſius ſcortis ad rogum compulit, atque ita Aſſyriorum regnum ad Medos transtulit (*anno mundi 3418.*) Exemplo quoq; ſit (ut alia innumera prætereamus) Zedechias regum Judaicorum ultimus, qui ſacramenti ſui immemor, nec Jeremię faciem erubeſcens, cùm ab Aſſyrio Nabuchodonoſore deficeret: ab hoc obſidione preſſus, exercitu intra mœnia fame & peſte abſumpto, in fuga tandem captus (*anno mundi 3365*) poſt triſte liberorum ſuorum internecionis ſpectaculum exoculatus, duabusq; catenis vinctus, Babylonem eſt adductus, & totum regnum exciſum.

FLOS XX.

Regnorum caſus præcipites.

NUnquam Regna aut Imperia his gradibus retroëunt, quibus ad ſumma pervenêre; ſępe inter fortunam maximam & ultimam; inter præ-

cipitia, aut summa; aut, ut Seneca ait, *inter solium & aliena genua nihil interest.* Testantur hoc & Medorum & Persarum & Lacedæmonum & Macedonum, omniumq; nationum ferè Annales; quorum Imperia, multorum temporum serie quæsita, uno & altero anno, penè dixerim die, decoxere. Nimirum ut magnæ arbores, quæ diu crevêre & auxêre, unâ horâ extirpantur, teste Curtio lib. 7. aut, ut in annua cæli conversione, mota sidera tonant, suosq; flexus pauxillâ tempestate significant: sic in Regnorum cõversione, ubi levi saltem motu intremuêre, externo vel interno bello, multorum annorum cumulatum Imperii corpus, subito turbine quassatum ad ima deturbatur.

FLOS XXI.

Ruinæ regnorum πρόδρομοι, τροφὴ, κόρος, ὕβρις καὶ ἀναισθησία publicarum calamitatum.

PEriodis Regnorum circumactis, cùm ad finem illa tendunt; ruinam proximè antecedunt, immanis luxuria, atrox legum & disciplinę contemptus, & domesticæ simultates atque seditiones. Primùm nempe in urbes irrepit τρόφη, (inquit Pythagoras apud Laërt. lib. 7. cap. 1.) h. e. luxuria & petulantia in apparatu conviviorum, vestitu,

vestitu, & reliquo vitæ cultu: *Luxuries*, inquam,

—prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Mēbraq; Circeis effœminat acribus herbis.
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior ulla
Interiùs: fucata genas & amicta dolosis
Illecebris torvos auro circumlinit hydros: ut

Claudianus canit in laud. Stiliconis.

Etenim ex hoc fonte prodit, quidquid in hominum vita est scelerum & calamitatum. Unde rectè Architas apud Ciceronem in Cat. maj. *nullam pestem capitaliorem in mundo* dixit, *quàm corporis voluptatem.* Hinc enim patriæ proditiones, hinc cum hostibus clandestina consilia nascuntur: nullum deniq; scelus, nullum magnum facinus est, ad quod suscipiendum voluptatis libido non impellat. Sen. epist. 84. alias luxuriæ pestes enumerans: Cogita, inquit, quas clades ediderit publica ebrietas; hæc acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc contumacissimos, & jugum recusantes, in alienum redegit arbitrium; hæc invictas acies mero domuit. Campana certè luxuria (ut est apud Val. Max. lib. 9. c. 1.) invictũ armis Hannibalem illecebris suis complexa, vinciendum Romano militi tradidit; illa vigilantissimum Ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti

vino,unguentorum fragrantiâ,Veneris usu lasciviore,ad somnum & delicias evocavit;ac tum demum fracta & contusa Punica ferítas est, cùm Seblasia ei & Albania castra esse cœperunt. Age, inquit,Xerxes opum regiarum ostentatione eximiâ, eousque luxuriâ gaudebat, ut edicto præmium ei proponeret, qui novũ voluptatis genus reperisset. Quanta,dum deliciis nimiis capitur, amplissimi Imperii ruina evasit! Belsazer quoq; dum temulentũ suis satrapis exhibet convivium, se & regnum perdidit,Daniel c.5. Quî ergo fieri potest,ut regna & Respublica,in quibus luxuria & deliciæ vigent,diuturnâ prosperitate fruantur?

Alter ruinæ Imperiorum & Rerumpublicarum gradus secundùm Pythagoram est, κόρος, saturitas nempe, fastidium, securitas, impudentia,legum & disciplinæ contemptus. Scilicet hic communis ordo vitiorum est in præpotente regno: ut potentia atque opes superbiam & confidentiam,confidentia securitatem,securitas contemptum,& hunc ruina comitetur. Ad hæc potentia magna magnas quoque divitias suggerit; divitiæ voluptates,voluptates omne genus vitiorum,quibus labefactari civitatum felicitas solet. Adeò omnib. Imperiis ex sese pernicies & ruina nascitur;quando auctis opibus,virtutes interim emoriũtur. Porrò plerunq; urbium & regnorum exitia totisque gentibus clades denunciant & accelerant ista quatuor: Enormium delictorum magni-

magnitudo, delinquentium multitudo, delinquendi consuetudo, naturã ipsam inficiens atq; depravans, & atrocium delictorum publicè concessa licentia atq; impunitas. Quæ consuetudinem in ἀναίδειαν sive impudentiam vertit, & mentes in effrenem & portentosam rabiem agit, ut instar brutorum erubescere nesciant, & scelera sceleribus annectere non desinant: donec eadem, clamore suo nubes penetrante, justam in se Dei vindictam provocent & concitent. Huc congruit Bonaventuræ istud dictum, quod lib. 3. Pharetræ c. 12. ex Sen. allegat: *Mali mala sua, quod malorum ultimum est, amant.* Tunc autem consummata est infelicitas: ubi turpia non solùm delectant, sed etiam placent; & desinit esse remedio locus, *ubi, quæ antea vitia fuerant, mores fiunt.* Exemplo sunt; tribus Benjamin deleta (*anno mundi 2533*) cùm jussi Benjaminitę nollent sistere cives Gibeanitas, qui Levitæ conjugem stuprarant, Jud 19. v. 20. Troja itẽ eversa (*anno mundi 2788*) propter Helenæ raptũ, cùm eam Paris Menelao marito nollet restituere. Dyctes Cretensis & Herod. lib. 2.

Lacedæmonii, qui cùm nollent punire nebulones, qui Scedasi viri inter Bœotios ditissimi filias per vim constupraranţ, sceleris q; occultandi gratiâ in puteum dejecerant; insequentib. annis eadem in regione (*anno mundi 3601*) à Thebanis ducibus Pelopidâ & Epaminondâ maximâ clade

victi sunt ad oppidum Leucræ. Quo prælio ipsorum opes ita sunt accisæ, ut nunquam deinceps recuperari potuerint, teste Pausaniâ lib.8. & 9. Corinthus à Romanis funditus deleta; *(anno mundi 3826)* cùm Corinthii impunitos dimisissent nebulones, à quibus Romanorum legati lotio fuerant perfusi. Vide Flor.lib.2.c.16. Pausaniam lib.7. Justinum lib.34. Alliana deniq; Romanorum clades *(anno mundi 3584,)* qui injuriam contra jus gentium Gallis illatam à tribus Fabiis, cùm non modò nõ punirent, sed hos ipsos quoque jurisgentium violatores præmiis afficerent; utpote quos in annum proximum tribunos militum consulari potestate crearunt: à Gallis ad fluviũ Alliã maximâ suorũ strage, in qua omnis penè flos Romanæ juventutis periit, sunt profligati; ipsaq; urbs, Capitolio excepto, incensa conflagravit. Autor Liv.lib.5. Flor.lib.1.c.13. Plut.in Camillo.

Tertium ruinæ regnorũ gradum Pythagoras nominat ὕβριν, h.e. injurias & contumelias, studium premendi alios per ambitionem, fastum & malevolentiam; domestica deniq; dissidia & seditiones: quas pestes proximè comitantur Imperiorum mutationes, quæ secum trahunt exitium, ruinam, & vastitatem. Nimirum quemadmodũ aquilæ pennæ primùm adjacentes, postea proprias plumas atterunt & absumunt; ita magna persæpe Imperia subjugatis variarum gentiũ

& na-

& nationum regnis, etsi antè & domesticis & externis bellis immota steterunt, à ꝓpriis mẽbris, nullo impellente, nonnunquã eversionis calamitatisq; venenum hausêre. Exemplo est tertia Monarchia post Alexandri Magni mortem à propriis Ducibus disrupta & dissipata *(anno mundi 3648.)* Sic & Græciæ civitates, tribus bellis Persis debellatis, seipsas everterũt, moto bello Pelopõnesiaco, & sacro sive Phocico *(anno mundi 3616.)* Sic & Romanũ Imperium *(anno mundi 3541)* cùm eousque crevisset, ut magnitudine laboraret suâ, atq; adeò jam majus esset, quàm ut ullis externis viribus extingui posse videretur; ipsum sese in exitium suum, Cæsare & Pompejo Ducibus, infirmavit & afflixit. Pari modo Occidentis Imperium *(anno mundi 3923)* primò discordiis successorũ convulsum, paulatimq; velut nervis incisis & solutis compagibus inclinatum ad ruinam, postea exterarum gentium impetu ac violentiâ graviùs impulsum, penè corruit: his per ruinas involantibus, & rudera diripientibus nemine prohibente, imò consternatis & trepidantibus omnibus. Sic & cùm domesticis bellis atque seditionibus enervatæ, & in contemptum adductæ essent vires Cõstantinopolitanæ, initio commoti suâ sponte, deinceps invitati quoq; & acciti ex Asia Turci, ex Europa Hispani & Itali; iique diversi & inter se dissidentes, Veneti, Pisani, Genuenses, Florentini, uno quasi impetu in reli-

quias miserè dilacerandas incubuerunt; donec Turci oppressis per partes Palæologis, Serviis, Bulgaris, Hispanis verò & Italis exclusis, Græciã omnem edomuerunt. Sic omnis ferè magna potentia non alienis & externis, sed suis dissoluta & dissipata viribus concidit.

Postremò, ut in ægro corpore medici pro lethali signo habent, quando ægrotus morbum non ampliùs sentit, nec, quid in toto corpore doleat, dicere potest: sic, quando publicæ calamitates non sentiuntur ampliùs, aut metuuntur, certum est, impendere totius regni aut Reipublicæ extremam eversionem. His signis Alexander Magnus magis, quàm ullâ aliâ re invitatus, Asiã & Darium, cùm jam nimiùm voluptatum deliciis obbrutuisset, aggressus, quod voluit, perfecit. De Pompejanis quoque scribitur, eos paulò ante ultimam cladẽ tam securos ab omni metu fuisse, ut inter apparatus magnificentissimos de summis magistratibus in urbe gerendis tractarint consilia. Sic & Judæi ante exilium Babylonicum (ut & deinceps ante πανολεθρίαν totius gentis) in mediis pœnis peccatis peccata cumulabant, & risum Sardonium ridebant; in qua populi ἀναισθησίᾳ καὶ ἀναλγησίᾳ, verè grave fuit Jeremiæ prophetæ, medicum agere istius civitatis animam agentis, & cum morte colluctanis. Quando enim Regna & Respublicæ suis urgentur fatis; *tunc doctâ plus valet arte malum.* Etenim ut in homine

mine jamjam expiraturo oculi caligant, & omnes ſenſus hebetantur,ac tandem amittuntur: ita quò propior eſt extrema pœna,eò magis creſcit in hominibus furor & amentia,cæcitas & ſecuritas, omnia malorum remedia ſpernens, nec ullum ſalutaribus conſiliis atque monitis locum relinquens. Adeò ruentibus regnis multa ſimul ruunt,& omnes ad ſalutem viæ præcluduntur:ut pernicies atq; ruina rabiosè attractæ, modis omnibus,ac ſcelere.

F L O S XXII.

Peſtes omnium Rerumpublic. præcipuæ φιλοτιμία, ambitio, πολυπραγμοσύνη, curioſitas, κακοζηλία & vindictæ cupiditas.

IN corde humano duo ſunt turbulentiſſimi & ſæviſſimi affectus; *ira* & *ambitio*: qui & facilè in magnis viris excelſoque loco natis,aut ad aliquod honoris dignitatisq; faſtigium evectis accenduntur;& accenſi latè turbant Imperia & vitam communem. Facillimè nimirum ad res injuſtas impellitur, ut quisque eſt animo altiſſimo,& gloriæ cupido. *Unde plerunq; maximi adducuntur,ut juſtitiæ eos capiat oblivio;cùm in Imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint:* inquit Marcus Cic.Offic.1.

Hæc certè tabes, ambitio nimirum, multorum mentes adeò occupat, ut obliti, se omni jure ad patriam conservandam obstringi, eam tamen sæpenumero seq; & cives suos obstinatis animis perditum eant; saltem ut honoris spem inanem & fumum quendam fortunarum, vitę & animarum suarum pretio emant.

Impotens verò ira, si furere cœpit, omni bestiâ truculentior & sævior; nec quicquam hominum societati & ipsi humanitati magis contrarium, quàm iracundia & vindictæ cupiditas: quippe, quæ magnâ ex parte radix est & origo tumultuum, bellorum, cædium, excidiorum & vastationum; ex quibus perpetuò mundus laborat. Sed nec minor Reipublicæ pestis, est stulta πολυπραγμοσύνη, extra vocationem ruens; quæ cum malevolentia semper est conjuncta: præsertim verò illa, quæ ingenii pertinaciâ attrahit bellum, de qua præclarè Sophocles: *Si putas cæcam pertinaciam esse rem præclaram, valde erras.* Utique enim, quando homines propriis consiliis fatales vincere conantur calamitates, nec Deo volunt cedere, sed sine vocatione & necessariis causis tumultuari pergunt; calamitates tandem & sibi & aliis cumulant. Quod & de κακοζηλίᾳ & stultâ æmulatione virorum heroicorum verum est. Ut enim magna cùm necessitatis, tum commoditatis; ita ingentis periculi res est, pleraque consilia & actiones suas aliorum exemplis ponderare;

derare; nisi eædem rationes, nõ universæ modò, sed singulatim omnes conspirent; & nisi pari utrinque prudentiâ tractentur: nisi deniq; præter cætera omnia suas etiam fortuna partes agat. Secus, consilia ejuscemodi omnia ipso ortu dubia, tractatu dura, eventu tristia esse solent. Exemplum harum Regnorum & Rerump. pestium luculentissimum exhibet nobis sacra pagina in Absolone; qui ob fratricidium patri, intercessione Joabi, vix dum reconciliatus, partim vindictæ cupiditate, partim ambitione, tanquam rabie & furore abreptus, contra eũ universum populum concitavit seditiosè; &, ut olim Phaëthon gubernationem currus paterni appetens, majora sibi, quàm pro viribus arrogasse legitur; ita & hic rudis & ignarus negotiorum atque periculorum, quæ regni administrationem comitantur, melioris status conditionem subditis arroganter est pollicitus. Sed ut Phaëthon currus auriga paterni magnis excidit ausis, & totam rerum naturam flammis involvit: ita quoque tantum abest, ut Absolon meliorem Reipubl. statum constituerit, ut patriam potiùs crudelissimo luctuosissimoq; , & planè parricidiali bello implicuerit; quippe in quo, domo & thalamis paternis publicè absque ullo pudore conspurcatis, perpetuâque infamiâ commaculatis, patrem fugientem armatâ manu diligentiùs, quàm vel infensissimum hostem persecutus, non conquievit, quoad omnia indicia,

atque argumenta hominis, omnis pietatis & humanitatis expertis, palàm ederet.

Unde quoque justo Dei judicio in hoc bello miserabiliter confossus, dignas suæ impietatis, ambitionis, & stultæ πολυπραγμοσύνης aliorumque scelerum persolvit pœnas, 2.Reg.15.16.17.18. Census populi à Davide (*anno mundi 2928*) actus, & stulta πολυπραγμοσύνη & mera superbia atque ambitio, quæ ipsum ad potentiæ suæ robur cognoscendum compulit, quantam stragem in populo ediderint, repentinâ pestis lue septuaginta millibus absumptis, itidem sacra testatur historia, 2 Reg 24. & 1.Paralip.22.

Amasias rex Judę (*anno mũdi 3118*) victoriâ de Idumæis paucâ suorũ manu partâ elatus, Joam regem Israëliticum, cui tamen non par erat potentiâ, bello petulanter lacessebat; quòd hic illum facetè admonuit, ficto apologo de carduo cedri filias ambiente, & à bestiis istius saltus vanam hujus arrogantiam cognoscentib. per contemptum conculcato; ne & ipse victoriâ semel partâ elatus, periculosâ istâ & infelici πολυπραγμοσύνη, stultâque temeritate & ambitione, malum sibi crearet; sed eâ admonitione repudiatâ, Amasias ad prælium egressus, expertus est fortunam hominum sine Deo pugnantium, & alios temerè provocantium. Desertus enim à suis in manus venit hostis; qui parte mœnium urbis Hierosolymæ dirutâ, thesauris sacris & regiis direptis,

reptis, acceptisque obſidibus, Amaſiam graviter multatum ægrè dimiſit incolumem, 4. Reg. 14. Zedechias rex, Jeremiæ prophetæ monita ſurdis auribus audiens, ſuisque viribus atque potentiæ plùs juſto confidens, κακοζηλίᾳ regum ſuperiorum urbis defenſionem fruſtrà parans; tum violatâ jurisjurandi religione Regi Babylonio rebellat, ſe & univerſum regnum perdit, 4. Reg. 25. & 2. Paral. 26. Sic & ante ultimũ Hieroſolymorũ excidium Judæi urbis & templi defenſionem contra Romanos movebantur exemplo Maccabæorum, qui parvâ ſuorum manu numeroſiſſimas Antiochorũ, Epiphanis & Eupatoris, itemq; Demetrii, Syriæ regum, eorumque legatorum copias multoties olim profligarant, plurimis ex his non rarò deletis, dextras eorum gubernante ipſo Deo: ſed quia non ſimiles his fuerunt, qui orando divinam armaturam è cælo tunc deportarunt: ideo ſtultâ & infelici hac κακοζηλίᾳ ſibi totique genti πανολεθρίαν accerſierunt. Philippo Macedonum regi penultimo quantum profuerit bellum, quod κακοζηλίᾳ incitatus ſuperioris Philippi Alexandri Magni patris (qui & ipſe multum negotii Athenienſibus olim fecerat, urbis libertati infenſus) urbi Atticæ movit, magnis ſuis cladibus à Romanis acceptis eſt expertus. Æoli, qui bello Macedonico primo contra hunc Philippum ſociatum Romanis junxerant arma, hoc debellato offenſi, quòd nõ ex ipſorum

arbitrio Macedonia Philippo esset adempta, ipsisq; in belli præmium data, Antiochum (*anno mundi 3780*) in Romana bella impulerunt, atq; ita irrequieti sibiipsis foveam foderunt. Eo namq; victo, cùm soli adversus Romanos & viribus impares, & omni auxilio destituti remansissent; ab his paulò pòst & ipsi domiti, imperata facere sunt coacti. Sic ergo Ætolos ambitio & vindictæ studium in exitiū præcipites egit, ipsâq; libertate, quam illibatam adversus dominationem Atheniensium & Spartanorū inter tot Græciæ civitates soli retinuerant, tandem privavit. Adeò res misera est, non solùm vindictæ cupiditas, sed & ambitio & appetitio principatus; *ut cælum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, multi exoptent*; quod Varro dixit apud Nonium. In hæc, & similia exempla, quorum totus orbis plenus est, intuentes Reges & Principes, cæteriq; ad clavum Reipubl. qui sedent, Spartam quam nacti sunt, hanc ornent; & juxta Siracidæ præceptum c.3. *quæ mandata ipsis sunt, sanctè cogitent:* nec fiduciâ propriæ sapientiæ aut potentiæ res periculosas & non necessarias suscipiant. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* Modum præterea donorum suorū agnoscant, vel potiùs imbecillitatis suæ memores, in sua vocatione non tentent ea, quæ vident magnâ cum laude à viris heroicis esse gesta, nisi ipsi quoque à Deo supra communem hominum infirmitatem sint instructi

structi

ſtructi excellentibus illis donis, ſapientiâ, virtute & felicitate, quibus illi. Humanitati denique, & manſuetudini ſtudeant, nec propter privatum dolorem, Rempublicā turbent; denīq; operam, *ut ſint tales, quales videri cupiunt*; quæ, teſte Cicerone in Officiis, rectiſſima eſt ad gloriam via.

FLOS XXIII.

Omnia Regna evertunt idololatria, tyrannis & libidinum confuſiones.

INter omnia peccata Deus præcipuè deteſtatur, ſeveriſſimeq; punit, teſte ſacra pagina Deuter. 27. Eſaiæ 33. ad Heb. 13. idololatriam, tyrannidem & libidinum confuſionem. Idololatriam quidem, quia crimen eſt læſæ majeſtatis divinæ; Tyrannidem, quia mater eſt omnis injuſtitiæ; Libidinem denique, quia pecudem illa ex homine reddit, quem ipſe Deus ad imaginem ſuam creavit; & quia hæc peccatorum trias polluit & contaminat omnes vitæ humanæ Ordines, Eccleſiā nempe idololatria, Regna & Politias tyrannis, œconomias denique libidinum commixtiones; ideo proximas eas cauſas προκαταρκτικῶς everſionis omnium Regnorum eſſe, omniū gentium & populorum teſtantur hiſtoriæ. Diluvium certè

orbis terrarum catholicum, hæc ſcelerum trias invexit, Gen.6.& 7. anno mundi 1657. Hæc Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim & Segoren cæleſti igne & ſulphure incendit, Gen.19. Ezech.16. Ubi cauſas tam horrendi ſupplicii propheta recenſens: Ecce, inquit, hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: 1. Superbia, i.e. Epicureus contemptus verbi divini. 2. Saturitas panis, i.e. in cibo & potu luxuries, aliæque voluptates. 3. Abundantia otii, i.e. neglectio munerũ vocationis neceſſariorum. 4. Crudelitas & immiſericordia erga pauperes; quibus gradib. tandem conſcenderunt ad vagas libidines, & alias præter naturã conſuetudines. Ex hac ſcelerum triade, idololatria præcipuè regnum Iſraëliticũ poſt mortem Salomonis primùm dilaceravit, & ab hujus poſteris avulſit, duodecim tribubus in duo regna distractis, 3. Regum 12. quorum alterum exinde, nempe Samaritanum, penitus exciſum, per Salmanaſſarem Aſſyrium in perpetuum deportavit exilium, 4. Reg. 17. Alterum Judaicum, ſive Hieroſolymitanum per Nabuchodonoſorem Babylonem deportatum, ſeptuaginta annorum captivitatem ſubire coëgit, 2. Paral. 36. Prima Monarchia primùm ob Sardanapali libidines dilacerata, partim Phul-Belocho Aſſyrio, partim Arpaci Medo ceſſit; dehinc ob horrendas Sennacherib in Deum blasphemias & tyrannidem ad Babylonios; & tandem itidem ob Balzaaris in Deum blas-

blasphemias, impietatem & temulentiam, ad Perſas eſt translata; juxta illud Syracid. c. 10. *Propter injuſtitiam transferuntur regna de gente in gentem.* Ob inceſtas regum Perſarum cum ſororibus nuptias, & tyrannidem in populum Judaicum, Deus per Alexandrum Magnum Perſicam potentiam, quæ maximam complexa erat orbis terrarum partem, penè momento evertit. Poſtea quoque per Romanos regnum Macedonicum ſuſtulit, & reges Macedonicos multiplicibus ſceleribus infames; reges item Syrios, & Ægyptios, fractos voluptatibus, & cùm inceſtis nuptiis, tum immani ſævitie in populum Judaicum toti terrarum orbi notâ, aliisque flagitiis contaminatos. Propter Helenæ raptum, quam PARIS à Menelao marito abduxerat, urbs Troja olim ſolo æquata. Nec disſimili de causâ Thebana mulier, à Phocenſe quodā amoris ſtimulo rapta, bello ſacro inter Phocenſes & Thebanos cauſam præbuit. A ſimili libidinum occaſione, Lucumonis Cluſini, per Acurvem civem Hetruſcum, cujus conjugem ille rapuerat, Galli lenones attracti in Italiam, octodecim Tyrrhenorum maximas urbes, gente eâ oppreſsâ, in ſuam redegerunt poteſtatem, quæ Italiæ pars poſtea generali appellatione Gallia togata & Cisalpina eſt nominata. Nos eam hodie nuncupamus Longobardiam. Superioribus aliquot ſeculis, propter Arrianorum in filium Dei blasphemias,

totus Oriens pœnas dedit, vastatus armis Turcicis; ad quas cùm alia flagitia, tum libidinũ quoq; turpitudo accessit. Caroli Andegavensis tyrannidem, Gallorumq́; libidines, quibus mulieres & virgines Siculas stuprabant, execrantur Vesperę Siculæ; quib. sub vesperam festi Paschatis, Galli, qui in Sicilia fuêre, omnes interfecti sunt; infantes ab uberibus maternis rapti, sicilibus illisi, gravidæ dissectæ, ut fœtus avulsi feris objicerentur. Mutationi in Helvetia factæ, vindicanti se in libertatem, causas præbuerunt inclementiora & injustiora imperia illorum, qui pro Imperatoribus illa loca administrarunt, & ὕβρις nobilitatis: inprimis verò præfectorum Suitensis & Undervvaldensis, quorum ille ad scopũ collocato Suitensis civis filio, & supra pueri caput imposito pomo, coëgit patrem ad pomum ceu metam jaculari; quâ re, ausu insigni, feliciter peractâ, filio illæso, patrem vinctum secum abduxit; quo in itinere excussis compedibus sic tyrannum trucidavit: Alter, adulterio per vim & contumeliam, conjugi civis Undervvaldensis oblatos causam conjurationi præbuit. Atque his ex historiis omnibus satis superque intelligimus, Deum apertis esse oculis, & paratâ manu, ad observandos, temporeque opportuno plectendos, non solùm ipsos scelerum authores, sed etiã Regna & Respubl. à quibus tolerantur: juxta illud in lib. Sap. *Potentes potenter tormenta patientur.*

FLOS

Flos XXIV.

Regna & civitates eversæ nunquam pristinam recuperant dignitatem.

Regna & civitates etsi tristi aliquo quassatæ casu in meliorem restitui possunt statum: cùm tamen prorsus deletæ sunt, nulla amplius spes est instaurationis. Etenim, ut homo vivus ex adversis rebus eluctari potest, mortuo nihil spei in hac vitâ superest: ita quoque regnorum & urbium, quæ opibus & gloriâ floruerunt, mors est desertio & vastitas. Et quemadmodum ex corpore humano, in cadaver quod transiit, nascuntur quidem animalia, vermes nempe putridi, ex materiâ corporis humani, in aliam formam & substantiam degenerantes; ita quoque ex subversione Regnorum & Imperiorum magnificorum videmus, vel tantùm nomen & umbratilem imaginem hodie legi, vel minutum quendam inde natum principatum; & Imperia in Regna exigua, vel in Ducat⁹, vel in Provincias, vel aliud quippiam vilius degenerasse, tanquam ex cadavere maximi Imperii. Exemplo est regnum Ægyptium florentissimum, quod post Cenchrem Pharaonem in mari Erythræo subversum, nunquam recuperavit pristinam dignitatem; quod

ſub regibus Perſicis, à quibus ſubinde deficiebant, prorſus defloruit: reſtitutum exinde (*anno mundi 3649*) à Ptolomæo Lagi filio, poſt Cleopatræ mortem, à Romanis in provinciæ formam eſt redactum; à Saracenis poſtmodò ſubactum (*anno mundi 3942*) in Turcarum tandem, poſt Campſonis Gaurii Suldani cædem, ceſſit poteſtatem. Sic & regnum Babylonicum, poſt everſam ejus Monarchiam à Cyro (*anno mundi 1517*) nihil fuit ampliùs, ipſaque Babylon omniū, quas unquam ſol aſpexit, urbium maxima, jam nihil præter muros reliqui habet; quorum ambitu tantùm omnis generis beſtias coherceri, ſcribit Divus Hieronymus comment. lib. 5. in Eſaię c. 13. Regnum Hieroſolymitanum à Nabuchodonoſore everſum poſt 70 annorum captivitatem (*anno mundi 3365*) à Judæis poſtliminio reverſis, inſtauratū quidem eſt; ſed quantula Principum fuerit poteſtas atque dignitas, Judaica loquitur hiſtoria: quippe ſub quibus urbis Hieroſolymæ & templi inſtauratio modò à Perſis (*anno mundi 3443*) modò à Samaritanis & vicinis populis aliquoties prohibita; urbs poſtmodò ipſa à Syriæ regibus duriter *anno mundi 3803 & ſeq.* afflicta, exinde à Pompejo Magno expugnata, & in Romanorum poteſtatem redacta (*3909.*) à Tito tandem Imperatore penitus exciſa, & ad extremam redacta ſolitudinem; nunc tota in ruderibus jacet. De regnis in Græcia olim florentiſſimis,


mis, hodie ne nomen quidem supereſt. Mycenæ, quæ urbs Troicis temporibus Græciæ universæ imperabat, & regia Aſſyriorum Mines, funditus deleta ſunt (*anno mundi 3504.*) In Bœotia verò Thebæ, quæ ſibi olim Græciæ principatum vendicabant, ad arcem jam unam, & non ita multos incolas redactæ, vetus nomen vix dum ſervant: jam verò quæ cunctas urbes opum magnitudine antecellebat Ægyptię Thebæ, & Minyarum Orchomenos, ne mediocres quidem nunc privati hominis fortunas adęquant: quemadmodum de his urbibus ſuo ſeculo ſcripſit Pauſanias, cui Ovidius ſuffragatur Metamorph. 15.

——Magna fuit cenſuq; viriſque,
Perq; decem potuit tantum dare ſanguinis annos.
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas
Et pro divitiis tumulos oſtendit avorum.
Clara fuit Sparte, magna viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces:
Vile ſolum Sparta eſt, altæ cecidere Mycenæ:
OEdipodioniæ quid ſunt, niſi nomina, Thebæ?

Adeò de omnibus regnis & civitatibus verum eſt Maronianum illud Georg. 1.

—— —— Sic omnia fatis
In pejus ruere, & retrò ſublapſa referri.

D 5



FLORUM HORTULI HISTORICO-POLITICI

Corona secunda.

De Regum & Principum dignitate & officio, eorundemq; in tyrannos degenerantium naturâ & interitu.

FLOS I.

Reges & Principes à DEO.

QUemadmodum Regna & ordo in Imperiis, DEI sunt opera, & ex summo illo divinitatis fonte, qui in altissimo & secretissimo latet, qui reficit nec deficit, ut & alia omnia bonorum genera manant: ita quoque Reges & Principes à Deo sunt. Hic nimirum, quemadmodum bestiis & cæteris rebus gubernatorem præposuit hominem; ita & ut hominum societati, sine qua bene vivere nemo potest, consuleret; humano generi qui præsint, quosdam omnibus temporibus dedit Reges & Principes. Hinc sacrâ paginâ attestante, nec Israëliticum populum, quem sibi dixit & fecit peculiarem atq; electum, sine Duce & Principe in terris unquam esse voluit, nisi quando

quando pertinacem illius ingratitudinem coërcere necesse habuit: ideoque suscitavit illis Mosen, Josuam & alios Duces atque Reges, qui eum in virtutibus & legum præscripto regerent, innoxiéque & rectè imperando Dei ipsius figurã inter homines repræsentarent. Magnum ergo & necessarium bonum est Princeps, qui, ut Deus unus imperat in magno mundo; & ut divina anima in homine, parvo mundo; & ut anima rursum in corpore; sic ipse in sua Republica, tanquam in proprio corpore, cujus ipse est caput, membra verò sunt, qui in ea degunt. Nec enim regnum sine Rege aliud est, quàm corpus sine pectore aut capite: nec turba sine Duce aliud, quàm belua multorũ capitum: quæ Cyclopum est Respublica, vel potiùs Anarchia, in qua, secundùm Euripidẽ, ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός, *nemo cuiquã ulla in re obtemperat, sed ex libidine geruntur omnia.* Dum autem unusquisque secundùm voluptatem suam cogitat vivere, regulam cognoscitur omittere disciplinæ; ut est apud Cassiodorum lib.7. var. hist. c.17. Unde non abs re, pro radice omnium malorum, quæ tum inter Israëlitas grassabantur, notatur, Judicum 17. & 21. populum isto seculo destitutum fuisse Rege, & quemq; quod sibi rectum videbatur, hoc egisse. Hominis namque superbia, dum putat omnia sibi licere, rebus omnibus abutitur; atque ita seipsum in barathrũ perditionis corporis & animæ

dat præcipitem. Fieri enim non poteſt,quin e-
jusmodi regnũ Principe deſtitutum peſſum eat;
non aliter ac navis gubernatore carens,mediis in
fluctibus & undis jactata;aut currus ſine aurigâ
à furibundis equis raptatus. Inprimis verò ma-
gnum donum Dei ſunt,Principes boni,divinitus
inſtructi excellentiâ virtutum & felicitate,qui re-
ctè ſuum faciunt officium,& res gerunt neceſſa-
rias ac ſalutares;cujusmodi in regno Judaico fu-
erunt Moſes,Joſua, Gideon,Simſon,David,Sa-
lomon,Joſaphat,Ezechias,Joſias: in regno Per-
ſico,Cyrus; in Romano Imperio,Auguſtus Cę-
ſar, Conſtantinus Magnus, Theodoſius Ma-
gnus,Juſtinianus,Carolus Magnus,& nonnulli
alii,ut & cæteris in regnis atque principatibus
nonnulli; ſed quorum omnibus temporibus
ſumma fuit paucitas,adeò ut rectè à Claudio di-
ctum legatur, *omnium bonorum Principum ima-
gines in uno annulo ſculpi poſſe.* Neq; verò ſolùm
boni & ſalutares Principes à Deo dantur,qui ſint
ποιμένες λαῶν,& patres patriæ,quos nomine ſuo
auguſtiſſimo Deus ipſe dignatur: ſed nec rarò
malis quoque à Deo conceditur Imperium,qui
ſunt partim mercenarii, tranquillis temporibus
mediocriter facientes ſuum officium. At in pe-
riculis minimè firmi,ignavi item otioquę dediti,
de religione,diſciplinâ,judiciis parum ſolliciti,
quæſtores denique ſuos exſugentes & deglu-
bentes;cum fucis idcirco mella ab apibus con-
geſta

gesta devorantibus,interim ipsis nihil laborantibus comparandi; cujusmodi in regno Judaico fuêre Roboamus, Abia, Asa, Osias; in regno Persico Darius; in Romano Imperio Tiberius, Honorius, Constantinus Romani Imperatoris filius; Wenceslaus,qui complures in omnibus regnis & principatibus habuerunt & reliquerunt complices & commilitones. Partim verò sunt lupi, miseras oviculas diripientes & dilaniantes, tyranni nimirum, quorum anima ex libidine & crudelitate est conflata; cujusmodi in regno Judaico fuêre Choran,Joas, Achas,Manasses, & filii Josiæ;in regno Persico Cambyses; in Imperio Romano Caligula, Nero, Domitianus, Decius, Diocletianus, & innumeri alii in omnib.regnis, quorum exemplis omnes historiæ sunt refertæ.

Non est ergo potestas,nisi à Deo vel jubente, vel sinente: ut Paulinum illud ad Rom.13.explicat Augustinus contra Faustum Manichæum lib.2.c.75. *Nec est Princeps,nisi à Deo vel jubente, vel sinente:* quod ita explicatur ab Origene Homilia 4.in lib.Jud. *Non semper Princeps populi & Ecclesiæ judex per Dei arbitrium datur; sed ut merita nostra deposcunt.* Si mali sunt actus nostri,& operamur malignũ in conspectu Domini, dantur nobis Principes mali: si verò boni sint actus nostri,dantur nobis Principes secũdùm cor nostrum.Et hoc tibi de scripturis probabo. Audi namq; quod Domin⁹ dixit Oseę c.8. *Fecerunt sibi*

Regem, & non per me: Principem, & nō per consilium meum. Et hoc dictum videtur de Saulo, quem utique Deus elegerat, & Regem fieri jusserat; sed quia non secundùm voluntatem Dei, sed secundùm peccatoris populi delictum fuerat electus, negat eum cum suâ voluntate & consilio constitutum. Quibus ex verbis colligitur, *duplicem esse principatum: bonorum, ex voluntate Dei; & malorum, ex ejusdem permissione.* Permittit autem Deus malos sępenumero Principes ad Reipublicæ clavum sedere tribus potissimùm de causis. Ac 1. quidem, ut per ejusmodi tortores vindicet peccata populi, Job 34. v. 30. Unde in sacro Codice passim legimus, populum Israëliticum à verâ religione desciscentem, & majorum scelera sceleribus cumulantem, sub variis tyrannis, Deo ita permittente, duriſſimo multorum annorum servitutis jugo pressum, Jud. cap. 3. 4. 6. 11. 12. Et tandem etiam (*anno mundi 3365*) ab Assyriorum rege Nabuchodonosore in exilium septuaginta annorum Babylonem deportatum, 2. Paral. 36. Unde & Assurem apud Esaiam c. 10. Deus vocat virgam & baculum sui furoris, per quem impios flagellare disposuit. Solet nempe Deus, ut pulchrè divus Hieronymus loquitur, *improbitatem aliquando improbitate, & calamitatem calamitate vindicare*; cùm ad improbos puniendos, tanquam instrumentis quibusdam & flagellis utitur improbis tyrannis; quorum vi

& cru-

& crudelitate orbis terrarum ruit, cùm in nobis peccata non ruunt. Sic ergo *non est malum in civitate, quod non creavit Dominus*, Amos cap. 3. & Esa. c. 45. Malorum nempe pœna malum quidem est malis, sed in bonis Dei operibus est; *quia justum est ut mali puniantur*: ut Augustinus hoc explicat in lib. Retractationum. Deinde malis quoque à Deo permittitur regnum & potestas; ut pii ab iis agitati, quasi frenis quibusdam in officio contineantur: eorumque fides & in vera religione constantia magis magisque exerceatur; & Dei ipsius quoque gloria hostibus ipsis illustrior & conspectior reddatur. Exemplo sunt cùm aliæ innumeræ, tum inprimis decem istæ catholicæ Christianorum persecutiones sub impiis Imperatoribus Romanis: quibus tantum abfuit, ut Ecclesia Dei oppressa fuerit, ut indies subinde creverit. Unde & Severus Imperator ex sanguine Christianorum novam subinde animadvertens pullulantem propaginem, eamque majorem indies & auctiorem *semen Ecclesiæ sanguinem esse piorum dixit*. Nimirum, ut Cassiodorus super Psal. 1. eleganter scribit: Novit Ecclesia, beneficio Domini, triũphare de suis cladibus: ingravata siquidẽ persecutionib. proficit; afflictionibus semper augetur, sanguine martyrum irrigatur, tristitiâ magis erigitur, angustiâ dilatatur, fletibus pascitur, injuriis reficitur; *& inde potiùs crescit, unde mundus deficit*. Tandem malum

quoque nonnunquam Deus ad regium solium evehit,ut hoc beneficio ad pœnitentiam eum invitet,ad Rom. 2. Quem,si in impietate pertinaciter perseveraverit, eò profundiùs postea dejicit,juxta illud in Salomonis Sapientia c.6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Exemplo est Jeroboamus,decem tribuũ rex, à propheta Ahia, vivo adhuc Salomone,designatus;cujus ob idololatriæ peccatum, tota ipsius stirps,statim in limine regni, improbi filii Nadabi,est excisa,3.Regum 15. Exemplo item est Saul,ex abjectissimâ tribu Benjaminis,& obscurissimâ familiâ ad regnum Israëliticum à Deo evectus; sed nõ multò pòst ob hypocriticam pietatem ab eodem rejectus;qui exinde à spiritu malo agitatus cùm duram exerceret tyrannidem, nec Samuelem curaret, & in sacerdotes innoxios capitalem ferret sententiam; tristissimo tandem & miserrimo interitu suo docuit,divinam justitiam etiam à Deo unctis non parcere, quando suam illi consecrationem sanguine innoxio aspergunt, divitiasque bonitatis Dei impiè contemnentes furenter in suum se præcipitant exitium. Hujus rei in aliis quoque,Israëliticorum, Ethnicorum & Christianorum Regibus atque Imperatoribus,significantissima habemus exempla; ut in Achabo, ejusque domo; Manasse,Zedechiâ,Herode,Antiocho, Nerone, Juliano apostata & aliis innumerabilibus. A Deo autem esse Reges & Prin-

cipes,

cipes, evidentissimum est argumentum, divina eorundem in summis periculis atq; insidiis protectio & conservatio. Exemplum luculentissimum exhibet David, quem Saulus propter affectati regni suspicionē acerrimè persecutus, tam fraude & dolo, benevolentiæque simulatione, quàm apertâ vi & armis, è medio tamen tollere non potuit, 1. Reg. 18 & seqq. Exemplo item est Jeroboamus Satrapa Salomonis, decē tribuum rex à propheta Ahia designatus; qui famâ istâ pervulgatâ, ut manus effugeret Salomonis, vitæ ipsius insidiantis, in Ægypto apud Sesacū regem usque ad Salomonis mortem delituit, 3. Reg. 11. Exemplo denique in sacro Codice est Joas rex Judæ, infans, à cæde Attaliæ, quę regiam Davidis stirpem parricidio extinguere moliebatur, liberatus amitæ suæ Josebetæ prudentiâ, quæ sex annis ipsum in aditu templi clàm educabat, donec anno ætatis septimo à sacerdote Jojada, nec quicquam Attaliâ resistente, oleo consecratus, puer diadema regium accepit. Hujus rei exempla in profanis quoque historiis non pauca repeniuntur; Astyages, Medorum rex, metuens sibi in regno successorem nasci ex filiâ Mandane, juxta sibi revelatum somnium; necare ex ipsâ natum filium Cyrum voluit, teste Herodoto lib. 1. Voluit & Amulius oppresso fratre Numitore, regnū Albanum in suos transferre posteros, filiâ ipsius Iliâ sive Rheâ Sylviâ carceri mancipatâ, & hujus

filiolis infantibus, Romulò & Remo, in profluentem exponi atq; necari justis, teste Livio lib. 1. Justino lib. 43. Sed neuter voti sui compos fieri potuit. Cyro namq; divinâ providentiâ servato Monarchia Persica erat destinata; à Romulo verò jacienda erant fundamenta ejus Reipublicæ, cui quarta destinata erat Monarchia. De Tito Vespasiano memorat Suetonius, eum duos patricios in manifestâ adversum se conspiratione deprehensos, deductos in spectaculum, utrumq; sibi assidere jussisse; petitoque ex industriâ gladio Mirmillonum, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri dedisse, quibus perculsis, & constantiam mirantibus, in hæc ille verba erupit: Videtísne potestates fato dari, frustraque tentari facinus, potiundi spe, vel amittendi metu?

Idem cùm propiùs ad mœnia Hierosolymæ explorandi causâ accederet, neque galeâ, neque thorace septus; licet multis erumpentium hostium telis peteretur, nullum tamen in ejus corpus delatum est; sed tanquam, ne ipsum ferirent, ex industriâ mitterentur, omnia prætervolabant, teste Josepho lib. 6. belli Judaici c. 3. Quo sanè tempore maximè intelligi potest, & belli momenta, & Imperatorum pericula Deum curare. Historias Augusti & Tiberii Cæsarum, itemque Henrici tertii, Henrici quarti, Friderici primi, & Caroli quinti, Imperatorum Romano-germanicorum & aliorum Regum, divinitus ab insidiis & peri-

& periculis conservatorum, recenset Camerarius Tom.1.meditat.histor.c.30. & 98. Memorabilis quoque est historia Henrici barbati, Ducis Silesiæ, qui in villa quadam majoris Poloniæ, Gaussona (*anno Christi 1227*) (ubi totius Regni conventus à Lesco Poloniæ Principe erat indictus) in balneo à sicariis Suandopulzi Pomeraniæ Principis petitus, jamq; ex vulneribus collapsus, divinitus tamen ex mediâ morte retractus & servatus est, virtute aulici sui Viesenburgi, hominis Germani, qui seipsum gladiis hostiū objecerat, gladioque transfixus, demum in Henricum se perjecerat; qui post sicariorum discessum sese recolligens, lectica clam Vratislaviā est delatus, teste Cureo in Annal.Siles. Sic & olim Alexander Magnus (*anno mundi 3638*) cum satrapis Darii ad Granicum, Phrygiæ fluvium, dimicans, divinitus est servatus virtute Clythi sui ministri, ut Arrianus scribit lib.2. & Curtius lib.3. Pari modo superiori seculo, patrum nostrorum memoriâ, Mauritius Dux Saxoniæ, in bello Pannonico voluntariè militans, cùm è castris quodam die progressus, uno saltem comitatus satellite, in Turcas aliquot incidisset, & inter dimicandum equo confosso in terram prosterneretur, famuli sui toto corpore superincumbentis, & tantisper hostes demorantis atque sustinentis, donec equites supervenirent, qui Principem eriperent, virtute vitam retinuit; ille verò plurimis acceptis

vulneribus, in castra relatus, non multò pòst interiit. Vide Sleidanum lib.15.

Hujus rei quoque luculentissimum exemplum exhibent nonnulli Principes divinitus è carcere ad regnum evecti. Utique enim & hoc mirandũ Dei est opus, ex pulvere & luto inopem & miserum attollentis, & inter Principes collocantis, soliumque gloriæ tanquam hereditatem ipsi attribuentis; utpote *cujus sunt columnæ terræ, super quas urbem fundavit*, Psal.113. & 1.Reg 2. Horum è numero est Josephus patriarcha, primùm quidem pro mancipio in Ægypto venditus, postea quoque compedibus ferreis vinctus, neque minùs animo, quàm corpore constrictus, donec tandem tempore constituto, mentio de eo apud Regem fieret; & sermo, quem Jehova ipsi Regi suppeditarat, quis & quantus vir esset, declararet. Tunc igitur illũ, missis nuntiis, Rex ipse nõ modò vinculis exsolvit, verùm etiam aulæ suæ præfecit, adeoque rerum omnium administrationem ei commisit; attributâ quoq; illi in maximos quosvis Ægypti Principes arbitrariâ potestate; ut & ipsos magistratus Ægypti sapientiâ suâ consiliisq; regeret, ut regius propheta canit Psal.105. Sic & Matthias Corvinus à Ladislao, posthumo, rege Ungariæ & Bohemiæ, catenis vinctus, in Bohemiam abductus: hoc paulò pòst in nuptiarum apparatu extincto, dum ipse capitalem trepidus expectat sententiam, è carcere

ere ad Ungariæ regnum vocatus (*anno Christi 1458*) cum maximâ pompâ Budam Rex coronandus est profectus. Matthiæ Corvini casibus haud dissimilis fuit fortuna Jacobi Lusignani, quem in Petri Cypri regis adhuc pueri coronatione (*anno Christi 1372*) controversiâ inter Venetos & Genuenses de superioris honoris loco ortâ, cùm Jacobi hujus regis patrui operâ quidam Genuensis nationis cæsi essent, Genuenses ut injuriam & cædem istam ulciscerentur, ingenti classe in Cyprum missâ, & urbe Famagustâ deditione captâ, vinctum abduxerunt, & per novem annos in turri arctissima custodierunt; eum tandem (*anno Christi 1383*) Petro absque liberis extincto, Cypriis populis Regem petentibus, libertate donarunt. Pari modo Ismaël secundus Persarum rex è carcere, in quem à patre Tamaso (*anno Christi 1576*) conjectus, ad mortem usque ejus asservabatur, ad regnum evolavit; ut author est Leonclavius parte secũdâ annal. Turcic. Non multò dissimilem fortunam expertus est Gustavus, Erici obses, præter fidem datam captivus in Daniam abductus à Christierno Rege (*anno Christi 1523*) inde mutato habitu elapsus, in venatione ad regnum Suetiæ potentissimum, ex afflictissimis initiis & desperatâ penè fortunâ, divinitus evectus. Vide Chytræ. Chron. lib. 9. Hoc flosculo pius Princeps admonitus, majestatem & potestatem omnem à Deo profluere; & ab ipso

Reges & Principes, & quicunque rerum potiuntur, & rebuspublicis præsunt, tam benignè respici & defendi; se & suam ditionem, & quicquid habet dignitatis, opum & fortunarum, in Dei manus & voluntatem assiduè commendet; spiritumque sapientię & fortitudinis ab ipso seriò petat, ut norit, quid in hac functione sua sibi agendum, quídve fugiendum sit; & cum Davide in solius Dei præsidio fiduciam suam collocet, non in equis & curribus, non in arcibus & munitionibus; subindeq; in memoriam sibi revocet tristissimum Nabuchodonosoris exemplum, qui fastu turgidus, suisque viribus & sapientiæ, potestatem suam stultè arrogans, divinitus è regno ejectus, in solitudine sylvestri bovis usus pabulo, cælique tempestatibus sub dio obnoxius, mente atq; sensu animante bruto nihil sanior, malo suo didicit, *Dei solius regnum perpetuum esse regnum, & potestatē ejus immensam potestatem*; ad quem universi terrarum incolæ nihil sunt; *nec esse quenquam, qui ejus manum impediat, aut ab ipso facti rationem exigat*, ut est apud Daniel. prophet. c. 4.

Subditi verò ex Apostoli præcepto 1. ad Timoth. 2. pro Principibus & Regibus assiduas ad Deum fundendas preces meminerint; *quia in illorum pace*, ut Jeremias ait c. 29. *etiam nos fruemur pace.*

FLOS II.

Reges, Dei, Regum Regis, vasalli.

EST quidem Rex in suo regno, quod Deus in universo mundo, quem in suo ille collocavit solio, ut jus & justitiam administraret; quem idcirco honorifico quoque passim Dei ipsius sacra pagina indigitat nomine: sed tamen utriusque longè diversissima est jurisdictio & potentia. Nimirum ut Dei regnum nullis limitibus est circumscriptum; utpote qui cæli & terrę omniumq́; quæ in eis existunt & comprehenduntur, est dominus proprietarius, (omnia siquidem ipse ex nihilo creavit) ita quoq; ejusdem jurisdictio est immensa, & potentia infinita. Ipse enim, ceu omnium dominus, in sua potestate ima terrarum penetralia & altissima montium juga plenumq́; jus in universum mare obtinet, ut Psalmus canit 95. Quam Dei majestatem & potentiam David rex præterea multis verbis celebrat & prædicat, 1. Paral 30. Verè itaque magnus est Jova, & Rex omnibus diis, h. e. sublimioribus potestatibus superior suâ authoritate, & per se regnat; nec regnum ejus ullis circumscriptum est limitibus. Quòd si ergo Deus omniũ est dominus, & verè proprietarius, utique omnes, quicunque terram incolunt, ejus sunt tanquam coloni & emphy-

teutæ. Et quia cælum ipſius eſt ſolium, terra verò ſubſellium, Eſa. 66. ideo quoque omnes Reges & Principes, & quicunque in terra jus dicunt, & aliquâ ratione cæteris præſunt, pedibus ejus ſubjecti ſunt; & qui regnant, per ipſum tantũmodò regnant: quod ipſa ſapientia Dei diſertis verbis teſtatur c. 6. Unde & Dei quoque beneficiarii & clientes & vaſalli ſunt, ab eoq; ſolo inveſtituram capere & agnoſcere tenentur; ac proinde illorum quoque jurisdictio eſt tantùm dimenſa, & potentia præfinita, & regnum certis cancellis terminatum.

Quemadmodum autem vaſallus ſe habet ad dominum ſuperiorem, ita Rex ad Deum. Vaſallus per enſem, ſcutum, vexillum à domino ſuperiori feudo inveſtitur cum munere juris dicendi, & onere militiæ; & quidem eâ lege, ut iisdem ipſi armis, quandocunque opus fuerit, militet: cui ſe quoque jurejurandò devinxit, fidemq; & obſequiũ promittit; quod niſi ſervet, feudum amittit, ipſoque jure ſe omni prærogativâ privat. Pari ratione Rex regnum à Deo accipiens, per gladium regiæ majeſtatis inſigne inveſtitur, eâ lege & conditione, ut iſto gladio legem divinam tueatur, bonos protegat, malos perdat, atque ita populum ſuum rectè judicet: quod ſi fecerit, tum ipſum, tum poſteros regnum diu poſſeſſuros; ſin minùs, contrarium experturos; & ad hoc jurejurando ſimul obſtringitur, quod ſi violaverit, & feloniam

loniam adversus Deum committat, ipso jure regnum amittit, & ex facto eo plerunque privatur. Hęc ex fœdere inter Deum & Regem fieri solito, (*confœderatorum enim nomine servos suos dignatur Deus*) magis erunt perspicua; cujus conditiones prolixè satis (*anno mundi 2493*) recenset Moses moriturus, ipsaq; pacta conventa, legem nimirum divinam, in arca fœderis asservari præcipit, Deut.c.25.30. & 31. Fœderis hujus capita summatim hæc erant: ut cùm Rex ipse, tum populus universus, Deum ex legis præscripto & singuli colerent, & universi colendū curarent; quod si facerent, Deum ipsis affuturum, Reiq; publicæ præfuturum; sin secus, missos eos factură & disperditurum. Unde Josuam quoque, Mose defuncto, Deus ipse admonet, si res suas prosperè gerere velit, ne à lege suâ latum recedat unguem, Jos.c.1. Quam hic quoq; postea Israëlitis terram Cananæam ingressis, cap.8. coram universo populo legit; ut palàm eis faceret, quâ conditione in hanc possessionem à Deo sint missi; ad cujus observationem morti jam proximus in publicis comitiis Sichemæ, ubi tum arca fœderis erat, multò ardentiùs eos cohortatur; omnia fausta, si pactis iis starent, pollicitus; dira verò, si negligerent, minatus, Josuæ c.23. & 24. Hanc legem quotiescunq; postmodò deseruerunt Israëlitæ, variis tyrannis mancipatos legimus, Jud.3.4. 11. & 12. Quod Samuel illis in publicis comitiis in Gilga-

lis celebratis valedicens exprobrans, Saule rege denuò uncto, ad legis divinæ observationē, cùm Regem ipsum, tum populum seriò, nec absque minis iræ divinæ, si eam prævaricarentur, est adhortatus, 1.Reg.12. Ejecto Saule, quòd pacto non stetisset, David eâdem lege rex constituitur; ut & Salomon Davidis filius, 3.Reg.2.v.4. & c.6. v.12. & 2.Paralip.6.v.16. & cap.7.v.17. ubi fœderis hujus conditiones disertis verbis repetuntur; ut & postmodò in Joæ inauguratione, inter Jojadā summum sacerdotem, Dei nomine, & inter Regem & populum fœdus hoc renovatur, 2.Par.23. iterumque sub Josia rege, 2.Paral.34. quo solenniter sancito uterque, fanis lucisque Baalis destructis, verum Dei cultum restituit. Magis hæc perspicua erunt ex fœdifragorum pœna, quæ reges, Dei contemptores, legisq; divinæ violatores atque oppugnatores ilicò excepit, non tantùm in populo Israëlitico, sed & in Christianis, imò & in Ethnicis regibus, apud quos omnino obtinet pactum, eædem conditiones, eadem pœna, idemque vindex perfidiæ est Deus. Nam & Ethnici reges licet extrinsecus non unguntur à Deo, nihilominus tamen ejus sunt vasalli, & ab eo uno suam accipiunt potentiam; sive sorte, sive suffragio, sive aliâ quavis formâ eligantur. Si suffragio, Deus dirigit corda hominum, quò ipse vult. Sin sorte, *sors conjicitur in sinum*, inquit Salomon Prov.16. *& judicium ejus à Domino.* Qui unus perpe-

perpetuò est, qui pro suo arbitrio Reges tollit & statuit, firmat & evertit. Saul (ut ad propositum revertamur) regio fastu nihil non sibi licere arbitratus, & contra legem Dei sacrificia tractare ausus, insuperque contra disertum Dei mandatum Agago Amalekitarum regi, ejusq; armentis parcens, confestim à Samuele rebellis audiit, & rebellionis quoque pœnas luit, 1. Reg. 13. & 15. Pari modo Salomon insanis mulierum externarum amoribus dementatus, ad idola deficiens, ab Ahia propheta decem tribuum à stirpe suâ alienationem, & ad Jeroboamum servum defectionem audiit, 3. Reg. 11. & 12. Sed nec ipse Jeroboamus regnum hoc suum per idololatriam stabiliens, populumque Dei à Deo abducens, nefandi hujus plagii & ingratitudinis perfidiæque crimen impunè tulit. Primò nempe filius ipsi moritur, deinde universa ejus dom9 per Baësam, regnum scelere invadentem, juxta minas Ahiæ prophetæ extirpatur, 3. Reg. 15. Nec meliorem fortunam cæteri quoque reges Israëlitici & Judaici à vero Deo ad hostes ipsius, gentium idola, deficientes, experti sunt. Quàm horrendum in modum Nabuchodonosoris, fastu tumidi, divinosque honores sibi & statuæ suæ exhiberi præcipientis, effrenem audaciam represserit Deus, & avia desertaque loca asini instar oberrare ipsum adegerit, Daniel c. 3. & 4. in præcedenti flore planum fecimus. Belsazer hujus nepos, vasis sacris

è templo raptis, & ad ſuam ebrietatem abuſis, inter vinum conſpexit Dei manum literas in parietis tectorium ignotas pingentem, quas ſolus Daniel intelligens de ſubitâ regis pernicie interpretatur; eâdemque nocte, regno peſſundato, inter pocula trucidatur, Daniel. c. 5. Pharao Zenchres, Deo ipſi præcipiente, ut ſuum dimittat populum, quò ipſi ſacra faciat; Deum illum notum ſibi non eſſe, faſtu tumidus reſpondens, populumque tandem cum ſelecto exercitu inſecutus, in mari rubro cum omnibus copiis, ne uno quidem homine ſuperſtite, æquoris procellâ & impreſſione, funditus obrutus atque ſubmerſus periit, Exod. 5 & 14. Julianus apoſtata, à Chriſto ad idola gentium transfuga, paulò pòſt in bello Perſico potentē Galilæi (quo nomine probrosè vocabat Chriſtum) dextram expertus, cum gemitu & fremitu impiam animam evomuit. Valens Imperator Arrianâ impietate contaminatus, (fuit namque, ut Nazianzeni verbis utar, Chriſti cultor pariter, & Chriſti oſor, poſt perſecutionem perſecutor, & poſt apoſtatam nō quidem apoſtata, ſed nihil melius; quippe Chriſti nomen præ ſe ferens, Chriſtum mentiebatur;) prælio cum Gothis infeliciter commiſſo, in tugurio quodam, haud procul Hadrianopoli, quò ſaucius ſpe ſalutis profugerat, ab hoſtib. incenſo, combuſtus periit. Heraclius Imperator, qui Monotheletarum errorem in Dei eccleſiā invexit, à

Sara-

Saracenis victus, amissis centenis quinquaginta millibus hominum, noctu præterea ab angelo cæsis quinquaginta duobus millibus, ex dolore morbum contraxit, & novo tandem mortis genere occubuit, testium folliculis sursum versis cum priapismo, adeò ut quoties mejeret, nisi tabulâ umbilico admotâ prohibente, vultum lotio conspergeret. Philippicus Pardanes de exule Imperator factus, Monotheletarum itidem defensor, ab Artemio successore captus, regnoque & oculis privatus, miserrimè periit, altero regni sui anno. Constantinus Copronymus, magicis artibus ad insaniam usque deditus, omnis impietatis lerna & sacrilegus, elephantiasi tandem periit. Eum, tanquam præclarum sanctitatis exemplum, imitatus Michaël Balbus Imperator, Christi religionem, quantum potuit, subvertere studuit, Judæis plus, quàm Christianis, addictus, eoque tandem impietatis evasit, ut futuram resurrectionem negaret, & Diabolum nullum esse contenderet, quòd de eo nihil apud Mosen scriptum esset. Hîc ad extremum dysenteriâ periit, ad quam phrenesis accessit. Galerius Maximinus Imperator, ob crudelitatem in Christianos ulcere inguinibus innato, genitalibus consumptis defecit; & vermibus ubique erumpentibus, fœdissimo exitu periit. Quo eodem ferè mortis genere periit paulò pòst hujus ex sorore nepos Galerius Maximinus, itidem Christianorum

hostis infensissimus. Fœdissimo hoc pediculari morbo, præter alios tyrannos plurimos, periere quoque Herodes Ascalonita, qui ad intercipiendum semper-virginis Mariæ partum, infantes Bethlehemiticos trucidavit, teste Josepho lib. 17. antiq. c. 10. Herodes Agrippa adulatorum plausu & vocibus, in theatro Cæsareæ Deus salutatus; quo mendacio cùm delectaretur, ab angelo fœdissimâ hac φθειριάσει percussus legitur, Actor. 5. Ex qua, cum ingenti & membrorum & conscientiæ cruciatu, lamentisque, nullum uspiam in terris hominem se miseriorem vivere, quinto die pòst expiravit; itemque Antiochus Epiphanes, Syriæ rex, qui in templo Hierosolymitano statuam Jovis Olympii erexit, summamque tyrannidem in Judæos, religionis suæ constantes & liberos defensores, exercuit, 1. Maccab. 6. & 2. Maccab. 9. Et quis verò præterea tragicos ignorat exitus Neronis, qui Christianos urbis incendio insimulatos, sceleratè contrucidavit: Caligulæ, qui se ceu Deum adorari edixit; Domitiani, qui se Deum vocari, scribi, & coli voluit; & aliorum omnium, qui honores soli Deo debitos, aut sibi vendicare, aut Deo tollere voluerunt. Plenæ sunt omnium ætatum historiæ similibus exemplis: quæ nec nostro etiam seculo nobis desunt. Aliquot abhinc lustris plerique Reges & Principes Babylonicis poculis inebriati, Papæ antichristo adversus Christum, lupo adversus agnum

agnum militarunt; è quibus nonnulli in ipso, quod agitabant, scelere periere; nonnulli quoq; à triumpho in tumulum sunt elati. Horum è numero sunt Franciscus primus, rex Galliæ, biennio post persecutionem Waldensium Christianorum, in Gallia Narbonensi extinctus: Maria, Angliæ regina, triennali Evangelicorum persecutione, à Reginaldo Polo Cardinali excitatâ, famosissima, cũ incentore isto suo, uno eodemq; die extincta *(anno Christi 1558.)* Franciscus Lotharingus, Dux Gvvisius, nondum elapso anno, pòst Vassegianam Christianorum in Comitatu Campaniæ stragem, in Aureliæ obsidione, tribus sclopeti globulis trajectus; qui paucis diebus pòst, inter magnos cruciatus expiravit: Carolus nonus, rex Galliæ, nuptiis & horis Parisiensibus notissimus, biennio pòst, acutâ febre cum multâ sanguinis effusione extinctus: Henricus, Princeps Gvvisius, non multò post irruptionem & tyrannidem in Comitatu Mompelgardico, cùm in Henrici tertii, Galliæ regis, vitam insuper conspiraret, confossus *(anno Christi 1588.)* Jacobus, Marchio Badensis, apostata, qui Pontificiam religionem in ditiones suas reducturus, ipsâ die Ecclesiarum consecrationi deputata, dysenteriâ corruptus, animam efflavit *(anno Christi 1590.)* Neque verò solùm naturali aut violentâ morte, Deus regibus, vasallis suis fœdifragis, regna eripit; sed & de sede eos suâ depositurus, infelicitate

eventuum, & errore in consiliis, punit, ut nolentes volentes, Imperio relicto, cœnobiis se includant. Exemplo sunt ex Græcis Imperatoribus, Michaël Curopalates, Isacius Comnenus, Michaël Ducas, & nonnulli alii: ex Germanis Imperatoribus, Carolus Quintus, qui ante bellum Germanicum instinctu Papæ & Pontificiorum, religionis ergo, motum in Johannem Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem, & Philippum Hassiæ Landgravium, fortissimus fuit & victoriosissimus; quarum rerum gestarum successu, confidentior factus, cùm in comitiis Augustanis armatis, Pontificiam Interreligionis formulam Principibus protestantibus & statibus Imperii intruderet, ejus fortuna paulò pòst subitò instar Bellerophontis pegaso in cælum evolare conati, mutata est; Meti nimirū imperiali urbe amissâ, OEniponte deinde à Mauritio Electore, & Principibus fœderatis fugatus, & religionis pace Passaviæ ipsi extortâ, non multò pòst, Imperio Electoribus resignato, omniumque regnorum & provinciarum Belgicarum gubernatione traditâ Philippo filio, in Hispania cœnobio se inclusit. De qua vitæ Cæsaris commutatione epigramma quidam fecit non inscitum.

Cæsar eram, theotimus ero, do robur & arma
Petro, ut sit frater, qui theotimus erat.
Imperii tibi frater onus, tibi regna, Philippe,
Linquo, subjectis damna, jugum & gemitum.

Hoc

Hoc flosculo & his exemplis admoniti Reges & Principes, quòd regnant, in totum soli Deo, Regum Regi Opt.Max.acceptum referant; seq; ejus ministros, clientes, beneficiarios & vasallos, cū debitâ animi submissione agnoscant, cumque cum timore & tremore colant atque revereantur, nec tributum ipsi suum, cultum nempe divinum aut intercipiant, aut avertere tentent; nec ullâ aliâ in re divinam sibi jurisdictionem usurpent, id quod propriè affectati regni crimen est, *ne baltheum eorum solvat*, (Job c.12.) & solio deturbet, aut etiam ferreo eos sceptro conterat, & tanquam vas fictile diffringat.

Subditi verò meminerint, quoniam Reges Dei tantùm vicarii sunt, nec verò vicariis, nisi eorum, quorum personam gerunt, causâ, honos defertur: Regibus propter Deum, non adversus Deum, Deo servientibus, non adversantibus esse obtemperandum.

F L O S III.

Principum est, veram Christi religionem adversus tyrannos defendere.

DEus Opt.Max. electo ex omnibus nationibus populo Israëlitico, à quo secundùm legis suæ normam coleretur, & in quo Ecclesiam

haberet constitutam, fœdus cum illo pepigit, ut suus esset populus, eumq; obligatum voluit legi suæ curandæ, Ecclesiæq; tutandæ, & è contrario idolis gentium exterminandis, ut cùm alibi passim, tum inprimis Deut. 27. 28. & 29. & Jos. c. 24. hoc videre est. Et hoc fœdus deinceps subinde repetitum, perpetuoque confirmatum legimus, postquam populo petenti dati sunt Reges. Sic n. Samuel propheta, 1. Reg. 12. Saule rege constituto, inter alia Israëlem affatur: *Tam vos, quàm Rex vester, qui vobis præfectus est, sequimini Deũ vestrum, cui placuit vos suum eligere populum; quem si neglectui habueritis, & deserueritis, tam vos, quàm Rex vester peribitis.* Hîc vice Dei stipulatur Samuel; an non promittant, se daturos operam, ut Deus Ecclesiam suam in medio ipsorum perpetuò habeat? Spondet populus, spondet Rex, & quidem conjunctim, non divisim; non ex intervallo, sed in continenti. Et in ejusdem penè stipulatione, uterque tam populus, quàm Rex, tanquam duo rei manifestè conjunguntur. Idem nimirũ hîc observavit Deus, quod in civilibus negotiis inter dubiæ fidei homines fieri consuevit, ut duo pluresve in unam summam obligentur, à quorum unoquoque, tanquam principali, Deo solidum petatur. Quia enim lubricum erat, Ecclesiam uni committere homuncioni; (poterat siquidem Rex in tam lubrico cõstitutus gradu, facilè in impietatem delabi) ideo universo

verso

verso potiùs populo eam commendare & committere voluit, à quo magis quoq; , quàm à Rege suum tributum remque integram petit; quò plures & difficiliùs labuntur, & magis solvendo sunt, quàm unus. Et hinc est, quòd Regibus fœdus hoc negligentibus prophetę Judam, domum Jacobi, Samariam, tanquā alterum promittendi reum, perpetuò alloquantur, ut sui eos officii admoneant; nec id tantùm, ne Baali sacrificent ipsi, sed ut Baalem quoque, ejusq; sacerdotes, Rege vel invito, vel reclamante, deturbent atque exterminent. Sic nimirum Elias propheta, totius regni synodo in monte Carmelo convocatâ, Achabi regis impietatem & idololatriā, cædemq; prophetarum Domini arguit; Baalisque sacerdotes, deterrimæ idololatriæ reos peractos, heroico zelo accensus mactat, Israëlitis strenuè suam illi operam in hac strage edenda locantib. 3. Reg. 18. Hinc quoque est, quòd, quotiescunq; Regi legem divinam violanti Israël non obstitit, uterque, tam Rex idololatriæ & perfidiæ suæ, quàm populus conniventiæ & socordiæ suæ pœnas dedit. Sic nimirum (*anno mundi 2889*) in tertio Saulis bello Philistino, non solùm ipse Rex tristissimo exitu periit, sed & miserandam filiorum suorum mactationem, maximamque exercitus sui internecionem vidit, 1. Reg. 28. Deo justissimo scelerum vindice, populum ipsum quoq; ad supplicium trahente, quòd Sauli regi legem

divinam violanti, non modò non restitit, sed & pios, Davidem puta & sacerdotes Domini, impiè persequenti, quodammodo applausit. Sic quoq; legimus 2. Reg. 21. famem triennalem sub Davide accidisse ob Saulis scelus; qui, ut tribus Judę possessiones amplificaret, fidem publicam Gabeonitis à Josua datam fregerat, & ex stulto zelo erga legem Dei, quâ jubentur omnes gentes è terrâ Cananæâ exstirpari, quosdam ex Gabeonitis jugularat. Quo sanè facto violabatur secundum pariter & quintum præceptum; Deus siquidem ipse hujus pactionis erat testis, & innocuos ille injustè interfecerat. Utraq; ergo Legis tabula vindicanda erat, nec in Saule tantùm, qui scelus istud perpetravit, ejusque familia, sed & sceleris hujus universus tenebatur populus, qui cùm debuisset & potuisset publico & manifesto sceleri sese opponere, negligenter tamen tulit. Pari modo Davide rege ex merâ ambitione, & stultâ πολυπραγμοσύνῃ censum populi agente, tam Rex ipse, quàm universus populus, repentinâ lue pœnas hujus criminis luit; Deo justissimo vindice, tanquam πολεμάρχῳ, legionis universæ delictum, universali terrore, particulari quorundam supplicio, quadam quasi decimatione castigante, 2. Reg 24. & 1 Par. 22. omnes siquidem Dei iram provocarant; David quidem impia præcipiendo, legemque Dei (Exod. 30.) prævaricando; præfecti populi, quos Israëlis nomine reclamare opor-

oportuisset, aut connivendo, aut segniùs repugnando: universi deniq; ad eum delectum comparendo. Ideo quoque non modò Rex, sed & Seniores populi, qui universitatem repręsentant, saccum induerunt, seque cinere consperserunt; quod tamen propter Davidis parricidium adulterio cumulatum, neutiquam accidit. Quoniam ergo Regũ peccata, & prævaricatio legis divinæ, non rarò damno fuêre populo Israëlitico, ideo omnino hic non modò cavebit, ne quid suâ culpâ negligentiáve sensim introducatur, quod temporis tractu purum Dei cultum queat corrumpere: sed nec crimina in majestatem divinam commissa tolerabit; imò Regem ipsum legem Dei impiè abrogantem, Ecclesiamq; vastantem, cohercebit, eique omnibus modis resistet, non tantùm verbo, sed & vi, si vi oppugnabitur; imò & dolo bono, si dolo; cùm nihil intersit, ubi justũ bellum susceperis, utrùm apertè pugnes, an ex insidiis, modò absit perfidia, quæ nusquam licita est. Hîc tamen illud probè est notandum, populi universi nomine nos minimè intelligere promiscuam illam multitudinem, turbam turbulentam, beluam multorum capitum; sed qui à populo acceperunt authoritatẽ, magistratus nempe rege inferiores à populo delectos, aut aliâ ratione constitutos, quasi regni consortes, regumque ephoros, qui universum populi cœtum repręsentant. Hujusmodi in regno Israëlitico erant se-

ptuaginta Seniores, quibus præerat summus sacerdos, qui de rebus summis judicabant; Principes item tribuum, in singulis singuli; judices denique, & præfecti singularum urbium, h.e. chiliarchæ, centuriones & cæteri, qui totidem familiis præerant. Hujusmodi hodie in Imperio Germanico-Romano sunt Electores & Principes, Comites & Barones, itemque urbes Imperiales. In cæteris regnis Officiarii regni, Pares, patritii, optimates, & cæteri ab Ordinibus delecti, è quibus conflatur aut Concilium, Parlamentum, Diëta, cæterique conventus in diversis regionib. diversa nomina sortiti. Qui, ut singuli Reges sunt inferiores, ita universi superiores, & hi omnes, quo gradu tandem sunt, æquè ac Reges ipsi Dei sunt villici & vasalli; qui licet non disertè, ut olim populus Israëliticus, tacitè tamen spondent, se curatoros, ut Deus ex legis præscripto in medio sui colatur; qui idcirco Regem officium suum deserentem & exorbitantem omnibus modis, quibus possint, coërcere tenētur. Exemplo sit Jojada, summus sacerdos, qui Attaliâ tyrannidem occupante, temploque Dei abolito Baalis fana erigente, consilio cum proceribus Israëlis clanculum inito, Joam regem divinitus à cæde Attaliæ servatum, septimo ætatis anno ungendum curavit, aviâ nec quicquam reclamante, quam à regio exturbatam solio, & ex templo extractam obtruncavit, 4. Reg. 11. Hoc in Jojadæ facinore

facinore ejus elucet fides in promissionem divinam Davidi factam; zelus pietatis & gloriæ Dei, fides in suum Regem & populum; fortitudo in adeundis pro Republica periculis; prudentia denique & industria in tota re gubernanda. Minimè itaque ceu injustum & impium facinus improbandum. Nec enim Jojada sacerdos, ad quem rerum quoque civilium cognitio pertinebat (judicia siquidem ex lege divinâ tum administrabantur) oppugnabat regnum, sed tyrannidem; nec solùm tyrannidem absque titulo, ut Jurisconsulti neoterici loquuntur (lex enim regni Judaici mulieres ad sceptrum non vocabat) sed etiam tyrannidem cum exercitio. Attalia namque regnum non modò invaserat nepotum, summo scelere; sed & scelera sceleribus cumulabat, quorum caput erat, quòd, neglecto vero Deo, Baalem adorari præcipiebat. Quòd autem Jojada de more comitia in Mizpa non indixit; quòd item furtivè ista consilia, de Attalia obtruncanda, cum Judæ Principibus & Levitis iniit, neutrum culpatur; alioquin enim res minimè, nec pro voluntate successisset: fuitq; hæc bona & necessaria conjuratio, licet seditionis præ se ferat speciem. Quia ad bonum finem tetendit, & ab iis inita est, qui Reipublicæ curam suscipere debebant, Rege non existente. Quemadmodum enim tutor diligenter cavere debet, ne pupilli bona depereant;

quod nî fecerit, actione tutelæ tenetur: ita & hi populi salutẽ tueri tenentur, qui se totum ipsorũ curæ tradidit & credidit, suasq; in ipsos actiones omnes quodammodo transtulit. Non dissimili ferè modo Antiocho Epiphane, rege Syriæ, qui Hierosolymâ per dolũ captâ, in templo statuam Jovis Olympiaci erexerat, Judæis mandante, ut, Deo vero deserto, suam ipsius sequerentur legem; Mathathias, Maccabæorum parens, solus & unus ex optimatibus, cæteris partim conniventibus, partim colludentibus, nõ modò impio Regis mandato detrectavit parere, sed & pio zelo correptus, civem in patria sua idolis sacrificantem, manu suâ transfodit, Regisq; legatum, Apollonium, impiũ hoc mandatum urgentem, eodem fervore prostravit; insuperque ad libertatem popularibus suis civibus Modinensibus convocatis, Antiocho furenti primus se & solus ex omni nobilitate opponens, pro aris & focis bellum adversus eum ita prosperè gessit, ut Hierosolymam recuperaret, & armis gentilium in Ecclesiæ perniciem conjuratis, fractis atque debilitatis, purum Dei cultum restitueret, 1. Mac. 2. & 2. Mac. 5. Sic & superiori seculo, Johannes Fridericus, Dux Saxoniæ Elector, & Philippus Landgravius Hassiæ, summum scelus esse rati, si quis Deum, verè omnium proprietarium dominum, jubẽte Rege, Dei vasallo & ministro, ablegет, ab eoque deficiat, aut etiam urbibus suis expellat,

pellat, aut in manus hostium prodat; Carolo V. Cæsari, ex Papæ, Principumque & Episcoporum Pontificiorum instinctu, bellum Ecclesię Christi inferenti, purioremque religionem pio Lutheri aliorumque doctorum ministerio in Germania disseminatam, armis funditus extirpare conanti, armis fortiter restiterunt. Quo in bello, licet ipsi in Cæsaris victoris potestatem venerunt; à verâ tamen religione, quam summâ semper constantiâ professi sunt, nec minis, nec vi, nec contumeliâ, multò verò minùs blanditiarum θελγήτροις abduci potuerunt; quâ piâ in asserendâ religione constantiâ effectum, Deo, cujus in manu corda sunt Regum, Cæsaris conatus ita dirigente, ut horum provinciæ *ab Augustanâ Sphinge, & Pontificiâ Interreligionis formulâ*, quam aliis Principibus ille obtrusit, immunes relinquerentur.

Neque verò hoc facto ullam rebellioni fenestram aperuisse censendi sunt. Nec enim à Rege, sed ab Antiocho; non, inquam, à Republica, sed à privatâ unius pluriúmve tyrannide, extremâ necessitate urgente, secessionem fecêre: sed nec hostili animo, Cæsaris imperio sese subtraxêre: utpote cujus imperata æqua & justa facere nunquam recusarunt: nec tributa oneraq; consueta detrectarunt; illud tantùm tributi Deo quod debuerunt, interverti sibi noluerunt: imò nec suis armis Cæsarē lacessierunt, sed lacessiti ipsi armis insidiisque petiti, vix tandem imminente undi-

quaque morte, arma induerunt, quibus ſe adverſus vim illatam tuerentur, ut in Apologia ſua ad proſcriptionis tabulã, apud Sleidanum lib. 18. ipſi diſertis verbis oſtendunt. Neq; verò ſolùm impia ſacra à ſuis arcere mœnibus, ſed & cæteris Eccleſiæ membris vexatis opem ferre tenentur Principes. Eſt enim unica Eccleſia, cujus caput CHRISTUS; & cujus membra ita inter ſe cohærent atq; conſentiunt, ut ex illis ne minimum quidem vim læſionémve pati poſſit, quin cæteræ lædantur, & dolorem percipiant. Hęc Eccleſia ut unica eſt, & priùs Palæſtinâ tantùm circũſcripta, nunc verò per univerſum orbem diffuſa; ita ſingulis Principibus Chriſtianis, nunc in univerſum & in ſolidum eſt commendata atque commiſſa, ut eam & propugnent, & quantum poſſunt, propagandam curent; idque exemplo Ezechiæ & Joſiæ, regum Judaicorum pientiſſimorum, qui non ſuum modò regnum, verùm etiam Iſraëliticum, quod Aſſyriorum regibus tunc parebat, à cultu idolorum repurgarunt; piis, ex tribubus præſertim Manaſſe & Ephraim, ſtrenuam ipſis operam in diruendis fanis navantibus, 2. Paralipom. 31. & 34. *Nimirum, ubi Dei gloria, ubi Chriſti regnum alitur; nulli limites, nulli fines, nulli cancelli, piorum Principum zelum arcere debent.* Horum exemplum laudatiſſimum æmulatus Conſtantinus Magnus Orientis Imperator, Maxentium primum tyrannum in Chriſtianos de-

ſævi-

sævientem, fulgidæ crucis auspicio ad pontem Mibrium superatum, Tiberinis gurgitibus absorbendum dedit, anno Christi 312. Licinium dehinc, Occidentis Imperatorem, Christianos pariter divexantem & contrucidantem, bello petiit; liberumque religionis cultum Christianis vi impetravit; fidem denique frangentem, Thessalonicæ morte mulctari jussit, teste Eusebio libr. 9. historiæ Eccles. cap. 9. & ult. & tripartitæ historiæ libr. 1. cap. 5. & 8. Sic & Theodosius secundus, Imperator, Attico Episcopo suadente, adversus Istigerden, Persarum regem, bellum suscepit; ut Christianis religionis ergo vexatis succurreret, ut author est Sozomenus lib. 7. c. 12. Pari modo nec Regum & Principum Europæorum improbamus expeditiones, in Syriam toties adversus Saracenos susceptas, ut Dei Ecclesiam tyrannide, & Christianos servitutis jugo liberarent: non autem, quemadmodum multis à Papâ Romanensi persuasum tunc fuit, ut Christianam religionem armis suis propagarent, atque ita Ecclesiæ pomœria dilatarent; (*religio enim cogi non potest; & verbis, non verberibus constituitur*, ait Lactantius libr. 5. Instit. div. cap. 20. & 21.) multò verò minùs, ut indignam Servatoris nostri mortem ulciscerentur, quem tamen non Saraceni, sed Judæi crucifixerant; quemadmodum has duas belli adversus infideles suscepti causas recenset

Frossardus lib.3. Quis verò pium, Principum Germaniæ, Johannis Friderici primi, Ducis Saxoniæ Electoris, & Philippi Landgravii Hassiæ, improbabit zelum, qui à sociis fœderis Schmalkaldici civitatibus, Goslariâ & Brunsvvico, quas Henricus Dux Brunsvvicensis, religionis ergo, perpetuis divexare excursionibus atque rapinis non desistebat, posthabitis etiam ipsius Cæsaris & Ferdinandi regis interdictis, ad opem ferendam sollicitati, suppetias tulerunt? Quo de bello lege Sleidanum lib.14. Utiq; enim, *ut, qui quem neci eripere potest, nec tamen eripit, æquè tenetur, ac is qui occidit; quia enim opem ferre noluit, occidi voluit*: sic, qui Christum, quem suum profitentur redemptorem, & Deum in suis membris torqueri & crucifigi ultrò patiuntur, cùm tamen impedire possint, Christum ipsum verè persequuntur & crucifigunt. Moses desertores fratrum comparat rebellibus Cadesbarneæ, quorum nemo, ita decernente Deo, hæreditatis promissæ terram ingressus est, Deut.c.1. Sic nec ex cælesti illâ hæreditate per Christum partâ, particulam percipient ullam, qui Christo in membris suis afflicto, opemque ostiatim quasi imploranti, non subveniunt; Christo ipso, igni eos infernali mancipante, qui ipsum inopem non juverunt; nudum non vestierunt, peregrinantem non susceperunt, captivum non liberarunt.

Sic ergo tandem concludimus, Principes cæterosque

terosque regni officiarios, populi authoritatem penes se qui habent, tam plures, quàm singulos, Regem impia jubentem, aut pia vetantem, intra suas metas continere & coërcere posse & debere; nî fecerint, si saltem potuerint, ex fœdere cũ Deo inito graviter peccare, & divinæ majestatis esse reos: eosdem præterea, cæteris suis fratribus religionis causâ vexatis, auxiliarem manum ut porrigant, omnino teneri; ac nî fecerint, homicidium eò gravius committere, quò plures, quos liberare possunt, interficiunt; & quò fratrem, quàm quemlibet, occidere sceleratius est.

F L O S IV.

Principum est, tyrannos vel Rempublicam opprimentes vel perdentes, vi cohercere & opprimere.

QUæ de Principum officio, in iis cohercendis tyrannis, qui luci Evangelii flammas, verbo Dei verbera, gladio Spiritus acies instructas opponunt; omnesque, quantum in ipsis est, ad impia sacra, oblatis tormentis adigunt, modò diximus: ea quoq; locum habent in illis Regibus vel cohercendis, vel opprimendis, in tyrannos qui degenerantes Rempubl. consultò evertunt, jura protervè pervertunt, nullamque fidei datæ,

nullam conventionum, nullam justitiæ, nullam pietatis curam habent. Quoniam enim Reges regiam à populo accepêre dignitatem, utpote à quo cõstitutos, ſacra partim Saulis, Davidis, Salomonis, Roboami, Uriæ teſtatur hiſtoria, 1. Regum 10 & 11. 2. Reg. 2. & 5. 3. Reg. 1. & 12. & 2. Par. 26. partim ex Herodoto quoque liquet, lib. 5. diſertis verbis ſcribente, apud Medos, Dejocen, ex arbitro judicem, è judice Regem creatum; partim denique ex Livii lib. 1. videre eſt, ubi ſcribitur, cùm Romulo ſublato, centum ſenatorum interregnum Quiritibus minùs gratum eſſet, conveniſſe, ut deinceps Reges ſuffragiis populi, cõmprobante ſenatu, deligerētur; (ex quo Marcus Cicero Offic. 2. Non apud Medos ſolùm, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, ſervandæ juſtitiæ causâ, videntur olim bene morati Reges conſtituti.) & quanquam in quibusdam regionibus, ubi Regum filii nepoteſque regna ſibi quaſi hæreditaria feciſſe videntur, libera electionis facultas quodammodo deſiit: manſit tamen perpetuò in omnibus bene conſtitutis regnis ea conſuetudo, ut demortuis non priùs ſuccederent liberi, quàm à populo de novo quaſi conſtituerentur, nec tanquam ſui hæredes patribus agnaſcerentur; ſed tum demum Reges cenſerentur, cùm ab iis, qui populi majeſtatem repræſentarent, regni inveſtituram quaſi per ſceptrum & diadema accepiſſent: Quoniam, inquam,

quam, Reges à populo regiam accepêre dignitatem, utiq; populus universus (quo nomine intelligimus Electores, Principes, Palatinos, Ordinũ conventus, omnes regni Officiarios, qui authoritatem habent) Rege potior est & superior; ipse verò Rex regni tantùm supremus existit minister atq; actor. Unde quoque, quæcunque Rex aut bello acquirit, aut cùm finitima occupat jure belli, aut jure dicundo, atq; in fiscum rediguntur; acquirit ipse nõ sibi, sed regno; populo, inquam, qui regnum constituit, nec ulla cum ipso, nisi authore populo, obligatio contrahi potest. Et hinc est, quòd Imperator Germaniæ, antequam coronetur, sanctè jurat, se ex his, quæ ad Imperium Imperiique patrimonium pertinent, nihil alienaturum, distracturum, oppignoraturúmve; si quid verò recuperet, aut acquirat viribus publicis, Imperio, non sibi quæsitum iri; ut tam ex aureâ Bullâ, quàm ex coronatione Caroli V. apud Sleidanum lib.1. videre est. Et hoc juris in cæteris quoque regnis hodie usurpatur. In hoc itaque fœdere sive pacto, quod in constituendo Rege inter ipsum & populum intervenit, stipulatoris partibus, quæ in jure potiores censentur, fungitur ipse populus, cui Rex purè promittit, se justè & secundùm leges regnaturum; populus demum sub conditione justè imperanti, Reipublicæ inservienti, jusque unicuique suum tribuenti, fideliter se obtemperaturum obligat;

quæ conditio si non impletur, populus ipso jure omni obligatione solutus censetur. Mutuæ autem hujus inter Regem & populum obligationis, quæ sive civilis, sive naturalis tantùm sit, sive tacita, sive verbis concepta, nullo pacto tolli, nullo jure violari, nullâ vi rescindi potest, tanta vis est, ut Rex, qui eam contumaciter violet, tyrannus; populus, qui ultrò rumpat, seditiosus verè dici possit. Et hujus pacti, sive fœderis, custodes & vindices sunt, ipsi regni officiarii, populi majestatem qui repræsentant. Ex his intelligitur, Regem pactum hoc perfidè & pervicaciter violantem, in populum tanquam feudi dominum, feloniam (id est, facinus capitale) committere; Regni Imperiiq; sacram majestatem lędere, & rebellem esse; ac proinde à superiore justissimè deponi posse, vel etiam ex lege Juliâ de Republ. gravissimè puniri. In his tamen cohercendis cautè procedendum. Quoniam enim & Reges nati sunt homines, nec perfecti semper haberi possunt, sed vel medioctibus contentos nos esse oportet; ideo non, si quibusdam in rebus Rex modum non servat; non, si rationi interdum non obtemperat; non, si segniùs utilitatem publicam curat; non, si aut in jure dicundo minùs diligens, aut in bello propulsando minùs est acer; continuò tyrannus erit; (illum siquidem prudentiâ juvare potest senatus, juris cognitione prætor, belli peritiâ tribunus) sed quando Rempubl. subruit, ex uni-

ex universis prædam agit, omnium vitæ insidiatur, omnem fidem violat, omnem sacri jurisjurandi religionem contemnit; tunc demum tyrannus, h.e. Dei hominumq; hostis judicari potest. Præterea, ut Regi non quidlibet licet, ita nec populo sæpe, quod licet, expedit; & sępe remedium, quod adhibetur, ipso morbo deterius esse deprehenditur: *itaq; omnia priùs, quàm arma, experiri sapientem decet.* Si quid ergo per vim fraudémve à Rege adversus Rempublicam geri viderint, qui populum repræsentant; principiis statim obstent, Regemque sui officii admoneant, nec expectent, dum malum ingravescat, & vires acquirat. Est enim tyrannus febri hecticæ similis; quę primùm facilis curatu, difficilis cognitu, postea verò cognitu facilis, curatu perquam difficilis evadit. Sin pergat, nec sæpiùs admonitus resipiscat, sed eò tantùm tendat, ut quidvis impunè patrare possit; tunc sanè tyrãnidis reus est peractus, & quęcunq; adversus tyrannum seu jure, seu justâ vi licent, adversus eum, ceu hostem patriæ reiq; publicæ, adhiberi queunt. Sic nimirum, ut ab Imperatoribus Romanis ordiamur, Nero, impura scelerum omnium sentina, post majora numero flagitia, à senatu hostis patriæ judicatus, uncoq; & Gemoniis damnatus, supplicium hoc violentâ morte αὐτόχειρ prævertit. Aulus Vitellius, vir nefarius & sanguinolentus, itidem à senatu damnatus, religatis post terga manibus, & laqueo

cervicibus injecto, nudus ad Gemonias ductus scalas, ibi excarnificatus, numerosissimisq; ictibus confossus, in Tiberim tandem est projectus *(anno Christi 70.)* Didius Julianus, cùm totus in obscœnis voluptatibus, & ærario expilando esset occupatus; senatus authoritate, Imperio ipsi abrogato, à Septimio Severo in abditas palatii balneas ductus, ibique extentâ damnatorum instar cervice est decollatus *(anno Christi 194.)* Maximinus quoque decreto senatus hostis Reipublicæ est declaratus, inq; ejus locum à senatu subvecti Maximus & Albinus *(anno Christi 239.)* Stauratius à Nicephoro patre in Imperii societatẽ adscitus, eo defuncto, ob corporis deformitatem, ingenii stoliditatem, & turpem libidinem à senatu Constantinopolitano dejectus Imperio, monachum profiteri est coactus *(anno Christi 811.)* Romanus Diogenes maximâ suorũ clade à Turcis captus, ab illis tamen honorificè habitus atque dimissus, cùm domi bellum denuò pararet, à senatu captus oculisque privatus, in insulam Proten est relegatus *(anno Christi 171.)* Andronicus Comnenus, lupinâ sævitiâ nulli secundus *(anno Christi 1183)* Alexio agnato & pupillo perfidè strangulato, Imperium invaserat; & quò tyrannidem stabiliret, brevi quoq; proceres omnes, quorum suspectam virtutem habebat, trucidarat. Bello itaq; à Wilhelmo Siciliæ rege, impuberis Alexii cædem vindicaturo, undique

pressus,

pressus, ab Isaaceo Angelo, quem ad supplicium destinarat jam, præter suam omniumq; opinionem ab Imperio dejectus captusque, & alterâ manu oculisq; mutilatus, asinæ præposterè impositus; capite alliorum reste loco diadematis præcincto, bestiæque caudâ manibus pro sceptro alligatâ, spectaculum factus mundi, turbæ tandem tumultu lacer periit. Pari modo Romano-Germanico Imperio dejectum fuisse legimus Wenceslaum, regem Bohemiæ, qui à patre Carolo Quarto successor in Imperio dictus, cunctis quidem Electorum, at multo pretio coëmptis & extortis suffragiis, cùm per ignaviam & socordiam Imperii res miserè afflixisset; passus sibi eripi regalia jura, Ducatus pręsertim Mediolanensis; præsentique rerum statu contentus, nec præterita corrigere, nec futura præcavere curaret; adeoque ingenio esset hebeti, stolido & sordido; animo verò non tantùm à Republica, sed penè ab omni honestate alieno, & ad immanitatem usque sævo ac truculento; corpore denique ignavo, vino saltem & Veneri dedito, bis Imperio omnium suffragiis est ejectus, mense Majo & Augusto 1040. Ad eundem modum & Franci, concilii publici authoritate, curantibus regni Officiariis, Childericum primum, Theodoricum & Childericum tertium, partim propter tyrannidem regno expulerunt; partim etiam propter desidiam, ignaviam & insaniam, propter

quam aut exterorum injuriis, aut adulatorum mulierúmve libidini & impudentiæ patebant, exautorarũt; & quasi Phaëthonti habenas abstulerunt, ne universi eodẽ conflagrarent incendio. Pari modo Eduardus secundus, Angliæ rex, levis, futilis & ignavus, bis térve Scotiâ ejectus non sine suorum clade; cùm domi è primoribus multos supplicio afficeret, Spenserosque pravorum consiliorum authores nimis efferret; à Parlamento regno indignus judicatus, à filio & uxore Isabellâ arctissimæ custodiæ mancipatus, in ea fœdo mortis genere periit (*anno Christi 1326.*) Consimiliter Christiernus, Daniæ & Suetiæ rex, ob tyrannidem & crudelitatem, quam cùm in omnis generis homines, tum præcipuè in senatũ Holmensem, & proceres Suecos exercuit, mortuis ipsis non parcens (*anno Christi 1522*) à regni proceribus, itemque Lubecensibus, & Friderico patruo, regno exactus; post decennale exilium, comparatis in Belgico copiis, spe regni recuperandi reversus, captus, custodiæque mancipatus; in diuturnis tandem viginti septem annorum vinculis expiravit (*anno Christi 1599.*) Sic & cùm Maria, Scotiæ regina, Henrico Stuarto, marito suo dolosè interfecto (*anno Christi 1565*) Jacobum Hephornum, Bethuliæ comitem, quem vivente adhuc marito in intimam familiaritatem admiserat, præcipitatis duxisset nuptiis; indignitate tanti flagitii proceres aliquot, parricidii vindices,

dices, moti, armis adversus reginam captis, deditam ejurare regnum, & filio infanti constituto pro Rege, tradere coëgerunt; ipsam verò in Levini lacus insulam relegarunt; ubi persuasis custodibus insequenti anno elapsa, & Hamildoniorũ copiis ad maternos in Galliam amicos proficisci cogitans, per Angliam iter instituit. Verùm ibi detenta, cùm al æ atque aliæ subinde conspirationes adversus Angliæ statum, ipsius nempe liberandæ, & utriusq; regni ipsi tradendæ causâ, Papâ instigante, institutæ retegerentur, diligentiùs custodita est; donec tandem vitæ quoque reginæ Elisabethæ aliquoties structis insidiis, in judicio senatus regni Anglici, capitis damnata est (*anno Christi 1587.*) Non multùm dissimili modo regno Suetico excidit Ericus, qui sub initium septennalis belli, quod intulit Friderico secundo, regi Daniæ, fratrem Johannem captum in vinculis toto belli istius tempore detinuerat, necique jam destinârat: quem tandem sceleris conscientiâ in rabiem versum Johannes è carcere eductus, procerum populique voluntate Stocholmiæ obsessum, urbe deditâ, iisdem, in quibus antea se detinuerat, carceribus inclusit; exemplo eum constituens Regibus & Principibus, ne potentiâ elati, aut dominandi cupiditate impulsi, bella non necessaria contra finitimos moveant, nec injustè ac violenter subditos opprimant; atque ita sibi ruinam, regno publicas cala-

mitates accersant. Neque verò propterea incurrent Principes, & cæteri regni Officiarii in crimen vel seditionis, vel majestatis. Seditiosi enim non sunt, qui leges, qui Rempublicam, qui se & alios tuentur. Majestatis verò crimen committitur tantùm in legitimum Principem, qui nihil nisi lex est animata; & in Rempublicam, quæ ibi demum est, ubi legum valet authoritas, non ubi privata tyranni libido rempublicam absorbet. Tantum quoque abest, ut perduelles & perfidi censeantur, ut multò potiùs fidelissimi sint sui juramenti observatores, tam erga eos, quorum gubernationem suscepêre, quàm erga perjurum & regni oppressorem, cujus protector esse debuerat. Non itaque modò licet, sed & ex officio his incumbit, tyrannum quovis modo coërcere; utpote, quibus & ipsis Respublica est concredita, tanquam contutoribus, & cujus salutem ipsi quoque se curaturos promiserunt; & in qua administranda ut Rex primas, ita illi secundas tertiásve tenent partes, suas quique suo loco. Minimè igitur, Rege fidem suam frangente, suo se idcirco sacramento absolutos putabunt; quin potiùs, si colluserint, prævaricatorũ; si connivetint, desertorum & proditorum; si Rempubl. à tyrannide non vindicaverint, tyrannorum numero ipsi censebuntur. Imò quoque si optimatum unus, cæteris colludentibus aut conniventibus, grassantem tyrannidẽ animadvertat, ex animoq;

execre-

exerceretur; utiq; à suis saltem finibus eam arcere tenetur; exẽplo Mathathiæ, qui, Antiocho regnũ Judaicum tyrannicè opprimente, non tantùm pro aris, sed & pro focis, pro patriâ, inquam, non minùs, quàm pro religione à tyrannide istâ vindicandâ, suos populares est exhortatus. Sic & Arpaces Mediæ præfectus, Sardanapalo Assyrio, regni curâ prorsus neglectâ, inter pellices suas lanam trahente, regiasq; opes in eas profundente, cęteris proceribus dormientibus & conniventib. biennali cum obsidione pressum, Ninivâ captâ, unà cum scortis suis ad rogum tandem compulit (*anno mundi 3148.*) Quemadmodum igitur nautarum quilibet, si navarchi culpâ negligentiâve navis periclitetur, manum admovere tenetur: ita in politica hac navi, si Regis collegarumq; scelere vel desidiâ Respublica pereat, optimatum quilibet pro virili laboranti Reipublicę succurrere, regnumque in solidum, ejúsve saltem eam partem, sibi quæ commissa fuerit, à tyrannide vindicare tenetur; neque hoc tantùm, sed & vicinis tyrannide oppressis auxiliarem manum porrigere, & extra suos prosilire limites, non quidem ut invadat aliena, sed ut suis Regem, pietatis & justitiæ limites violenter transsilientem, contentum esse jubeat. Sic nimirum Constantinus Magnus à Romanis in Maxentium tyrannum accersitus: sic Carolus Magnus à patriciis Italiæ in Longobardos; sic Principes Europæi in Sara-

cenos; & multi Germaniæ proceres, in Turcas, fratribus afflictis adjutricem præbuêre manum. Pietas nimirum jubet, Ecclesiam Dei tueri; justitia, tyrannos, legum reique publicæ eversores, cohercere; charitas, oppressis succurrere. Hæc qui tollunt, pietatem, justitiam, charitatem è medio tollere, & extinguere omnino volunt.

FLOS V.

Salus populi, Principi suprema lex esto.

REgibus & Principibus colophon iste legum 12. tabularum rectissimè convenit; *Salus populi suprema lex esto*. Quam legem si exequantur, fieri nequit, ut non vicissim à populo diligantur, quia natura humana prona est ad remunerandum, & Gratiæ ita se manibus conjungunt, *ut una gratia aliam pariat*. Est & Principis vera gloria, populi salus; si eam procuret, tueatur & conservet. Regem esse, sæpe hoc pendet (ut Ferdinandus Apuliæ rex dicebat) ex fortunâ sive casu: At Regem talem se gerere, ut unicus ei sit finis, salus & cura populi, hoc ex verâ gloriâ, & propriâ virtute Principis pendet. Quemadmodum enim, secundùm Tullium lib. 5. de Repub. gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; sic Reipublicæ moderatori beata civiũ vita proposita esse debet, ut opibus firma, copiis

locuples,

locuples, gloriâ ampla, virtute honesta, inprimis verò religione sancta sit. Potissimam igitur Princeps bonus curam habebit, religionis SS. propagandæ, interque subditos purè conservandæ; Ecclesiæque Dei ab omni hæresi, corruptione & idololatriâ purgandæ; idque exemplo Mosis, Davidis, Josaphati, Ezechię, Josiæ; qui, quòd Dei Opt. Max. causam promoverunt, idola idolorumque reliquias subverterunt, falsosq; deorum cultus & superstitiones funditus extirparunt, plurimis à Deo affecti beneficiis, celeberrimisq; fuêre donati victoriis: exemplo item Regum & Principum Christianorum, quorum antesignani sunt, Constantinus, Theodosius & Carolus, Imperatores Romani, re & nomine magni, qui fidem Christianam multoties tyrannorum vi & crudelitate oppressam, non modò in pristinam dignitatem restituerunt, sed & multis ornamentis, firmisque præsidiis auxerunt, & hostes religionis magno numero aut penitus extinxerunt, aut saltē bellicâ virtute domitos, errorem suum deponere, seque ad societatem Ecclesiæ recipere coëgerunt. Imò & proprio exemplo, veram Dei religionem Princeps subditos suos doceat; utpote, quo efficacissimè pietatis & virtutis amor animis illorum instillatur; & in hoc ipso imitandos sibi proponat pientissimos illos, quorum modò facta est mentio, Reges & Principes, è quibus David septies in die laudasse legitur, Psal. 119.

Josaphatum & Ezechiam non puduit consistere in medio cœtu Judæ & Hierosolymorum, pronosque in terra Dei implorare misericordiam & clementiam, 2. Paralip. 20. & 32. Constantinus Magnus, populo in templo congregato, studiosè exordiri solitus, sumptis in manus libris, constitutasq; cum universo Ecclesiæ cœtu preces reddidit, teste Eusebio in ejus vita, lib. 4. cap. 17. & 33. Theodosius Magnus summo diluculo, cum conjuge & sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit, & cum Episcopis de sacris literis disseruit, ut author est Socrates lib. 7. hist. eccles. c. 22. Alii sacras Bibliorum Pandectas nocturnâ diurnâque manu pervolutarunt, sacris concionibus frequentissimè non solùm interfuerunt, sed & aures attentas præbuerunt; & quæ scitu digniora visa fuêre, suos in pugillares conjecerunt; deque illis cum theologis & amicis suaviter sermocinari consueverunt. Porrò, ut beata civium vita virtute sit honesta, ad omnis generis virtutes Princeps bonus eos exsuscitabit, utpote in quib. præsidii ad vivendum satis est; neque solùm ad vivendum, sed ad bene beatéq; vivendum. Tanti nimirum æstimanda est virtus, secundùm Ciceronem in Paradox. *quæ nec eripi, nec surripi potest, neq; naufragio, neq; incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur*; quâ præditi qui sunt, soli sunt divites, soli possident res & fructuosas & sempiternas, soliq;

(quod

(quod proprium est divitiarum) contenti sunt rebus suis; satis esse putant, quod est; nihil appetunt, nullâ re egent, nihil sibi deesse sentiũt, nihil requirunt. Non fastidioso enim aditu virtus excitata, ingenia vivida ad se penetrare patitur; neq; haustum sui, cum aliquo personarum discrimine, largum malignúmve præbet; sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potiùs, quàm quid dignitatis homines attulerint, æstimat; deque captu bonorum suorum illis ipsis pondus examinandum relinquit, ut, quantum subire animo sustinuerint, tantum secum aufe-rant. Quo evenit, ut & humili loco nati ad summam dignitatem consurgant; & generosissimarum imaginum fœtus, in aliquod revoluti dedecus, acceptam à majoribus lucem in spississimas tenebras convertant. Hinc rectè Iphicrates Atheniensis, patre sutore natus, (quem deinceps ob singularem prudentiam & fortitudinẽ bellicam, Artaxerxes, Persarum rex, bellum Ægypto illaturus, ducem quæsivit) cùm ipsi ab Harmodio, uno de prisci illius Harmodii Pisistratidarum tyrannicidæ posteris, ignobilitas exprobraretur; Meum, respondit, à me incipit genus: tuum in te definit, teste Plut. in apoph.

Virtutum autem præstantiæ ejusmodi homines compotes fieri possunt, qui ab ineunte ætate in illis ipsis & educati fuerint & versati.

Ad quam honestam educationẽ leges summæ

opere necessariæ sunt; adultis quidem, ut in virtute magis magisque exerceantur & conserventur: junioribus verò, ut ad virtutem, à qua alieniores sunt, cùm vagam vivendi & luxuriandi licentiam vulgi more sectantur, pertrahant.

Magnum quoque ad virtutis studium calcar subditis injicit, bonum & laudabile Principis exemplum; utpote *cujus vita*, ut Plinius ait in Panegyrico, *censura est, eaq; perpetua, ad quam dirigitur, ad quam convertitur populus: nec tam imperio ipsi opus est, quàm exemplo.*

Tertiò, beatâ civium vitâ gloria ampla redditur; si ad gloriæ studium à salutari Principe subinde exstimulantur.

Virtus nimirum & gloria ita firmiter annexæ atq; arctè colligatæ sunt, ut nullâ arte divelli aut distrahi possint.

Ideo solidæ veræque virtutis cultores, vel inviti & nolentes, gloriæ palmam nunquam interituram assequuntur; quemadmodum econtrà ad decus & laudem frustra aspirant, qui contumaci animo virtutis patrocinium aspernantur.

Cùm igitur probè culta virtus honoris præmium cumulatè rependat, ei pertinaciter adhærendum; &, ut rectè excolatur, nulli recusandi labores. Et quia gloria virtutis comes est, ideo cũ virtute laudandi sunt, qui veræ gloriæ cupidi, illustrium virorum facta adæquare vel superare conantur.

Porrò,

Porrò,ut beata civium vita copiis quoque sit locuples, Princeps salutaris propter illorum salutem,quæ sibi semper suâ vitâ carior esse debet, à bello,etiamsi belli graves habeat causas,abstinebit, nec ullam dimicationem cædemque faciet; memor ex divinâ lege,Exod.20.& 23. alieno sanguini tanquam suo esse parcendum;& ut Seneca loquitur epistola 89. *homine non esse prodigè utendum*; ac proinde nunquam, nisi coactus,nunquam,nisi Reipublicæ causâ,bellum faciet; & in ipso bello primam hanc aget curam, ut quàm minimâ civium jacturâ paretur victoria.

Quanquam n. ut Nero jactat apud Senecam, *extinguere hostem, maxima est virtus Ducis*; tamen,ut idẽ monet Seneca, *servare cives, majus est patriæ patri.* Inprimis verò Princeps bonus pacem & concordiam in subditos fovebit, & rixarum semina suffocabit.

Concordia nimirum verè fundamentum est otii, bonorum civium seminarium, & aureum atque adamantinum vitæ vinculum; per quam res quæque minimæ non modò convalescunt, sed & coalescunt; & sine qua neque civitas bene gubernari, neque domus rectè administrari potest. *Quæ enim domus*, inquit Cicero in Læl.*tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atq; dissidiis funditus possit everti?* Unde rectè discordiam Livius libr.3. decad.1. appellat *ordinum Reipubl.venenum*; utpote,quæ agris,oppi-

dis, regnis vastitatem, solitudinem, orbitatem affert.

Postremò, subditorum vitam opibus firmam reddet salutaris Princeps, si in privatorum divitiis suas consistere ratus, apud subditos suas quodammodo opes deposuerit; seq; tũ amplissimũ tenere thesaurum, cùm subditi divitiis affluunt, putaverit. Utiq; n. nullæ opes aut certiores sunt, aut utiliores, quàm quæ sunt apud subditos; hæ solæ stabiles firmæque permanent, quibus Princeps, ubi necessitas postulat, utatur ac fruatur cum voluntate & studio subditorum.

Rectè hoc ita intellexit Cyrus, rex Persarum, qui non modò familiares & amicos, sed è subjectis unumquemq; adeò gavisus est copiâ rerum abundare, *ut boni Regis proprium officium & opus esse diceret, etiam civitates beatas efficere.* Tributum à Persis exegit nullum; ideo pater ab eis audiit, quòd omni ratione de subditis benemereri studeret, teste Herodoto lib. 3.

Pari modo, Constantius Chlorus Imperator, utilitati & commodis provincialium & subditorum studuit. Et sicut quondam Cyrus *non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisset divitiarum, suos esse thesauros* dixit; ita Constantius in ore sæpiùs habuisse fertur, *opes publicas rectiùs à privatis compluribus generari, quàm intra unum Principis claustrum reservari.*

Idem ingentem auri vim, propter Diocletianì

& Ma-

& Maximiani criminationes, ad nutum ipsius à subditis certatim atque promptè collatam in Gallia, eis cunctantibus, & Imperatori suo gratificari cupientibus, domum reportari jussit: quòd nimirum eis nusquam tutior custodia, nusquam ex eâ fructus major, quàm apud subditos, capi posse videretur; à quib. quoties opus foret, cum centuplo fœnore, & cum maximis usuris repeti ea posset. Sic & Ptolomæus, Lagi filius, Ægypti rex, *magis decere Regē dixit, ditare subditos, quàm ipsum divitem esse.* Hoc itaque boni Principis menti, hoc successibus congruit prosperis, ut integra omnium patrimonia labore & fortitudine suâ servet; summumque adeò, & primum pietatis ejus munus est, *Rempublicam ceu domum paternam, & subditos ceu liberos diligere*; secundùm Ammianum Marcellinū lib. 17. & 27. Nec enim Principi civium servitus, sed tutela tradita est, quorum ipse & tutor & defensor, imò pater esse debet; qui verè est Homericus ille ποιμὴν λαῶν; qui, teste Xenophonte lib. 8. Cyropæd. eligitur, non ut ipse se molliter curet, sed ut per ipsum ii, qui elegerunt, bene beatéque agant. Et hoc de subditis suis bene merendi studio, eorumque salute curandâ, inprimis bonus & salutaris Princeps à tyranno differt; utpote, qui omnes init artes, quibus subditos deglubat & excoriet, illorumque opes exhauriat, & in proprium fiscum redigat; ut in victu quærendo anxii, de libertate

quærendâ minùs cogitent, nec in ipsum aliquando insurgant; ideoque & foris bella semper parat & nutrit, aut saltem imminere simulat, ut inde vires subditorum enervet; domi verò subditos in se colligit, & factiones in Republica serit atque alit, ut unius ope alterum teneat, & superstitem tandem opprimat, & ex hoc, tanquam ulcere, (quod perfidis chirurgis in more est) lucrũ perpetuum captet; sentiens cum Aulo Vitellio Cæsare, *optimè olere hostem mortuum, at meliùs civem.* Inprimis verò viros bonos & justos, Reiq; publicæ primates dolo, fraude, calumniis tyrannus opprimit: & quò citiùs eos è medio tollat, conspirationes in se initas subinde comminiscitur, ne fratribus quidem & consanguineis parcens. Semper enim cum tyrannide conjuncta est sophistica calumniatrix & præstigiatrix Exemplo est Achab, rex Israëlitarum, vineæ Nabothi Israëlitæ, palátio regio viçinæ aut contiguæ, inhians; quam cùm nec pretio, nec precibus obtinere posset, tantopere stomachatus est, ut cibum præ ægritudine non caperet. Jezabel regina literis ad senatum & optimates missis, Nabothum læsæ majestatis falsò accusat; quo in judicium vocato, testibusque conductis damnato, & saxis obruto, Achab hujus vineam vi occupavit, 3. Reg. 21. *(anno mundi 3045.)* Pari modo Herodes Ascalonita, Judæorum rex, expugnatis Jerosolymis, ope Romanorũ, Marco Antonio *(anno*

mundi

mundi 3935) persuasit, ut insolito exemplo Antigonum regem, sicut Antiochiæ 45 primates percusserat, qui Antigono favebant, interfecerit *(anno mundi 3935.)* Idem Josephum patruum & Sohemum, amicos summos, falsâ suspicione adulterii cum Mariamne regina commissi, insontes peremit; Hyrcanum, socerũ suum, è Parthia magnis pollicitationibus ad se vocatum, regni affectati crimen falsò ei objiciens, trucidavit *(a.M. 3942.)* Mariamnem, uxorẽ amantissimã, de veneficio suspectam, capitis supplicio affecit immerentem; mortuæ desiderio contabescens, amicorum optimos levissimis de causis sustulit: Aristobulum & Alexandrum, filios suspectos tantùm de insidiis, criminationibus Antipatri, fratris ex alterâ uxore, injustè strangulavit *(a.M. 3966)* teste Josepho lib. 15 & 16.

Sic & Tiberius Cæsar Drusum fratrem apud Augustum in apertum vitæ discrimen adduxit; Germanicum Drusi filium, quem Augusti jussu adoptaverat, veneno interemit *(a.C. 20.)*

Agrippina ejus conjugem Neronem, & Drusum filium, jam adultos, variis calumniis coopertos, senatui damnandos objecit; quorum hic in palatio necatus a.C 31. ita ut subductis alimentis tomentũ è culcitris mandere coactus sit; ille, scil. Nero, in Pontia insula, quò fuerat relegatus, viso unco, & catenis in carnificis manibus, ratus patrum decreto ad supplicium venire, sibi vim

intulit, ex omnibus amicis vix duos tandem incolumes præstitit, ut scribunt Dion & Suetonius.

Domitius Nero, cùm Agrippinam matrem multis insidiis frustra attentatam, apertâ tandem vi aggressus, à centurione necandam curasset; scriptis ad senatum literis multa ei objecit crimina; & præter alia, quas vitæ suæ insidias struxisset, ut cædem istam specioso prætextu excusaret, ut iidem authores scribunt. Antoninus Caracalla (*anno Christi 213*) Getâ fratre in sinu matris confosso, ex urbe ad exercitum fugit, simulans, percussores ab aliis subornatos fuisse, qui se & fratrem occiderent; quo prætextu omnes occidit fratris domesticos & amicos; sic ut ne ætati quidem parceretur, & sævitum in quosq; quavis de causâ, qui opibus excellerent, ut bona eorum raperet. Sic & Maximinus Imperator (*a.C.237*) contra salutem suam initas conspirationes multas fingens, quatuor millia hominum interfecit.

Habent & hoc tyranni sibi proprium, ut virtute præstantes ministros, aliosq; viros egregios, si sibi sint suspecti, populo verò grati & accepti, vel honestis prætextibus à Reipublicę curâ prorsus amoveant, vel militiæ periculis objectent; (sicuti nimirum Saul Davidem, ut Philistinis interficiendum objiceret, honoris specie tribunum militum fecit (*anno M. 2885.*) generum quoque postea egit promissâ filiâ Michol, si centum ho-

stium

stium præputia reportasset, 1. Reg. 18. Sic Mizypsa (*anno mundi 3841*) Jugurtham ad Scipionem, qui Numantiam tum obsidebat, ablegavit; ut ferox juvenis, objectando se periculis, extingueretur, teste Salustio in Jugurtha. Sic Galerius Maximinus Cæsar Constantinum Magnum, Constantii Cæsaris collegæ sui filium, quem pater fraternæ fidei obsidem Galerio in re militari erudiendum dederat, laudi ejus invidens, consultò sub honoris specie variis periculis objectavit; quæ ille semper insigni animi fortitudine depulit, ut author est Sigonius lib. 1. Imperii Occidentalis:) vel deniq; honestis muneribus, & longis per legationes peregrinationibus, ab iis quibus chari sunt, abstrahant; quò faciliùs amicorum auxilio destitutos, insidiis & astu, & excitatis in eos validis adversariis, specie simultatum, vi vel veneno de medio tollant. Quo scelere & astu Germanicus Cæsar, à Tiberio Imperatore, cui diu invisus fuerat propter excellentes animi virtutes, tandem per Cneum Pisonem fuit sublatus (*anno Christi 20.*) ut Tacitus scribit lib. 2. Annal.

Ex his & similibus exemplis, quibus omnes historiæ refertæ sunt, tyranni conspicitur natura; quē haud immeritò sacra pagina Prov. 18. Leoni rugienti comparat; cui tamen vulpes sæpissimè copulata est. *Quæ enim totius injustitiæ*, inquit Marcus Cicero Offic. 1. *capitalissima est, etsi*

re ipsâ id facit tyrannus: id tamen ita ferè curat, ut tum, cùm maximè fallit, vir bonus esse videatur. Itaque etsi Deum ipsum, ejusque leges, justitiam item & æquitatem contemnit, humanitatem deniq; studiosè pervertit; pietatem tamen erga Deum simulat, ne populus in ipsum, ceu Deo charum, quidquam moliatur; studium item erga Rempublicam simulat, non tam ut Reip. prosit, quàm ne sibiipsi noceat; justitiæ quoq; & fidei laudem levioribus in rebus affectat, ut faciliùs in gravioribus injuriam facere & fallere possit; non secus ac latrones, & qui maleficio atque scelere pascuntur, qui sine justitiæ saltem aliquâ portiunculâ diu consistere nullo modo possunt; clementiæ item affectat laudem, veniam indulgendo interdum sceleratis, quos morte mulctare clementia summa erat; humanitatem denique simulat, ut Comicâ istâ facie tragœdias agat.

Exemplo est Saul, qui bello Philistino primo (*anno mundi 2883*) cum duobus tantùm millib. (reliquis Israëlitis metu diffugientibus) apud Gilgala, Samuelem prophetam ad 7. usque diem exspectare jussit; eo ad tempus constitutum nondum præsente, ipse sacra in Dei honorem per se peregit, ex merâ ambitione & polypragmosyne sacerdotis munere functus. Deinde Samueli quidem obviam progreditur, non ut ipsum tantâ veneratione complectatur; sed ut modestiæ saltem gloriolam coram populo venetur, & simul

hoc

hoc prætextu suam dissimulet impietatem atq; inobedientiã; & tandem, licet fateatur hoc suum factum, interim tamen id non solùm excusat, sed &, quicquid hîc peccatum est, in Samuelem potiùs, quàm in se culpam rejiciendã censet, 1. Regum 13. Idem contra Amalekitas exercitum ducere, eosque ad internecionem exscindere à Samuele jussus omnes; uni Agago regi, atque armentorum optimis quibusque pepercit, quæ ad sacrificium Jehovæ ad Gilgala faciendum conservasse milites prætendit; hypocriticam hanc suam pietatem, & perversam clementiam, summam interpretatus justitiam & clementiam, 1. Reg. 15.

Porrò cæso Goliatho, cùm populus in Davidis prædicationem totus effusus, Sauli eum præferret, hic invidiæ & æmulationis furiis agitatus, propter affectati regni suspicionem, persequi illum cœpit dolosâ benevolentiæ simulatione; insidiosè ipsi spondens filiã suam, hac tamen lege, ut sponsalia, ducentis Accaronitis cæsis, fortiter redimat; sub honoris hac specie Davidem manifesto periculo objecturum se sperans, 1. Reg. 17. & 18.

Sic & Herodes, Judæorum rex, in simulandâ benevolentiâ astutissimus *(anno mundi 3936.)* Hircanum socerum è Parthiâ advocatum, quasi regni consortem facturus, interemit; & Aristobulum, suum sororium, de sanguine regio, ponti-

ficatu ornatum (*anno 3939*) ſpecie colludendi, in piſcina natantem ſuffocavit, teſte Joſepho lib. 15. Antiquitat. c. 2. & 3.

Ab eodem Magi quoque blandiſſimis verbis ad prodendum Chriſtum invitati leguntur, Matthæi 2. Quibus monitu divino ab hoſpitali urbe digreſſis, hic ad intercipiendum virginis partum multa puerulorum millia morti dedit. Nec ab hac virulentâ patris ſui aſtutiâ degeneravit Herodes Antipas, qui Johannem Baptiſtam, inceſtuoſas ipſius cum Herodiade nuptias improbantem, religioſo jurisjurandi puellæ ſaltatrici dati prætextu, quod tamen non debuit eſſe vinculum iniquitatis, in cuſtodia Macheruntina capite minuit, ipſique Chriſto in Galilæa docenti, & inſolita edenti miracula, non ſemel inſidias tetendit; quem idcirco, fraudulentè & aſtutè agentem omnia, ipſe CHRISTUS vulpem appellavit, Marc. 7. Luc. 9 & 15. Sic & Tiberius Cæſar, mortuo Auguſto, Romam reverſus, in ſenatu perlecto Auguſti teſtamento, maximos gemitus atque dolores ſimulavit, principatum pluribus recuſans; multis precantibus ſenatoribus, plerisque ad genua procumbentibus, oneroſam ſibi injungi ſervitutem, conquerens. Quod quidem, ut Aurelius ſextus ſcribit, aſtu fecerat, ut diſceret, quid ſinguli ſentirent; atrociter explorans omnium animos; quæ res bonos omnes peſſundedit. Exiſtimantes enim, ex animo cum longâ

oratione

oratione Imperialis molestiæ magnitudinem declinare, dum sententias ad ejus voluntatem promunt, incidêre in exitia extrema, ut in ejus vita refert Cuspinianus. *Summatim, quod rex ipse est, tyrannus callidus videri vult*; & ut virtutis amore homines incendi scit, ita & virtutis aliquâ umbrâ decipiendos esse novit. At certè utcunq; vultum fingat, vulpina cauda semper prominet; & utcunque obganniat, rictus & rugitus leonem prodit.

FLOS VI.

Princeps νομοθέτης esto justus, & acer νομοφύλαξ.

DEus Rex regum Opt. Max. cujus nutu justissimo hæc rerum universitas regitur, ut omnibus in universum hominibus, ita vel maximè Regibus & Principibus, quos suam in terra repræsentare vult personã & imaginem, seipsum quasi formulam quandam & normam, non minùs factis, quàm rebus præbet; quem illi fontem atque authorem omnium bonarum legum, quæ murus sunt, & vallum societatis humanæ, grato agnoscant animo, eumq; justissimum νομοθέτην καὶ νομοφύλακα per totam vitam pro viribus imitentur. Utiq; enim non munitiones, quantumvis inexpugnabiles, non societates, non fœdera ar-

ctissimè devincta, non fines quàm latissimè prolati, non congestæ vel Crœsi opes Rempublicam conservant; sed diligens & severa legum custodia atque administratio. Hæ Reipublicæ, ceu corporis cujusdã, sunt anima & nervi, quarum nutu & authoritate homines docentur domitas habere libidines, cohercere omnes cupiditates, sua tueri, ab alienis mẽtes, oculos, manus abstinere, omnia deniq; alia agere, quæ ad salutem civium, civitatum incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam pertinent; sine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum genus universum, nec ipse mundus stare potest. Ante omnia igitur Princeps bonus & salutaris in exercendis judiciis, & justitiâ administrandâ Deum justissimum judicem exemplar sibi propositurus, Dei vox sit, legisque divinæ, in qua ipse se conspiciendum præbet, & quam normam esse vult omnium consiliorum, vocem sonet, ejusq; contemptum severè puniat; idque laudatissimo Mosis exemplo, qui blasphemum illum in divinam majestatem, & alterum sabbathi violatorem, Dei jussu damnatos, multitudini lapidãdos objecit. Quo eodem supplicio à Josua affectus Achanus, qui in direptione Hierichontis, de anathemate pallium purpureum auro intertextum, & argenti prædam furatus fuerat.

Sic & David rex Amalekitã, spe consequendi magnum aliquod precium mentitum, se esse illum,

illum, qui Saulē interfecerit, ablatum diadema, quasi prima novi Regis auspicia, asportantem, justissimâ morte mulctavit.

Deinde suas quoque Princeps Decalogo leges addat, non quæ malarum cupiditatum sunt ministræ; cujusmodi fuit illa Lycurgi lex, quæ adultero cōcedit pacisci de alterius conjuge; cujusmodi fuit & Cabadis, Persarum regis, ut fœminæ viris in commune essent expositæ: & ut cuivis ex lege liceret, ad quamcunque animus ferret, accedere, privatique tori participem fieri, teste Agathiâ lib. 4. Nec quæ ab honestate abhorrent; cujusmodi fuit illud regni Poloniæ statutum, cujus meminit Dubravius libr. 32. histor. Bohemicæ, quo sancitum erat, ut accusator furis suis illum manibus in furca suspenderet; aut si ad manus carnificem suum non haberet, ipse à fure suspenderetur, si fur id exequi voluerit. Nec quæ cum naturæ legibus pugnant, sed commodas, æquas, & ad communem utilitatem, tanquam ad peculiarem scopum, directas; quæ legum divinarum sint adminicula, & quasdam legum generalium circumstantias probabili ratione determinent; cujusmodi sunt, quæ in codice Theodosiano & Justinianeo extant; itemque Caroli V. Imperatoris, & aliorum Germaniȩ Principum publicorum judiciorum constitutiones; quarum & ipsarum legum custos & executor sit bonus Princeps, omniaq; scelera & flagitia externa, majestatemq;

divinam quæ violant, & societatem humanam perturbant, severissimè puniat; totumq; munus ad disciplinam & pacem referat, nec unquam à justitiâ deflectat; memor, se non hominis, sed Dei exercere judicium, ad cujus inevitabile tribunal, exactissimam de omnibus actis redditurus sit rationem.

Minimè ergo maleficis & sceleratis, quos leges è medio tollere, & ad supplicium rapere jubent, ipse supra Principis potestatem pœnæ gratiam faciat; nec se mitiorem aut prudentiorem Deo, qui ipsissima est justitia, æstimet; (crudelis enim est clementia, quæ sine probabili ratione sceleratis in Deum & homines injuriis parcit) ne delictorum impunitas præbeat delinquendi incentivum, etiam in ipsius personam. Etenim non raro Deus permittit, ut, quam pœnam facinorosi meruerunt, in illorum, à quibus impunitatem impetrarunt, capita redundet atque recidat.

Exemplo est Achabus, Israëlitarum rex, qui Benhadado, Syriæ rege in Deum blasphemo, & gentis Israëliticæ hoste aspondo, divinâ ope acie superato, sed illæso dimisso, à propheta audiit, illius vitam suâ vitâ, populumque suo populo repensum iri; quod & triennio pòst accidit, 3. Reg. 20. & 22. Sic & Saul, justo Dei judicio, regno se privatum iri audiit, quòd Agagum, Amalekitarum regem, quem cum omni prædâ totâque gente

gente exſcindere juſſus erat, vivum conſervaverat, 1. Reg. 15.

Pari modo cùm ab Attalo, Cleopatrę reginæ, quam repudiatâ Olympiade duxerat Philippus Macedo, avunculo, Pauſanias adoleſcens nobiliſſimus conſtupratus, & ab eo per contemptum plurium convivarum libidini, ceu vile ſcortum, ſubjectus eſſet; ſæpiùs apud Regē tam inſignem contumeliam fruſtra queſtus, ultionem, quam ab adverſario non potuit, ab ipſo Rege, tanquam ab iniquo judice, exigens, eum obtruncavit, ut ex lib. 1. ſupplementi Curtii refert Sabellicus lib. 3. Enneadis quartæ.

Non immeritò itaque apud omnem poſteritatem commendantur Reges & Principes, tam in legibus ferendis & exequendis, quàm in pœnis ſceleribus infligendis, juſtitiæ & æquitatis obſervantiſſimi; quorum è numero olim fuit Antigonus tertius, Aſiæ rex, qui omnibus regni ſui orbibus ſcripſit; Si quid in literis, quę ejus nomine ſcriberentur, eſſet, quod legibus adverſum videretur; crederent, ignaro ſe literas ejusmodi ſcriptas fuiſſe, & propterea eis non parerent, ut author eſt Fulgoſius lib. 6. c. 5.

Romanis, ob ſeverè cultam juſtitiam, orbis terrarum imperium à Deo conceſſum, cenſet divus Auguſtinus in lib. de civitate Dei.

Ex his Trajanus Imperator, ob juſtitiam & humanitatem adeò clarus, ut poſtea quoties

crearetur Cæsar, lætæ acclamationis præbuerit formulam, *Sis felicior Augusto, melior Trajano*; præfectum prætorii aliquando eligens, & gladiũ tradens fertur dixisse: Cape hunc ensem, & si bonus fuero, pro me; sin malus, contra me eo utitor, teste Dione lib. 68.

Marcus Antoninus Pius, Imperator, tantæ justitiæ fuit, ut multi Reges, multæque nationes, positis ipsius jussu armis, ad hominem controversias suas litesque deferrent, ac ejusdem sententiæ statim parerent, ut author Platina ex Capitolino.

Alexander Severus, Imperator, ad componendam Rempubl. vitio superiorum Principum labefactatam, animum adjiciens, justitiam ita coluit, ut nemo unquam de illatâ ab ipso injuriâ questus sit, ut idem scribit Platina.

Idem, judicatas à se religionis causas, à Pontificibus & Auguribus retractari patiebatur; minimè sibi dedecori arbitratus, in iis, quæ ad religionem pertinerent, Imperatoriam majestatem sacerdotum authoritati cedere, ut author est Lampridius.

Valentinianum Imperatorem à justitiâ nunquam alienum, ideoq; quibusdam Severum cognominatum, vitiisque infestum, moribus Aureliano similem fuisse, scribit Cuspinianus.

Theophilus, Imperator Constantinopolitanus, justitiæ cultor, apprimè gravem sese, & inexora-

exorabilem delinquentibus præbuit, teste Zonarâ tomo 2.

Sic & Andronicus Comnenus, Imperator, nullâ personarum habitâ ratione, genere & opibus illustres, æquè ac tenuis fortunæ homines, in jus adductos, ex æquo audivit. Scripsit & ad quosdam magistratibus fungentes: *Aut injurias, aut vitam relinquite: nam vos injurios esse & vivere, neq; Deo acceptum est, neq; mihi servo ejus tolerabile:* Author Nicetas lib. 11. de rebus Andronici Comneni. Edgarus, Angliæ rex, delictorum inquisitor & punitor fuit acerrimus, quod tamen sine irâ & sævitie faciebat. Quandoq; enim ad crimina leviora non gravatè connivebat, ut salubrẽ magis, quàm ambitiosum Principem se præberet; scribit Polydorus lib. 6. hist. Angl. Ericus, cæso Nicolao, rege Danorum, regno potitus, majorum leges, quæ inter bellorum tempestates, & armorum usum penè interciderant, restituere summo conamine nisus, ac non tam fortitudinis, quàm justitiæ laude insignis haberi cupiens; in quosvis delinquentes, nullâ personæ aut dignitatis ratione habitâ, vel ferro, vel laqueo, prout res postulabat, animadvertebat.

Itaque magnatum conjuratione, in tribunali sedens, à Plego quodam lanceâ transverberatus est, regni sui anno quinto, teste Saxone & Cranzio lib. 5 Daniæ.

Sic & Jacobus primus, Scotorum rex, ex An-

gliâ (ubi per 18. annos captivus manserat, cùm regnū interim à Ruperto Stuardo patruo, ejusq; filio Mordaco gubernaretur) domum reversus, (*a.C.1424.*) perlustravit omnes Scotiæ regiones; ac si quos nefarios populi ac sacerdotum, aut mercatorum, rusticorúmve oppressores comperisset; convictos capite damnavit omnes, nec cuiquam remissio culpę homicidii perpetrati, à Gubernatore accepta, profuit; cùm diceret, indulgentiam illius non perpetuam fuisse, neq; ex usu Reipublicæ. Duobus primis regni ejus annis, per varia suppliciorum genera, ob vetera flagitia à Rege sumpta, plus quàm tria millia hominum interempta fuisse scribit Hector Boëtius lib. 17.

Usque adeò nullum æquè ac justitiæ munus Regi convenit, quo ipse præter alia à tyranno potissimùm differt. Rex nimirum ex legum præscripto & bene Rempublicam administrat; at tyrannus ex arbitrio, libidine, cupiditate, avaritiâ usurpat sibi regendi potestatem, præter id quod fas est. Id quod de Tarquinio Superbo refert Dionysius Halicarnassæus lib. 4.

Tyranni enim nolunt subjecti esse legibus, & opprimuntur, qui leges tueatur.

Exemplo est Bassianus Caracalla Imperator, qui (*a.C.213.*) interfici curavit Papinianum Jurisconsultum, nolentem excusare fratricidium fratris Getæ, teste Dione in Caracalla.

Et, crescente tyrannide, authoritatem legum perire,

perire, documento est Cambyses, rex Persarum, cujus metu judices Persarum ab ipso interrogati; utrùm lex sit inter Persas, quæ Regi sororem ducere concederet? negarunt quidem talem extare, sed aliam ejus adjutricem invenerunt, quæ concederet Regi facere, quodcunque lubitum esset: quod metu supplicii à judicibus dictum memorat Herodotus lib. 3.

FLOS VII.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.

EST quoque justi Principis, suum cuique tribuere: nec tantùm pœnis plecti scelera, sed & bene merita præmiis mactare. Nihil enim magis subditos devincit magistratui, quàm præmia. Nec quicquam justius est, magisq; homines ad virtutis studium, sine quo tota Respublica quasi exangue & mortuũ jacet cadaver, incitat, quàm virtutis remuneratio. Nimirum ubi proposita sunt virtutum præmia; ibi student homines, omnesque intendunt nervos, ut ad gloriam contendant. *Et eò* (inquit Livius lib. 4.) *labor & periculum impenditur, unde emolumentum & honos speratur; ubi verò nullum discrimen est inter ignavum & strenuum, inter bonum & malum; ibi prorsus virtutes algent.*

Hinc Trajanum Imperatorem laudat Plinius in Panegyrico, quòd bonos cives faciat nõ pœnis malorum, sed præmiis bonorum. Proinde Reges & Principes, si suæ & populariũ saluti consulere voluerint, minimè alienæ laudi invidere debent; nec claros viros, optiméque de se & Republicâ meritos, debitis honoribus fraudare; sed veteres potiùs imitari Romanos, qui cives suos ad fortia facta incenderunt triumphis, coronis, & publicis laudationibus.

Sic & Augustus Cæsar, teste Suetonio cap. 38. non parcus fuit in bellicâ virtute honorandâ, sed ampliùs triginta Ducibus justos triumphos, & aliquantò pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.

Idem, proximum à diis immortalibus honorem memoriæ Ducum præstitit, qui populi Romani Imperium ex minimo maximum reddidissent.

Itaque & opera cujusque, manentibus titulis, restituit, & statuas omnium, triumphali effigie, in utraque fori sui porticu dedicavit, &c.

Alexander Severus, Imperator, ubi quem de Republicâ bene meritum persecuturus esset; antè illi gratias agebat & suo & Reipub. nomine; quòd ita quidem Rempubl. gessisset, ut bene de eâ meritus judicaretur. Non enim ignorabat vir integerrimus, *illud liberalitatis proprium esse*,

ut dona

ut dona ipsa gratis verbis exornentur; scribit ex Lampridio Pontanus c.24 de liberalitate.

Sed non tantùm viris militaribus præmia esse debent verborum, reique pecuniariæ, & aliorum commodorum honores; sed vel maximè traductiones ad superiores Ordines & Imperia; idque laudatissimo quorundam Regum exemplo, qui obscuro quoq; loco natos, ob res domi militiæq; fortiter & laudabiliter gestas, ad summas evexêre dignitates.

Sic nimirum Hermannum Dillingum, pauperibus ortum natalibus, virum acris ingenii, Otto primus, Imperator, primùm filiis suis adolescentiæ, & morum informatorem adjunxit *(a. C. 950.)* dehinc Italicam contra Berengarium suscepturus expeditionem, Albianæ Saxoniæ, quæ jam inde à Wittichindo nullum peculiarem Principem habuerat, administrationem ipsi commisit; fidem tandem ejus & integritatem expertus *(a. C. 966.)* in altera in Italiam expeditione Ducem eum Saxoniæ creavit, teste Cranzio lib. 4. Sax. c. 8, 9, & 15.

Sic & Ottoni majori, Comiti Wittisbachio, aquilifero suo, qui sæpiùs susceptâ legatione in Italiam & Græciam profectus, Cæsari modestè parendo, omnem suam operã Reip. devoverat, omnes nervos disciplinę militari intenderat, plurima in Italia pręclara facinora fortiter ediderat;

Fridericus primus, Imperator (*anno Chr. 1180*) Ratisponæ in comitiis, Henrico Leone crimine læsæ majestatis damnato, Bavariæ Ducatum virtutis ergo concessit, ut author est Aventinus lib. 5. annal. Bojorum.

Pari modo Fridericus Comes Zollerius ab Imperatore Rudolpho Habsburgio, cui cùm aliâs sæpe, tum inprimis in bello Basiliensi, suam probaverat fidem (*an. C. 1273*) veterum Burggraviorum Norinbergensium, è prosapia Marchionum Vogburgiorum, familiâ extinctâ, dignitate est remuneratus.

Hujus postea pronepos, Fridericus quartus, Burggravius Norinbergensis, ob fidam & strenuam Sigismundo Imperatori in Ungaricis, Bohemicis, & Imperii difficillimis negotiis præstitam operam, remunerationis ergo (*an. C. 1417*) Marchiam Brandeburgensem unà cum Electoratus dignitate accepit, in suamque stirpem perpetuâ successione propagavit.

Eidem Imperatori, contra rebelles Bohemos, militavit Fridericus bellicosus, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Misniæ; quib. ad Brixiam superatis, & arce Carolosteniâ obsidione liberatâ, ob fidele hoc præstitum auxilium, Ducatum Saxoniæ cum septemvirali dignitate ab ipso familiæ suæ acquisivit.

Sic & superioribus annis, bello Turcico durante, ob insignia virtutis & fortitudinis militaris docu-

documenta, Adolphus Baro Schvvartzebergius in Comitum, Melchior Rôderus, eques Silesius, in Baronum ordinem, ab Imperatore Rudolpho secundo sunt cooptati. Vaba Curtius item, Nobilis Lotharingus, equitis aurati jure & dignitate donatus, aliisque muneribus & honoribus est ornatus.

Et hac ipsâ quoque præmiorum in bene meritos de Republicâ collatione, Rex à tyranno differt: utpote qui improbos tantùm, ignobiles, & quasi terræ filios, extollit; qui, quòd sua omnia ipsi debeant, quibuslibet in rebus adulentur & inserviant. Sic nimirum, ut author est Suetonius, Cajus Caligula, Cæsar, turpissimos & perditissimos homines in curiam induxit; per hos suam se dignitatem recuperasse dictitans. Sic & Tiberius Imperator in ipsa publicorum morum corruptione, cum Pomponio Flacco & Lucio Pisonio, noctem continuumque biduum epulando potandoque ubi consumpsit, alteri horum Syriam provinciam, alteri præfecturam Urbis confestim detulit; codicillis quoque jucundissimos, & omnium horarum amicos professus. Idem, ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit, ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram, eodem teste Suetonio.

Sic & Michaël, Theophili Imperatoris Constantinopolitani filius, homo omnium flagitiorum genere contaminatissimus, adeptus Impe-

rium, regias opes in res scurriles effudit; adeò, ut Himerium quendam, quòd ventris crepitu cereum extinxisset, auri aliquot libris donavit, ut author est Cedrenus.

Porrò in pœnarum quoque irrogatione boni & justi Principis elucere debet lenitas & clementia, quem non singula ad vivum resecare, aut severitate potiùs & vi, quàm mansuetudine & humanitate conficere decet. Princeps enim bonus subditis utitur tanquam liberis; utpote quorum pater est, teste Homero Odyss. β.

Quemadmodum igitur pro peccato magno parum supplicii satis est patri, ut est apud Comicum in heautontimorumeno: ita quoq; Princeps bonus, ut Ovidius canit lib. 2. de Ponto,

Est placidus, facilis, parens, veniæq; paratus,
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.
Qui, cùm triste aliquid statuit, fit tristis & ipse,
Cuiq; ferè, pœnam sumere, pœna sua est.

Et, quia Imperium nihil aliud est, quàm cura salutis alienæ, ut sapientes definiunt; *homines nullâ ad Deum ratione propiùs accedunt, quàm salutem hominib. dando*, ut Cicero scribit in Orat. pro Ligario: utique boni est Regis & Principis, restringere potestatem, & cupiditati atque iracundiæ quantâ maximâ vi resistere. *Miserum siquidem est instrumentum senectuti, recordatio crudelitatis*; teste Ammiano Marcellino lib. 29. Nec unquam gladius cuiquam sui amorem persuadere

ſuadere aut extorquere potuit; ſed eum, qui punitur, perdit: cæterorũ animos ab eo, qui pœnas ſumit, alienat. Neque enim ob aliorum ſcelera amare incipiunt, ſed oderunt magis ob metum ſibi quoque impendentem, ut in Auguſto ſcribit Zonaras tomo ſecundo.

Quocirca de vitâ & ſpiritu hominis, quia pars mundi eſt, multâ cum cunctatione & exploratione ſententia ferenda, ne præcipiti cæde, ubi irrevocabile fatum eſt, Princeps cum animo ſuo poſtmodum exagitetur. Et quanquam, ut in corporum morbis, ita quoq; in civitatum ægritudinibus, unum potiùs membrum reſecandum eſt, quàm ut totum corpus intereat; quia tamen, quicquid ex multis conſtat partibus, ita à naturâ comparatum eſt, ut aliqua ejus pars laboret: nec tamen ægra pars, quæ in humano corpore laborat, à peritis Medicis reſecatur; aliâs reliquum corpus aſpectu turpe redderetur; & tandem, ne corpus quidem remaneret: ita quoque Princeps ſalutaris, non ſtatim ſocietatis civilis partem laborantem abſcindet; (hoc enim modo totum corpus brevi interiret) ſed, ut Medici, plus interdum quiete & connivendo, quàm movendo & agendo, proficiet, ut in hanc ſententiam egregiè monet Dionyſius Haliçarnaſſæus lib. 6. Naturâ enim contumax eſt humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens; quem qui intempeſtivè corripit, aliud non conſequitur, quàm ut

delicta accendat, inquit Tacitus lib.12. Annalium.

Quocirca decet Principem, quàm diu potest, verbis primùm mollibus ingenia curare; transeat deinde ad tristiorē orationem, quâ moneat adhuc, & exprobret delicta; novissimè ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles, decurrat: *ultima verò supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire pereuntis etiam intersit.*

Exemplo è multis sit Cajus Julius Cæsar, in ulciscendo naturâ lenissimus. Hic, authore Suetonio, piratas, à quibus captus erat, cùm in deditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci antè juraverat, jugulari priùs jussit, deinde suffigi.

Cornelio Plagitæ, cujus quondam nocturnas insidias æger ac latens, ne ad Syllam perduceretur, vix præmio dato evaserat, nunquam nocere sustinuit. Philemonem Amanum servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non graviùs, quàm simplici morte puniit. In Publium Clodium, Pompeję uxoris suę adulterum, atque eâdem de causâ pollutarum ceremoniarum reum, testis citatus, negavit se quicquam comperisse, quamvis & mater Aurelia, & soror Julia apud eosdē judices omnia ex fide retulissent: interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem? *Quoniam*, inquit, *meos tam suspicione, quàm crimine judico carere oportere*; sic quę aut cogitarentur

rentur graviùs adversus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm vindicare. Itaque & delectas conjurationes conventusque nocturnos non ultrà arguit, quàm ut edicto ostenderet, esse sibi notas; & acerbè loquentibus satis habuit pro concione denunciare, ne perseverarent. *Utique enim satius est oblivisci injuriarum subditorum, quàm esse sine subditis:* quia emendati, Principis sui bonitatem experti, fideliores sunt futuri.

Sic & Titus Imperator, eodem teste Suetonio & Xiphilino, non modò senatorem, quàm diu principatum tenuit, interfici jussit nullum; sed nec alius quisquam sub ejus Imperio morte affectus est. De crimine læsę majestatis nunquam cognovit, neque permisit aliis, ut cognoscerent; *Nemo enim* (ait) *injuriâ me afficere, aut insequi contumeliis potest, propterea quòd nihil ago, quod reprehendi mereatur; ea verò, quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo.*

Pari modo quoque Nerva Imperator, reos majestatis absolvit, exules in patriam reduxit; & omnes qui metu mortis diffugerant, revocavit.

Theodosius junior, Imperator Constantinopolitanus, sic patientiâ & clementiâ cæteris præstabat hominibus, sic passiones animi frenabat, sic iracundiam & libidinem conculcabat, ut ratione vivere à cunctis prædicaretur.

Cùm olim à quodam interrogaretur, cur se

lædentes non condemnaret morte? Utinam, inquit, mortuis vitam dare possem. Zonaras.

Sic & Alphonsus, rex Neapolitanorum, admirabili dissimulatione præteriit quorundam oblatrationes & maledicta; quin etiam illatas injurias vindicare cùm posset, oblivisci maluit, teste Pontano lib. 2. c. 10. de fortitudine domesticâ.

Pari modo Henricus sextus, Anglorum rex, jam inde à puero contemptor rerum omnium, quæ animos mortalium labefactare solent; injuriarum, quibus itentidem affectus est, (bis enim in vincula ab Edovardo quarto, regni invasore, conjectus fuit) sic patiens, ut ne vindictam quidem appeteret, sed ob illud ipsum Deo gratias ageret, quòd per id sua delicta dilui putaret, ut author est Polydorus lib 24. Nimirum, ut Seneca canit in Octaviano,

Consulere patriæ, parcere afflictis,
Ferâ cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Urbi quietem, seculo pacem suo:
Hæc summa virtus; petitur hac cælum viâ.

Quòd si tamen viro Principi pœnarum, aut cohercitionis res est, (Reipublicæ enim interest, puniri sontes; & his pœnas infligere magistratibus incumbit, quibus idcirco gladius à Deo traditus, ad Rom 13.) hoc justitię munus aliis commendabit, & per suos exequetur ministros; non autem spectabit, ne subditorum sanguine gaudere videatur. *Ferina enim illa est rabies, san-*

guine

guine gaudere ac vulneribus, & abjecto homine in sylvestre animal transire, inquit Seneca lib. I. de clementiâ c. 24. Quique hominem, quamvis ob merita, in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, æquè suam polluit conscientiam, quàm si homicidii, quod fit occultè, spectator & particeps fiat, teste Lactantio lib. 6. c. 20. de vero cultu. Quare non absque causâ, in synopsi Caroli noni, regis Galliæ, ipse reprehenditur, quòd (*anno C. 1572. 27. Octob.*) in natali die filiæ suæ, quam ex Isabellâ Austriacâ, Maximiliani secundi Cæsaris filiâ, tulit; ita avidus fuerit suppliciorum spectandorũ, ut sub occasum solis accendi faces jusserit circa furcam, ut morientium ora certiùs cognosceret.

De eodem Rege in eodem libello scribitur, quòd lanienam & cædem Amiralii & sociorum ejus ex arce lætus spectarit; & aliquot pòst dieb. cùm Amiralii cadaver ad furcam publicam suspenderetur, servis fœtorem non ferentibus, dixerit: *Hostis mortui bonum esse odorem.* Quam delectationem sanguinolentam procul dubio didicit ab Aulo Vitellio Cæsare, qui Ottone interfecto, cùm campos, in quibus pugnatum fuerat, adiisset, tabemq; cadaverum conspexisset, dixisse fertur: *Optimè olere occisum hostem, at meliùs civem.* Non enim hoc Regum & Principum, sed tyrannorum est, qui animam habent ex libidine & crudelitate conflatã, & cum Caligula optant,

populo unam esse cervicem, quam uno ictu amputent; nec vulgaribus contenti suppliciis, nova suppliciorum genera non rarò excogitant; quasi non satis sit, hominem semel mori.

Tale supplicii genus subiit Sisamnes judex, ob iniquam sententiam à Cambyse, Persarum rege, excoriatus; cujus pelle tribunali instratâ, filium ejus Othanem in eam sedem collocavit, jubens patris intuentem exuvias, rectè judicare, teste Herodoto lib.4.

Tale supplicii genus fuit quoq; Scaphismus, quo Cyri à se interfecti jactantiâ miserè periit Mithridates Persa, de quo vide Plutarchum in vita Artaxerxis. Hoc supplicio plectendus, supinus, oculis ad solem conversis, duobus imponebatur scaphis, & ungebatur melle, lacte, aliisque dulcibus liquoribus, quorum dulcedo magnam muscarum & culicum copiam invitat; & quotidie ei præbebatur cibus, ut diutiùs cruciatus tolerare posset. Hoc modo Mithridates 17. dies cruciatus, lentâ morte absumptus est. Hujusmodi horrendo supplicii genere affectus quoq; fuit à Selimo (*a.C.1512.*) Mustapha Bassa, cujus subnixu ad Imperium ille conscenderat; quòd videretur ad Achomaten declinare metu immanitatis; quem strangulatum canibus deinceps dilaniandum objecit. Barbaricam hujusmodi crudelitatem ab hoc patrono suo didicit Johannes Zapoliensis, Transsylvaniæ Weywoda, qui

postea

postea contra Ferdinandum Cæsarem, regnum Ungariæ invasit. Hic cum seditiosis rusticis ad internecionem præliatus, in eorum duces tam horrendis sæviit exemplis (*a.C.1514.*) quæ vix cadere potuisse in sensum humani pectoris, scribit Curæus in annalibus Silesiæ pag. 233. Georgium enim Imperatorem rusticorũ, in equuleo extendit; caput ipsi coronâ ex ferro candenti cinxit; venas aliquot aperuit, & sanguinem profluentem, Lucatio, fratri Georgio potandum præbuit. Deinde præcipuos ex rusticis, quos inediâ tridui excruciaverat, coëgit, ut dentibus artus Georgii adhuc spirantis lacerarent & vorarent. Membris ipsius laniatis cùm jam expirasset, viscera ipsi extraxerunt, dissecarunt, & aheno cocta, veruque assata, militibus voranda proposuerunt; eosque demum illis Thyesteis epulis satiatos, unà cum Lucatio longis & diris suppliciis interfecerunt.

FLOS VIII.

Princeps fidei memor esto tenaxque.

HUjus imagine ante oculos positâ, inquit Valerius Maximus lib. 6. cap. 6. venerabile fidei numen, dextram suam, certissimum salutis humanæ pignus, ostentat: Fides, inquam, sanctissimum humani pectoris bonum, quæ nullâ ne-

cessitate ad fallendum cogitur, nullâ corrumpitur pecuniâ, teste Senecâ epistola 89. Fides justitiæ fundamentum, & aurea illa catena, quæ de cælo demissa totam hominum societatem continet, omniumque contractuum, fœderum, pactorum, omnis denique amicitiæ vinculum est firmissimum. Unde rectè Cicero ait 2. Offic. *Nihil vehementiùs Rempublicam continere, quàm fidem*, quàm dictorum conventorumque constantiam & veritatem; ex Stoicorū sententiâ definit, Offic. 1. ubi duplex fidei ratio ostenditur: Una, quę consistit in veritate dicendâ, & nō dissimulandâ; ne decipiatur, vel in errorem inducatur, qui dictis, testimoniis & scripturis nostris fidem adhibet; Altera, quæ est in constantia contionum, ut nimirum fiat id, quod alter nobis paciscendo vel contrahendo credidit. Utraque hæc in Principibus potissimùm desideratur; utpote, *quorum simplex verbum tantum valere debet ad fidem, quantū privatorum hominū jusjurandum*: quod apophthegma sæpenumero dicere solitum fuisse Alphonsum, regem Hispaniarum sapientissimum, in ejus dictis & factis memorat Panormit. libr. 1. Hinc in symbolum fidei, in codicillis Principum magnum sigillum apponitur, inseruntur fila, quæ pendent è chartâ, medio sigillo Principum; ut doceatur, Principes suis promissis in perpetuum esse ligatos; *quos non decet labium mendax*, teste Salomone Prov. 17. Quemadmo-

admodum enim Deus, de cujus fide dubitare nefas est, (quippe qui mentiri non potest, imò ipsa est veritas; qui præterea omnia, quæ futura sunt, novit; quique omnia, quæ vult, potest: vult autem omnia, quæ pollicetur; nec, quæ de labiis suis procedunt, facit irrita, nisi quis sese ejus voluntati refractariè objiciat, fidemque datam violet) sua custodit pacta, nec illorum obliviscitur: ita quoque Principis, qui in potestate & authoritate suâ Dei repręsentat imaginem, verba & promissiones ad firmitatem propemodum divinam accedere debent, postquam fidem dedit, etiam cum rerum suarum jacturâ; atque ita *honestum semper præferendum utili.*

Docet hoc, Sigismundi Imperatoris exemplo, Æneas Sylvius libr. 3. comment. in Panormit. qui exigenti promissa veterano cùm diceret, immoderatam ejus fuisse petitionem; hic autem respondisset: *Poteras negare cùm peterem; nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris:* tum Sigismundus; *Si ex duobus alterum me ferre oportet, faciliùs rerũ, quàm famæ, jacturam subibo.* Sic & teste Zonarâ lib. 3. Annal. Leonem Magnũ (*a.C.* 457) recens Imperiũ adeptum, crebris flagitationib. urgebat Aspar, cujus authoritate Imperator declaratus fuerat; ut, quemadmodum promisisset, alterum filiorum suorum appellaret Cæsarem; cúmque cunctaretur, purpurâ ejus prehensâ, *Imperator*, inquit, *hac veste*

indutum mentiri nefas est. Cui ille respondit; *Etiam cogi, & instar mancipii trahi nefas est.* Sed cùm tandem resistere non posset, necessitati cedens, filium ejus è patricio Cæsarem fecit.

Jurasse Fridericum tertium Imperatorem, nunquam compertum est, (ut in convivalibus quæstionib. refert Johannes Peregrinus Petroselinus) nisi cùm Aquisgrani & Romæ coronatus est; idque juramentum constantissimè tenuit. Cùm enim jurejurando promisisset Electoribus, bona Imperii nullatenus se alienaturum; *maluit avarus negando, quàm concedendo perjurus videri.* Itaque petenti Bursio, Marchioni Estensi, Ducatum Mutinæ tam diu restitit, donec monstratum est, cum Ducatũ, qui sub annuo tributo concederetur, lucri magis, quàm alienationis spem habere; præsertim, cùm Mutina & Rhegiũ in potestate sua non essent. Tunc igitur Bursius à Friderico Imperatore Dux Mutinę & Rhegii Lepidi creatus est *(a.C. 1452.)*

His exemplis monentur Reges & Principes, ne temerè quid promittant, nec statim annuant postulantibus; sed priùs exquirant, & personarũ, & rei petitæ conditiones: semel a. promissis non patiantur se à præstando, ullo suo avocari incommodo; nisi res sit impia, & prorsus iniqua: *Non enim debent promissa esse vincula iniquitatis.* Promissam itaque fidem religiosè servent; quandoquidem à fide, si sanctè colatur, omnes

in Prin-

in Principe fulgent virtutes, non aliter, ac luna cæteraque sidera à sole lumen accipiunt.

Quid? quòd tam jus gentium & lex naturæ, quàm ipsæ sacræ literæ satis superque docent, *fidem omnem, etiam non juratam, ac tantò magis juratam, esse servandam; ipsi quoq; hosti & latroni & perduellioni.* Nec enim redimenda est salus corporis cum nominis divini contumeliâ. Hinc gravissimè *(a.M.2496.)* judicavit Josua c.9. juramentum servandũ esse Gibeonitis, quanquam errore datum erat; & quidẽ, ut videbatur contra legem Dei; quam fidẽ in Gibeonitis postmodò violatam gravissimè ultus est Deus, 2.Reg.21.

Hujus rei illustre quoque documentum præbet Marcus Attilius Regulus, consul Romanus, à Carthaginensibus, à quibus captivus detinebatur, Romam sub jurejurando dimissus, ut cum senatu de pace, deque captivis reddendis ageret; qui ad crudelissima redire supplicia maluit, quã fidem datam fallere, ut author est Cic. Offic. 3. Val. Max. lib. 1. c. 1. & Gellius lib. 6. c. 4. Sic & Johannes Valesius, Galliæ rex *(a.C.1356.)* ab Anglis prętlio victus captusque apud Pictones, post quadriennii captivitatem, magnâ vi auri, atque locis quibusdam, redemptionem suam pactus, & datâ fide liber in Galliam dimissus; cùm domi invenisset, nimiùm hac re regnum gravari, neque ea adesse, quibus promissa servaret; ut fidem suam liberaret, in Britanniam reversus, brevi in adver-

ſam valetudinem incidit atq; deceſſit, ut author eſt Æmilius lib.9.

Pari modo à Philippo pulchro, rege Galliæ, cum filio captus Guido Flandriæ Comes, rebellantibus ſubinde Flandris, è cuſtodiâ à Rege dimiſſus, ſi ſuos tanto ex intervallo reviſens, & ipſe moveri conſpectu ſuorum, & movere charitate ſui poſſet; ut ſpe veniæ impunitatisque in fidem Regis, poſito furore, redirent. Ivit ſolo jurejurando reditus, niſi permoveret, fide oppignoratâ; rediitque in cuſtodiam re infectâ; paulóque pòſt obiit (*a.C.1304.*) ut ſcribunt Æmilius lib.8. & Fulgoſus lib.1.c.1.

Sic & Ludovicus nonus, rex Galliæ, Alphonſum fratrem, Comitem Pictavienſem, ducentis librarum millibus à Saracenis redemptū operâ Philippi Munpfortii, cùm Saracenus *decē millib.* per imperitiam calculi hallucinatus, Regi nunciaret; ad hoſtes redire, eamque ſummam bonâ fide perſolvere coëgit, ut author eſt Ægidius Corrozetus, de dictis & factis memorabilibus. Sic & Fridericus Pulcer Auſtriacus Cæſar, à Ludovico Bavaro victore poſt triennalem captivitatem liber dimiſſus; his conditionibus jurejurando corroboratis; ut uterque, quoad viveret, regio uteretur titulo; Fridericus Italiam Ludovico liberam permitteret, nec pro eâ asſequendâ jus aliquod à Pontifice peteret; juramentum hoc ſanctè obſervavit, etiamſi à Johanne 22. Papâ crebrò in

brò in Italiam pro Imperiali coronâ evocaretur, teste Cuspiniano in Cæsar.

Pari modo Carolus quintus Imperator (*anno Christi 1521.*) in Comitiis Vormatiæ habitis, etsi sollicitaretur à quibusdam Germaniæ Principibus, ne fidē servaret Luthero; (nam juxta Constantiensis Concilii decreta, *hæretico non esse fidem servandam*) fidem tamen servavit inviolatam; & illum incolumem rursus domum per caduceatorem deduci mandavit; Ludovico Palatino electori maximè urgenti, interrogatus, cur id faceret? respondit, fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere, ut author est Guilhelmus Zenocarus in vita Caroli.

Et meritò. Ecquis enim ei, fidem qui violavit, fidem ulteriùs habebit? & quis perfidiam, occultum illud & insidiosum, imò tartareum & furiale malum, non potiùs execrabitur, & præsertim illam, quæ conjunctum habet perjurium? quod utrumque scelus vindicem habet justissimum Dei oculum; qui & fraudes, quocunque vel necessitatis vel utilitatis publicæ fuco delibutæ fuerint, punit; nec nominis sui profanationem relinquit inultam; adeò, ut non rarò in prolem dilata ruant perjuria patris.

Notum hoc est ex historia Saulis, cujus posteritas (*a.M.2925.*) ob violatam à Saule fidem Gibeonitis quondam à Josuâ datam, in crucem est

H

acta,2.Reg.21. Notum ex historiâ Zedechiæ regis,qui fidei datæ & jurejurando confirmatę immemor, ubi cum Ægyptiorum, Ammonitarũ, Moabitarum & Idumæorum regibus, adversus Nabuchodonosorem conjurasset; post triste internecionis liberorum suorum spectaculum exoculatus,catenisque vinctus,Babylonem abductus,regnum unà cum urbe & templo (*anno M. 3365.*)perdidit, 4.Reg 25.& 2.Paral.36.

Notum denique hoc ex funestissimâ & luctuosissimâ Christianorum clade,ad Varnam acceptâ,(*anno Christi 1444.*) cui causam præbuit rescissio fœderis, ex instinctu Juliani Cardinalis legati Pontificii, negantis valere juramentum, Papâ inconsulto cum hostibus religionis percussum. Nimirum decennalis pax,inter Ladislaum Ungariæ,&Amuratem,Turcarũ reges,erat sancita, & jurejurando,nostris in Evangelio, illis in Alcorano firmata. Amurates itaque,cùm suos in pugna Varnensi à Ladislao rege, qui violato fœdere prior bellũ fecerat, non sine magnâ cæde fugari conspicaretur, ad expianda fidei violatæ piacula, ad ulciscendam Christianorum perfidiam,& ad vindicandum jus rescissæ pacis, depromptum è sinu codicem initi sanctissimè,fœderis explicuit, intentisque in cælum oculis, ingeminans;hæc sunt(dixit)Christe crucifixe fœdera,quæ Christiani tui mecum percusśere, per numen tuum sanctè jurarunt,datamque sub nomine tuo fidẽ perfidè violarunt. Nunc Christe,

si tu es Deus, ut ajunt, & nos hallucinamur, tuas measq; hîc injurias ulciscere; & his, qui nomen tuũ nondũ agnovêre, violatæ fidei pœnas ostẽde. Vix his dictis pugna, quæ primùm anceps, inclinare cœpit, & primùm proceres, Episcopi, Varadiensis & Agriensis, mox Julianus legatus, fœderis violati suasor & δαδοῦχος cecidêre: postremò rex ipse Ladislaus telorum sylvâ inter confertissimos hostes ꝓstratus est; cujus caput abscissum, hastæq; adfixum, Amurates pro vallo statuit, his vocibus concitatis: *Tales justus Deus pœnas, exauditis Turcarũ imprecationibus, à perfidis Christianis exigit*, author Bonfinius libr. 6. decad. 3. Chalcondylas libr. 7. Jovius libr. 2. & alii complures. Hoc exemplo Principes, & quotquot fœdera & conventiones ineunt, meritò commoveri debent; ut divinæ vindictæ memores, nomine Dei omnipotentis fraudulenter, aut compendio quæsito, non abutantur; utpote qui, ut diximus, non inultum sinit sui nominis abusum. Neque hîc prætextus impiæ gentis ullã excusatione͂ meretur; Deus siquide͂ nominis sui usum, etiam apud Ethnicos, & à vero Deo alienos, inviolatum esse vult. Sed non tantùm in promissis & pactis fides tam injurata, quàm jurata hosti à Principe est servanda; sed nec omnino bellica fides erga hostes violanda, quocunque modo id fiat; præsertim verò insidiando illis per fraudem, aut legatos obsidesque illorum violando. Hujus

rei documento ſunt ex priſcis Romanis, Camillus & Fabricius, quorum alter Faliſcorum, quos octennali obſidione jam irrito ſucceſſu preſſerat, pueros *(anno mundi 3580.)* à magiſtro per deambulationis ſpeciem eductos, ſibiq́; , tanquã certam victoriæ ſpem, traditos accipere noluit, ſed turpem hunc proditorem averſatus, vinctum nudatumque terga, adoleſcentulis verberibus in urbem agendum tradidit, teſte Liv. lib. 5. Alter *(an. mundi 3694)* medico Pyrrhi promittente, ſe venenum regi propinaturum; monuit Pyrrhum, caveret inſidias; quē idcirco Pyrrhus hoc præconio ornare non dubitavit: *Hic eſt ille Fabricius, qui difficiliùs ab honeſtate, quàm ſol à curſu ſuo averti poſſit*, teſte Polybio lib. 2. & Plutarcho in Pyrrho. Horum exemplum æmulati leguntur laudatiſſimi nonnulli Reges & Principes Chriſtiani. Imperator nimirum, Conradus ſecundus, poſtquam Miecislaum, Poloniç Ducem, ad Ulricum Bohemum confugere coëgit; hic autem ſpretâ hoſpitali fide Conrado offerret, ſe Miecislaum captivum ipſi in poteſtatem daturum; ab eo ſcelere ita abhorruit Cæſar, ut ſtatim Miecislaum periculi, in quo verſabatur, moneret. Eâ re motus Polonus, qui armis nunquam ceſſerat, ad Conradum profectus diadema depoſuit, & conſuetum tributum confirmavit; teſte Fulgoſo lib. 6. c. 5. & Aventin. lib. 5.

Ad Rudolphum Imperatorem cùm quidam veniſſet

venisset, (*an. Christi 1278*) qui Ottacarum Bohemiæ regem, atrocem ipsius hostem, in venatione se occisurũ promitteret, si facto præmium esset; Rudolphus respondit: Etsi noster hostis est Ottacarus, non tamen id efficiet, ut justitiæ & moderationis fines transeamus; ut cum sequentibus aliquot historiis hanc quoq; recenset Æneas Sylvius lib. 3. comment. de rebus gestis Alphonsi. Inter Johannem, Caroli quarti Imperatoris patrem, & Henricũ Carinthiæ Ducem, de regno Bohemiæ longâ & difficili existente contentione, (*an. C. 1311.*) cùm quidam Johanni regi promitteret, veneno se hostem occisurum, si præmium speraret; Johannes justitiæ & integritatis amator respondit: Si me nescio Henricum intermisses, & ad me fugã adornasses, crux tibi præmium futurum erat, qui te regio sanguine commaculasses; & tu me modò tanti sceleris authorem petis?

Pari modo cùm Rogerius, Palantiæ Comes, vir integer & manu promptus, Alphonsum Aragonium adiens, diceret, in animo sibi esse Johannem Castellæ regẽ, ipsius hostem, confodere: idque sibi factu fore perfacile, modò ipse annuat; *Non per scelus, sed virtute gloriã quærendam esse*, respondit Alphonsus; se enim nõ solùm pro Castellæ atque Italiæ dominatu, sed ne pro totius quidem orbis Imperio adipiscendo, tam crudele atque detestabile facinus permissurum.

Idem, cùm quidam Renati Andegavensium Ducis, hostis sui atrocissimi, mortem promitterent; se in eos, ceu in parricidas, animadversurum respondit, si hoc tentarent, dicens, *se nequaquam insidiis cum hoste de regno, sed manu tantùm & virtute dimicaturum.* Idem his, qui se in mortem Francisci Sfortiæ paratos esse significarant, respondit; *nunquã victoriam sibi placuisse, cujus postea pigendum pudendúmve esset.* Igitur, nî ob hujusmodi consiliis abstinerent, talia exempla se in illos editurum, ut ejusmodi consilia sibi admodum molesta esse omnes intelligerent.

Sic & Matthias Ungariæ rex (*à.C.1469.*) bello contra Georgium Bohemiæ regem flagrante, cùm quidam quinque aureorum millia pactus recepisset, se Georgium, cui familiaris esset, facilè ferro perempturum; postmodum verò causaretur, Georgium fidâ satellitum turbâ stipatum, gladio perimi non posse, at veneno posse, si modò ipse annueret; severè admodum hominem increpuit, Fabricii exemplum addens: *Ferro, non veneno Romanos Romanaq; virtutis æmulos victoriam parare solere;* & Georgium seriò, ut sibi à veneficiis caveret, per literas monuit, ut author est Curæus in Silesiæ annalibus.

Idem, rege Georgio, socero suo, cruce signatorum armis in summas redacto angustias, cum illo in civitate Olomucensi colloquium instituerat. Eò cùm Georgii duo filii, Victorinus & Hen-

Henricus, humanitatē & fidem Matthiæ secuti, sese contulissent; Rudolphus, legatus Pontificius, regem hortatus est, ut captis iis, quibus reditum non esset pollicitus, præsertim hæreticis, ancipiti bello finem imponeret; quòd Georgii spes omnis à filiis penderet. Tum verò Matthias torvo vultu sceleratum consiliū detestatus, *fidem suam non Bohemiæ modò, verùm etiam totius terrarum orbis Imperio sibi antiquiorem esse*, dixit; & ut à similibus consiliis deinceps abstineret, edixit. Author idem Curæus in Silesiæ annal.

FLOS IX.

In Principe domi sit sanctitas, fortitudo in armis, utrobique prudentia.

SExtus Aurelius Victor, in Trajano; Duo sunt, inquit, quæ ab egregiis Principibus expectantur: sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobiq; prudentia. Et his tribus omnia ea continentur, quæ Principem suis reddunt charum & acceptum, fortunatas Respublicas, Regna beata, & Imperia florentia.

Ac primùm quidem, etsi multis Principibus Senecæ illud arridet in Thyeste:

——— ——— *Sanctitas, pietas, fides,*
Privata bona sunt; quà juvat, Reges eant.

Unde non abs re ſcurra quidam Cæſarum Italicorũ temporibus dixerit, authore Vopiſco: *In uno annulo omnes bonos Principes poſſe perſcribi atq; depingi.* Nullis tamen magis, quàm iis, Imperii clavum qui tenent, & ad publica ſedent gubernacula, morum integritas atque ſanctitas neceſſaria eſt. Morum integritas atque ſanctitas neceſſaria eſt, ſi modò diu conſiſtere, à ſuis ſubditis amari, ſuamque ſimul apud eosdem authoritatem tueri velint.

Documento eſt Auguſtus Cæſar, qui tanto in amore apud ſuos fuit cives, ut nõ modò maximo omnium ordinum conſenſu pater patriæ fuerit ſalutatus, ſed & ejus nomine civitates duæ conditæ, quæ Sebaſte & Cæſarea nominarentur. In Trajani Imperatoris honorem, Armenis & Perſis devictis, multa ſenatus decrevit, & Parthici cognomen dedit; ſed illud inprimis, ut *Optimus* appellaretur; quâ ſolâ appellatione magis gaudebat, quòd ſuis moribus & manſuetudini conveniret, quàm ullâ aliâ; teſte Cuſpiniano ex Dione.

Unde & in Cæſarum electione, lætæ congratulationis ergo, hęc acclamationis formula uſurpata legitur; *Sis felicior Auguſto, ſis melior Trajano.*

Sic & Titio Veſpaſiano, ad promerendam omnium voluntatem, tantum vel ingenii, vel artis, vel fortunæ ſuperfuit, ut non ſolùm privatus,

quando

quando sub patre Principe vixit, sed & in Imperio semper omni odio, nedum vituperatione publicâ, caruerit; & amor deliciæq; generis humani à senatu populoque Romano fuerit appellatus.

Marcus Antoninus Imperator, Pii cognomen meruit, quòd naturâ fuerit pius & clemens, ut nihil triste aut asperũ ab eo expectaretur. Quod idem de Ludovico Pio, Caroli Magni filio, memoriæ proditum.

Edovardus tertius, unus fermè omnium Regum Anglorum, qui nullis, vel levibus saltem, deditus fuerit vitiis, post mortem in Divorum numerum est relatus, teste Polydoro lib. 8. & 9.

Econtrà, ut est apud eundem Senecam in Thyeste;

Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile regnum est.

Et, ut Publianum illud habet: *Malè imperando imperium amittitur.* Ubi præterea morum vitæque probitas exulat; ibi authoritas, Imperiorum & magistratuum fulcrum, non potest esse diuturna. Qui enim seipsum contemnit, nec, quem sit in locum à Deo Opt. Max. evectus, cogitat; quomodo ab aliis in oculis ferri potest, magnique fieri? Exemplo sunt, præter alios innumeros, in Judæa Ochozias, qui in solio despectus & vexatus sedit, annum duntaxat unum; à

Jehu, è fugâ & latibulo Samariæ tandem extractus miseréque jugulatus: & Ammon propter tyrannidem, initio regni, fraude suorum familiarium sublatus: Romano in Imperio Caligula, Vitellius, Opilius, pro Macrino appellatus Macellinus, quòd macelli in modum domus ejus vernularum sanguine cruentaretur; Heliogabalus itidem; in limine regni miserè contrucidati, quòd impietati, crudelitati, omnisque generis vitiis, libidinibus, voluptatibus essent dediti. (Plura exempla repete ex secundo flore primæ coronæ.) Nec mirum. Nam juxta Senecam lib. 1. de clementiâ c.24. *non est ibi Rex tutus, ubi nihil à Rege tutum: severitas severitate mutuâ paciscenda est.* Quis enim aut eum diligat, quem metuit? aut eum, à quo se metui putet? *Metus nimirum & terror*, inquit Tacitus in Agricola, *infirma vincula sunt charitatis; quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.* Cui Ennianum illud suffragatur; *Quem metuunt, oderunt; quem quisq; odit, periisse expetit.*

Deinde cùm is, qui summæ rerum præest, vir bonus est, etiam sinceriùs institutis majorum statur; cùm malus, minùs. Ideo rectè Cyrus Xenophontæus lib. 8. παιδείας arbitratus est, *nemini convenire Imperium, qui non subditis esset melior;* ac proinde quoque sibi virtutem esse colendam. Subditos nimirum se maximè putabat ad præclaras & laudabiles actiones excitaturum; si ipse,

cui

cui esset in eos imperium, ostendere se niteretur supra omnes virtute ornatissimum. Videbatur enim animadvertere, *meliores homines effici etiam legibus scriptis; at bonum magistratum arbitrabatur hominibus esse legẽ viventem:* quippe qui ad ordinem revocare queat,& ordinis negligentem cernere ac punire. Quomodo autem cum gravitate vitæ rationes ab aliis potest reposcere, & in delinquentes animadvertere, qui ipse malus extiterit? Num cæcum cæcus ducere, lapsum lapsus erigere consuevit? imò, sanctimonia si abfuerit, æquè periculosum est, Principem Imperii clavum, atque mente captum tenere gladium, quo & se & alios lædat. Denique, quia *à capite bona valetudo*, juxta Senecam lib. 1. de clement. c. 2. ideo summopere Principi bono opera danda, ut vitæ sanctimoniâ & integritate subditis præeat. Etenim, teste Paterculo lib. 12. *facere rectè, cives suos Princeps optimus faciendo docet; cúmq; sit imperio maximus, exemplo major est.* Nam populus in Regem, tanquam in edito loco positum, & in clarissimâ luce versantem, oculos projiciens, omnia curiosè & diligenter inquirit, quid agat, quid dicat; quomodo vivat; *& in illius animum quasi per rimulas inspicit.* Hinc imitandi oritur cupiditas; hinc fit, ut in subditos, aut virtutes Principum emanent, aut vitia deriventur.

Notum hoc exemplis Ludovici XI. & Fran-

cisci primi, regum Galliæ; quorum ille, cùm Carolum filium scire Latinè vetuisset, præter unum illud: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*; malo & pessimo à Principe petito exemplo, nobiles Franci nullum literarum genus non contempsêrunt; econtrà, cùm alter miro studio bonas & liberales literas, à quibus sui majores semper abhorruerant, amare cœpit, statim nobilitas secuta est. Deinde reliqui ordines tanto studio conquisierunt, ut nusquam major literatorũ extiterit copia, teste Bodino in methodo historicâ. Sic & Hipparchum Pisistrati filium, Principem doctissimum, Athenienses olim secutos fuisse in viris doctis observandis atque colendis, scribit Ælianus lib. 8. variæ historiæ: Et ad Imperatorum Arcadii & Honorii exempla, multos subditos conversos esse, tum Græcos, tum hæreticos, narrat Sozomenus lib. 8. c. 1. Et de Scotorum gente memoriæ prodidit Hector Boëtius lib. 11. eam, si ullam aliam, Regum exemplo duci, eoq; promptissimè, vel ad virtutem, vel ad probitatem sese componere. Adeò verum est Siracidis illud in Ecclesiastico c. 10: *Quales in Republica sunt Principes, tales reliquos solere esse subditos & cives*; ut proinde *facilius sit, ipsam naturam rerum errare, quàm ut Principes dissimilem sui Rempublicam formare possint*: ut est apud Cassiodorum lib. 11. variar. epist. 12. Major tamen vitiorum, quàm virtutum est ratio; utpote, quæ avidissimè hauriri, &

tena-

tenacissimè hærere consueverunt; de qua perniciosâ vitiorum in Principibus imitatione, eleganter admodũ Gregorius Nazianzenus: *Nulla*, ait, *tam præparata induendo vestis est ad colorem; neq; tam idonea ad odorem recipiendum, neq; tam pestilens halitus ullus in aëre diffunditur, cujus contagione animantes inficiantur, quàm solet celeriter principum virorum pravitate atque vitiis compleri vulgus; multò quidem citiùs, quàm è contrario virtute.*

Exemplo est Manasses, rex Judæ, qui non solùm vitia & scelera incepit ipse, sed & in totum regnum ea infudit; cujus impietatem maxima pars populi est imitata; quæ idola ab ipso introducta pertinacissimè & mordicus retinuit; & quamvis ipse postea conversus est, non tamen simul conversi sunt, quos antea seduxerat, 4. Reg. 21. 2. Paral. 33.

Sic & Ptolomæi regis mores, qui patratis parentum ac fratris cædibus, flagitiosæ luxuriæ sese tradidit, tota Ægyptus secuta est, teste Justino lib. 30.

Sic & multos, nefariis libidinibus deditos, Romæ repertos esse, cùm ne publicis quidem in locis ab his Nero Imperator abhorreret, testatur in ejus vita Suetonius.

Adeò fœdum est, qui rationem rectè vivendi aliis præscribere debet, eum vitiorum esse mancipium; *quod servitutis genus*, ut Xenophon in-

quit lib.4.de factis & dictis Socr. *pessimum est omnium*; quippe domini ipsi sunt omnium deterrimi, eoque pejus de Republ. merentur vitiosi Principes, quòd non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; neque solùm obsunt, quòd ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt alios, *plusq; exemplo, quàm peccato nocent*, ut Cic. disserit lib.3. de legibus.

Porrò cùm de Polybii sententiâ lib.6. *duo sint, quibus quævis Respublica servatur, fortitudo videl. adversus hostes, & mutua inter se concordia*; nec sine viribus & viris tuta semper esse sanctitas & morum integritas possit; etiam fortis sit Princeps ac magistratus, necesse est; qui pericula non declinet molliter & muliebriter, sed animo ea excelso infractoq; adeat; proque Imperio, pro libertate, pro aris & focis suum profundere sanguinem minimè dubitet. Idcirco enim Reges & Principes Dei & olim sunt constituti, & adhuc hodie constituuntur vicarii, ut ipsius in terris gerant vices, sintque ministri ad hominis salutem. Idcirco præterea gladius & arma illis à Deo concessa, ut injuriâ affectis auxilium ferant, è medio tollant scelera, subditos à metu liberos, omnium malorum & periculorũ expertes reddant. Unde & horum ipsi opibus sumptibusq; sustentantur, & tributa recipiunt; ut rebus suis posthabitis, publicas curent civitates, & agros contra vim hostilem tueantur, & subditorum commoda sarta te-

ctaque

ctaque conservent. Et hujus sui officii admonere eos debent nomina, post res strenuè gestas, in titulum honoris & dignitatis viris egregiis non sine ratione indita; quòd nimirū nihil æquè ipsis, atque Martia jura capessenda sint. Imperatores enim olim sunt dicti, quòd hostibus, à quibus insignem reportassent victoriam, imperarent; Reges, quòd & alios in virtutibus regerent; Duces, quòd exercitus ducerent; Comites, quòd Reges & Principes suos ad bellum ituros suis copiis comitarentur; Barones, quòd fortitudinis ergo eligerentur, qui armis Rempubl. tutarentur; Nobiles deniq;, quòd eorum in bellicis maximè periculis nota claraq; esset virtus.

Minimè ergo hujusmodi aliquo honorifico titulo dignos se præstant Principes, quibus ad levissimum belli rumusculum animus in pedes decidit. Exprobrat certè hoc Achazo, regi Judaico, sacra pagina, Esa. c. 7. quòd certior factus de Rezinis & Pekæ, Syriæ & Samariæ regum in se conspiratione, animo commotus fuerit, *non aliter ac vento moventur foliorum arbores* (*an. M. 3213.*) Multò verò minùs honorifico isto titulo digni sunt, qui per animi socordiam inertiamque, non solùm nihil egregiū, nihil arduū audent aggredi, sed ipsam quoq; Remp. ignavo isto ocio pessundant, atque ita patriam suosq; subditos prædæ hostiū exponunt. Præter alia innumera flagitia, hoc quoq; in Tiberio Cæsare detestatur Sueton.

quòd biennio continuo extra urbem pedem non extulerit; Reipub. curâ abjectâ, Capreas Campaniæ insulam petierit; Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit; Armeniam à Parthis occupari, Mœsiã à Thracis Sarmatisque, Galliam à Germanis vastari, neglexerit; non sine magno Imperii dedecore, nec minori discrimine. Sic & apud Trebellium Pollionem malè audit Licinius Gallienus Imperator (*a.C.259.*) quòd otio & ignaviæ deditus barbaros minimè represserit, & occasionem dederit 30. tyrannis, ut Romanum Imperiũ invaderent, miseréque per annos 12. lacerarent. Sed nec reprehensione ii carent Principes, qui turpem & ignominiosam ab hostibus mercantur pacem; cujusmodi à Parthis vicies centenis aureorum millibus emit Macrinus (*an.C.218.*) & à Scythis, sub tributo, Vibius Gallus Imperator (*a.C.252.*) non sine maximâ Romani nominis ignominiâ: Cujusmodi denique à Persis redemit Nicephorus, Imperator Constantinopolitanus (*a.C.810.*) pro incolumitate Imperii triginta millia nummûm aureorum, pro capitis sui salute 30. millia, in singulos annos pactus; quam pecuniam à Bulgaris emuncturus, arma in eos ubi sumpsit, in prælio miserè occubuit; cujus postea cranium, argento obductum, poculi loco per ludibrium Bulgari in conviviis circumtulerunt. *Est quidem bellum fugiendum*, inquit Polybius lib. 4. *non tamen*

tamen ita fugiendum, ut omnia, ne in id incidamus, sustinere perpetuq; velimus. Quid enim vel æquabilitatem in Republica, vel fiduciam, vel libertatis jucundissimum nomen laudaremus, si nihil omnino esset paci anteponendum? Quantò verò rectiùs Pelopidas, Dux Thebanorum clarissimus, contra hostes bellum gesturus, cùm arma indueret, lachrymisque largis eum domi retinere uxor conaretur, ac rogaret, ut seipsum servaret; *alii, istud ut faciant,* respondit, *monendi sunt, non Princeps & Dux; qui potiùs hortandus, ut cives servet*, teste Plut. in apoph. Et quantum in bellis ipsorum Principum præsentia conducat, vel Macedonum exemplum testatur; qui etiam infantem Regem suum prelio tum interesse voluerunt, cùm contra Illyrios & Thraces pugnandum fuit (*anno mundi 3371.*) ut author est Justinus lib. 7. Intellexerunt hoc omnis seculi fortissimi quiq: Reges & Principes; quorũ è numero Alexander Magnus, quòd nusquam sibi in periculis parceret, cum nullo unquam hostium est congressus, quem non vicit; nullam gentem adiit, quam non in ordinem redegit. In bello Julii Cæsaris Hispaniensi ad Mundam cum Pompeji filiis, Cæsariani cunctantiores ad præliũ facti, nec precib. nec minis moti pugnam priùs inierunt, quàm Cæsar, primus omnium in adversam aciem irruens moriendi consilio, clamitavit; *Hic, milites, hic mihi vita finis, vobis mi-*

litiæ terminus. Tum demum mota eſt tota acies, metuq; aut pudore Cæſaris impetum ſecuta, in adverſos hoſtes cum clamore irruit, teſte Frontino lib.2. c.8.

Sic & Maximilianus primus, Imperator, in obſidione Morini (*an.C.1479.*) certior factus de adventu Gallorum, noctu retractis bellicis apparatibus, ordines inſtruxit, & quadrato agmine hoſtibus obviam proceſſit, juxtaque Bovini oppidum pertinaciter cū eis manus conſeruit. Qui cùm non cederent, pedes cum militibus cœpit inire pugnam, equitibus tamen in ſuo manentibus ordine. Ubi medium conſpexerunt Ducem ſuum Alemanni, tū verò in pectora vigor rediit, hoſtesq; ferociter urgent, & cedere loco cōpellunt, multâ illorum ſtrage editâ, ut author eſt Cranzius lib.12. Saxon.c 21.

Etiam de Carolo quinto Imperatore Hiſtorici referunt, quòd primus in agmine ſuo ſemper extiterit; ſæpe quindecim, nonnunquam plures horas, armatus equo inſederit; nunquā ad bombardarum ictus inclinârit caput, nuſquā pedem moverit, nuſquam expalluerit. Nimirum, ut Plutarchus ſcribit in Cęſare, *ſpiritus militum animiq; ardores Dux ipſe excitat, quando omnibus ultrò ſe periculis objicit*, & nulli labori ſuccumbit.

Sed ut & ſanctitas vera ſit domi, & in armis fortitudo proſit, illud accedere oportet, prudētia utrobique ut adſit: quâ ſalutaris Princeps & perſpiciat,

ſpiciat, quid quavis in re veriſſimum ſit,& acutè celeriterq́ue videat atque explicet rationem; & quid in vita expetendum fugiendumq́ue ſit,dijudicet. Quoniam enim,teſte Tullio in Officiis, nulla vitæ pars nec publicis,nec privatis,nec forenſibus, nec domeſticis in rebus; nec ſi tecum agas quid, nec ſi cum altero contendas, vacare officio poteſt; in eoq́ue colendo omnis ſita eſt vitæ honeſtas, & in negligendo turpitudo;nemo unquam negaverit,niſi rationem omnem exuat atque ſenſum, antequam ad agendum veniatur, deliberatione opus eſſe & recto judicio,quo officium hoc diſcernatur & cognoſcatur. At verò nulla deliberatio, nullum rectum judicium ſine prudentia; quæ ſola præit,atq; ducit ad rectè vivendum;imò ipſa vivendi ars eſt,optimaq́ue vitæ magiſtra;quæ auream illam mediocritatem inveſtigat;quæ vitam tranquillam & jucundam facit; quæ ſibi aliisq́ue conſulit; quæ cautioribus ſemper utitur conſiliis;quæ in poſterũ providet; quæ omni ratione eſt perfectior. Sic igitur verè regni prudentia cuſtos, ſine qua nemo Rex aut Princeps rectè imperare, multóq; minùs Remp. beare aut amplificare poteſt. Id quod tam ſtolidorum,quàm prudentium Regum & Principum exẽplis manifeſtũ fit. Roboam⁹,vir quadraginta unius annorum,patris Salomonis in regno ſucceſſor,puerili animo & conſilio cum ſtultis adoleſcentibus, de regno conſtituendo temere deliberans ; cùm populo petenti σεισάχθειαν,

hoc est, onerum publicorum levationem denegaret, immemor præcepti paterni, Prov. 15. *de molli responsione mitigante iram, deq; aspero sermone eandem provocante*, populum hac suâ levitate, superbiâ, & asperitate alienavit, decem tribubus ad Jeroboamũ deficientibus (*a. M. 2971.*) perpetuæque distractioni occasionem præbens, damno suo didicit; *calida & callida consilia primâ specie esse læta, tractatu dura, exitu tristia*, quod Livius dixit decadis quartę lib. 5. Itemque *nonnunquã satius esse, de parte sui juris aliquantũ cedere, majoris præsertim boni consequendi causâ*, (nec enim omnia populus detrectavit onera) *quàm totum amittere*.

Idem immemor jurisjurandi, quo ex lege fœderis Reges Deo, vasalli domino suo superiori, obstricti sunt, cùm à Deo unà cum populo Judaico ad idola deficeret, Sesacus divinitus (*anno mundi 2975*) excitatus, Roboamum bello petitum profligavit, urbeque Hierosolymâ direptâ, regiam & ærarium omnibus thesauris spoliavit, & scuta atque hastilia aurea in Ægyptum transportavit, 3 Reg 14.

Bello Punico secundo (*anno mundi 3754.*) omnium malorum & vulnerum, quæ Respublica Romana tribus continuis annis accepit, origo & scaturigo fuit, inconsulta Ducum Sempronii, Flaminii, & Terentii Varronis, temeritas; quorũ primus, fidelis sui collegę dehortatione spretâ, nimis

nimis præcipiti pugnandi cupiditate, & ambitionis stimulo percitus, ad Ticinum fluvium hostis sese insidiis implicuit: alter itidem, consilio salutaria magis, quàm speciosa suadentium spreto, iratus, signum simul itineris pugnęq; proponens, in loco insidiis nato, lacu Thrasimeno, & montibus clausus, & undiquaque hostibus circumfusus, maximâ suorum clade occubuit: tertius ad Cannas audaciâ & temeritate suâ, omnium funestissimæ cladi Romanorum causam præbuit. Utiq; ergo, ut de temerario quodam, nullâque ratione in bello pericula subeunte, Cato major dixit; *multum interest, utrùm quis virtutem magni, an verò vitam parvi pendat. Temeritatis nimirum,* ait Valer. Max. lib 9. c. 8. *subiti & vehementes sunt impulsus; quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, nec aliena facta justâ æstimatione prosequi valent.* Sic ergo Duces isti, prudentiâ bellicâ destituti, dum Hannibalis artes despiciunt, & seipsos parum noscunt, nimiumq; suis viribus fidunt, rem Romanam penè funditus subverterunt, Polybiique illud lib. 4. comprobarunt; *temeritatem sæpenumero homines ad insaniam, & ad nihilum adducere solere.*

Pari modo Carolus, Burgundiæ Dux potentissimus, cùm arrogantis & elati supra modum esset ingenii, & amicorum bene consulta contemneret, infelici conatu multa tentavit; donec

bellum ex bello serens, & multis præliis profligatus (*an. C. 1477.*) ad Nancæam in fuga miserè occubuit. Non immeritò ergo eorum reprehenditur inscitia, audacia & insolētia, qui res arduas præcoci & temerario ausu suscipere & perficere satagunt, nec priùs prudenti habitâ deliberatione perpendunt, qualis eventus expectandus sit.

De Carolo octavo, Gallorū rege, qui magno cum Italiæ probro Neapolitanum regnum subegit, scribit Guicciardinus libr. 1. *quòd, quamvis fortunæ donis præclarissimè esset cumulatus, tamen omnibus ferè naturæ animiq; dotibus vacuus fuerit.* Ut enim de partium corporis constitutione, quâ monstro similior, quàm homini, nihil dicamus, non solùm notitiâ bonarū artium prorsus caruit, verùm etiā communium literarum notas ignoravit. Imperandi quidem cupidissimus fuit, sed ad quidvis potiùs, quàm ad Imperium aptus; propterea quòd à suis perpetuò circūactus, cum eis neq; majestatem, neque authoritatem ullam retinebat; à laboribus & negotiis omnib. alienus; in iis tamen, quibus operam accommodabat, omni prudētiâ & judicio destitutus. Quòd si fortè quid in eo laude dignum apparebat, si quis penitiùs introspiceret, à virtute, quàm à vitio, id remotius esse comperisset. Erat in eo quædam ad gloriam propensio, verùm impetu magis, quàm consilio; liberalitas quoq; , at inconsulta, ac sine modo ac delectu; immutabilis interdum in delibera-

berationibus, verùm ita, ut pertinacem potiùs, quàm constantem diceres: ac quam alii bonitatem appellant, ea veriùs stupor, atque animi remissio quædam erat appellanda. Hic cùm, post suum ex Italia discessum, Ferdinandum Neapolin recuperasse cognovit, & ad auxilium suis ferendum maturaret; amore cujusdam è reginæ cubiculo puellæ captus, ad Turonenses profectus, sub specie divi Martini salutandi, mensem postea integrum Lugduni inaniter consumpsit, & pulcherrimam rerum gerendarum occasionem turpissimè amisit, eodem teste Guicciardino & Jovio libr. 2. & 3. historiarum. Ignoravit nimirum stolidus iste & indoctus Rex, Vegetii illud militare præceptum lib. 3. c. 26. *Solere occasionem in bello ampliùs juvare, quàm virtutem.* Econtrà Constantinus Magnus, Imperator, corporis atque animi dotibus cum optimo quoque Principe comparandus, ut militaris gloriæ fuit appetentissimus; ita in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus, & in tyrannis opprimendis fortunatissimus. In omnibus Imperii sui locis census publicos diminuit, & quartã eorum partẽ agrorũ dominis remisit; quos privatus dilexit, opib. honestavit; liberalitate & gratiâ omniũ sibi benevolentiã comparavit. Ingenii nimir. illâ acie donat⁹, quâ bona deligũtur, rejiciuntur contraria; vidit id quod Agesilai in laudib. Xenophõ refert: *pulchrius esse Principib. exercitus & alios, quàm seipsos locupletare:* & ꝙ Pomponi⁹ Lætus in

Diocletiano,*potissimam in Principe esse dotem, liberalitatem & clementiam.* Pacem petentibus libenter dedit; liberalibus studiis,ubi per otium licuit, summè est delectatus: Leges ex æquo & bono multas rogavit, superfluas abscidit,severas nimiùm emendavit. Novit enim ex Christianâ religione servare parsimoniam,mansuetudinem colere, paci studere, simplicitate & constantiâ uti. Eum,non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem,Deus tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet; cui etiam condere civitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque, concessit, ut scribit Augustinus lib.5.de civitate Dei c.25.

Gratianus & Valentinianus secundus, Imperatores,cùm ipsi de Deo piè sentirent,suis quoq; subditis orthodoxos præfecêre pastores, & religionis puritatem, quantum in ipsis fuit,conservarant; ne penitus à Barbaris, Hunnis,Gothis, Vandalis,uti Imperium Romanũ,sic orthodoxa pietas everteretur,ut scribunt Socrates,Sozomenus,Theodoretus. Ex his Gratianus,adolescens octodecim annorum, religione clarus, militiâ strenuus, apud Argentaream oppidum Galliæ, uno prælio ad triginta millia Alemannorum, fines Romanorum vastantium,cum minimo suorum incommodo cæcidit(*anno Christi 377.*) In

Italiam

Italiam rediens, pulsâ Arrianâ hæresi, totam provinciam ad veram Christi fidem redegit. Irrumpentibus Gothis Theodosium Hispanum, socium Imperii delegit. Fuit autem Theodosius Magnus inter omnes Imperatores memorabilis, non tantùm, quia propriâ virtute, atq; eximio Gratiani Imperatoris judicio, ad illius dignitatis culmen est evectus; sed etiam, quia in Imperio dignum se tanto fastigio præstitit: Republicâ non solùm fortitudine, (Maximo & Eugenio, tyrannis magnâ felicitate superatis) sed etiam pietatis Christianæ studio sublevatâ; quibus laudibus proximè ad Constantinũ accessit Magnum; scribit Sigonius lib. 9. Imperii Occidentalis.

Theodosius junior philosophiã ita didicit, ut non eam verbo profiteretur, quemadmodum cathedrarii philosophi, sed opere exequeretur; sic patientiâ ac clementiâ præstabat cæteris hominibus, sic passiones animi frenabat, sic iram ac libidinem conculcabat, ut *ratione vivere* apertissimè à cunctis prædicaretur. Tertiam synodum OEcumenicam, Ephesinam, contra Nestorium celebravit, & constitutiones Principum in unum codicem collegit, (*a. C. 435.*) qui adhuc extat titulo codicis Theodosiani. Cùm in Perside Christiani miserè per totos 30. annos tractarentur, cùm ad suorum, quos Persæ captos ad fodinas auri damnarant, defensionem, tum ad Ecclesiarum Persicarum liberationem, bellum movit;

hostibusq; uno atque altero prælio cæsis atque attritis, propter Ecclesiarum in Persia tranquillitatem, ultrò pacem obtulit: *(a.C.421.)* quâ initâ unà cum bello persecutio conquievit, teste Socrate lib.7.c.20. & Nicephoro lib.14.c.21. Fuit & Carolus Magnus, si ejus res cùm domi, tum foris inspicias, vir bello paceq; summus, justitiæ literarumque cultor eximius, atq; omnium Imperatorum, post Constantinum Magnum, maximus. Et quis omnium Regum & Principum, qui prudentiâ suâ tam domi, quàm foris Remp. bearunt atque amplificarunt, exempla recensere valet? Quamobrem sit hæc quasi norma atque regula, ad quam res rationesque suas Reges & Principes, omnesque alii, ad Rerumpubl. gubernacula qui sedent, componant & conforment; *ut sanctè domi, fortiter in armis, utrobiq; prudenter sese gerant:* idque assiduè cogitent; cùm Princeps & quivis alius magistratus sit lex viva & videns, minimè fieri posse, quin bona vel mala Reipublicæ gubernatio ex hujus moribus vitaque pendeat.



FLOS

FLOS X.

Omnia priùs experiri consilio, quàm armis, Principem decet sapientem.

PRæclarum Mithridatis apud Vellejum Paterculum lib.1.extat elogium, *quòd consiliis dux, miles armis fuerit.* Quo eodem ferè in Panegyrico suo Pacatus tribunus Theodosium Imperatorem exornat, asserens, *Ducem eū fuisse consilio, militem exemplo.* Duæ nimirum sunt columnæ, quibus omnis administratio fulciri debet, prudentia & strenuitas: illa gubernatori pro oculo, hæc pro manu est; illa suggerit consilium, hæc robur; illa acuit judicium, hæc firmat cor. Synesius in oratione ad Arcadium de regno, Ægyptios, ait, geminum Mercurii depinxisse simulacrum; alterum juventę florentis; alterum maturo senio venerandi. Quo innuere voluerunt, eum qui rectè Rempubl. aut regnum sit administraturus, conjunctam cum prudentia fortitudinem habere debere. Et, ut Castoris & Pollucis faces, si solitariè appareant, dirum esse ostentum, olim creditū fuit; sin geminæ, salutare signum: ita quoque ex sententia Isocratis ad Demonicum, *robur cum prudentia conjunctum prodest; quâ sine plus habenti incommodat, nihilque*

aliud est, quàm gladius in manu furentis. Melior ergo viribus est sapientia, *& vir prudens forti est præstantior*; teste Salomonis sapientiâ c.6. & juxta Agathonis illud; *plus vis valet consilii, quàm robur manus. Parum enim foris esse arma, nisi sit consilium domi*, scribit Marcus Tull. Cic. Offic. 1. Quoniam, eodem authore in Catone majore; *non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum & scientiâ* : imò, *plura in summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geruntur*, ut Tacitus sentit libr. 13 Annal. Verissimum itaq; est illud Diodoti apud Thucydidem lib. 3: Quisquis rectè deliberat, iste contra hostes magis pollet, quàm qui temerariâ virium ferocitate fretus in eos fertur, & factis aggreditur. Exemplo est bellum Punicum secundum, in quo Flaminius & Sempronius, aliique Romanorum Duces feroces atque fervidi, viribusque suis nimiùm fidentes, Romanam rem penè funditus subverterunt. Fabius econtrà sedendo & cunctando magis, quàm ullis viribus, Hannibalem fregit, eumq; tutis & lentis consiliis, *veluti amnis sine strepitu collabens, continenterq; lambens*, subruit & absumpsit; atque ita, juxta magnificum ipsius elogium, *unus homo patriæ cunctando restituit rem*; secundùm Ennii vers. Sic & Periclem Atheniensem Plutarchus in ejus vita commendat, cui contra sexaginta millia armatorum Pelopon-

loponnensium ac Bœotorũ dimicare, nullo modo visum fuerit, etiamsi de ipsis Athenis ea dimicatio fuisset futura: ideo cives suos, ait, pugnam poscentes, indignéque hostium populationes ferentes, verbis mitigavit, dicendo; *arboribus quidem excisis facilè alias renasci, hominum jacturam haud ita proclivem esse.* Populum præterea in concionem non vocabat, ne quid prętet animi sui sententiam agere cogeretur. Ac quemadmodum navis vector, vento navi incumbente, omnibus rectè curatis instructisque armamentis, arte suâ utitur, valere jussis eorum, qui navi vehuntur, periculumque & nauseam ferre nolunt, lachrymis precibusque: ita Pericles urbe tum clausâ, omnibusque locis præsidio firmatis, sua consilia secutus est; parvifaciens obtrectationẽ, indignationemque civium. Etenim ex amicis multi eum precibus urgebant; ex inimicis multi minis ac criminationibus territabant; multi dicteriis imperium ejus exagitabant, mollitiem ei & proditionem objicientes; verùm his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo & tacitus ignominiam odiaque toleravit, missâque in Peloponnesum classe centum navium, ipse in urbe remansit, resque domi tantisper administravit, quoad hostes discesserunt. Et rectè. *Prudentis namq; est Imperatoris, turpe existimare, non, malè audire apud alios, sed temerè se in discrimen mittere, ac, quæ tuta sunt, dimittere*; ut de Antigoni

prudentia in Cleomene idem scribit Plutarchus; sed & ideo Principi sapienti *omnia prius consilio, quàm armis experiunda sunt*: ne quid furenter per iracundiæ affectum impotentissimum decernat aut admittat, cujus ipsũ postea pœniteat. Documento est Theodosius Magnus, Imperator, qui irâ æstuans, ob præfectum prætorii concursu multitudinis oppressum Thessalonicæ, ultra octo millia hominum immisso exercitu contrucidavit; nullâ habitâ ratione aut sexus, aut ætatis, aut innocentiæ cujuspiam, teste Sozomeno lib. 7. historiæ ecclesi. c. 24. Quam animi sui impotentiam & præcipitantiam postea lege obstrinxit, quâ cavit, ne ulli magistratus sententiam severiùs, quàm pro suâ consuetudine à se latam, intra dies 30. exequerentur, ut est textus in leg. si vindicari. Cod. de pœnis. Parum quoque abfuit, quin David petulantiâ & feritate Nabalis Carmelitæ, à quo in suo exilio per legatos commeatum humiliter petierat, quem non solùm ipse denegarat, sed & verborum addiderat contumeliam, supra modũ offensus, eum cum totâ domo ferro everterit (*a. M. 2889.*) nisi prudenti Abigaëlis oratione & liberalitate mitigatus fuisset, 1. Reg. 25. Nimirum *ut aqua tepida inflammationes, sic oratio prudens & humanitatis plena iram restinguit*, secundùm Plutarch. in moralib. & ut Ovidius canit lib. 7. de arte.

Ut fragilis glacies, interit ira, morâ.

Quem-

Quemadmodum *nihil econtrà tam contrarium est consilio, quàm ira & festinatio*; quod Bias dixit.

FLOS XI.

Regum & Principum optimi Consiliarii, muti & mortui.

ALphonsus Arragonũ & Neapolis rex, teste Panormitâ lib.3. *optimos Consiliarios esse*, dixit, *mortuos*; libros designans, à quibus sine metu, sine gratiâ, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. *Historiæ nimirum multa vera, plura item arcana Principibus detegunt, quàm omnes illorum amici & familiares.* Homines enim cum fortuna Principum magis, quàm cũ ipsis plerunq; Principibus loquuntur; historiarum verò sermo candidus, non fucatus; rectus, non obliquus; rerum expetendarum & fugiendarum præcepta, Reique publicæ gubernandæ normam, & disciplinæ militaris conservandæ modum, non verbis tantùm, sed omnium gentium exemplis tradit, ut inde sibi suæque Reipublicæ, quod salubre & frugiferum, appareat, capere; quod fœdum inceptu, fœdum exitu, vitare & declinare; atque ita omnem vitam suam, tanquam in speculo, ad alienas virtutes ornare, ac cõponere tutò possint; malorumque facinorum pœnas, & bonorum

præmia,ipſi quodammodo ſentire ſibi videantur. Hiſtoriæ præterea ſingulorum Imperiorum auſpicia, progreſſus, caſus præcipites & interitum,varias vitæ humanæ mutationes, concurſionesque rerum, & quæ feneſtram aperire ſoleant mutationibus, luculentiſſimè cõmonſtrant. Hiſtoriæ,magiſtratuum in ſubditorum benevolentia concilianda induſtriam, in ſeditione ſedenda ſolertiam,in hoſte profligando prudentiã, provida in rebus arduis ſuſcipiendis conſilia ita exprimunt, ut nullus Apelles corporis effigiem in tabula repræſentare valeat evidentiùs. In hiſtoriis,veluti in patenti campo, & ampliſſimo vitæ humanæ theatro,ſpectamus,quid quemq; ad miſericordiam,quid ad indignationem,quid ad juſtitiam atque æquitatem impellere poſſit; quantum referat, domi ſapere; quàm perniciosum ſit, aures ſapientibus præcluſas patefacere aſſentatoribus; quantum noceat,& quales eventus habeat, ſtultâ πολυπραγμοσύνη extra vocationem ruens; & quantò rectiùs,& majori cùm magiſtratuum, tum ſubditorum commodo gerantur ea,quæ fiunt accuratè,diligenter,prudenter,juſtè,ſobriè,moderatè,cunctanter,continenter,clementer,comiter,fortiter;quàm,quæ ſuſcipiuntur negligenter,imprudenter, iniquè,temerariè,libidinosè, avarè, aſperè,perfidiosè,muliebriter. Hiſtoriæ,tanquam in clariſſimo ſpeculo commonſtrant, quæ res Principibus & optimatibus

matibus

matibus præcipuo sint ornamento; eisque non solùm apud subditos & vulgus, sed vel inprimis apud viros sapientes, gratiam ad omnem posteritatem concilient. Nimirum non generis nobilitas, non territorii & redituum amplitudo, non opum affluentia, non ædificiorũ magnificentia, non vestitus luxus, non satellitum copiosus numerus, non superciliosus fastus, multóq; minùs morum turpitudo & obscœnitas, aut in intertur-bandâ tranquillitate temeritas, aut subditos supra modum premens acerbitas; sed sapientia, sed laudabiliter administrata Respublica, sed comitate condítum virtutum studium, sed viris bonis atque sapientibus gaudens familiaritas, sed honos virtuti & rectè factis habitus, sed vera animi pietas, ex qua ceu radice virtutes cæteræ enascuntur universæ. Quid multa? Ex historiis pacis artes addiscuntur; ex historiis rei militaris scientia hauritur; in historiis salutaria consilia, dicta, facta cernuntur; indeque bene sentiendi, bene dicendi, bene agendi præcepta colliguntur; eaq; tantò efficaciora, & ad movendum aptiora, quantò sensus ipse rationem oculari superat certitudine. Hujus siquidem monumenta, in excelso & illustri posita loco, magis percellunt atq; movent, quàm nuda & simplicia philosophorum præcepta. Etsi enim apud hos quoq; multa sapienter dicuntur de rebus, quæ Politiis vel saluti & præsidio, vel detrimento & exitio sint; nisi ta-

men ista experimentis in rem præsentem deducantur, minùs sunt perspicua. Quoniam igitur historia vera, viva & expressa est imago, ac velut theatrum quoddam civilis prudentię, quæ Resp. constituit, rectéque constitutas servat & auget, dum ęvi prioris facta accuratè considerat & laudatissimorum heroum exempla ob oculos posita intuetur; ad quæ, tanquam ad cynosuram, universa dirigatur Reipublicæ administratio, & populorum sana gubernatio; ideo præstantissimi quique & prudentissimi Principes historiam in sinu, in manibus, in oculis assiduè habuêre, ad ejusque trutinam actiones suas direxêre; eamq; in omnibus vitæ labyrinthis, tanquam Thesei filum, sunt secuti.

Pindarus ob hoc ipsum suum laudat Hieronem, Principem Syracusanum, *qui ex omnibus majorum suorum, & laudatissimorum virorum virtutibus, florem summumq; decus decerpere; & quæ optima sunt, ex crebrâ libatione, apum instar, in suum convertere mellificium solitus fuerit*. Et M. Cicero in Orat. pro Archia, disertis testatur verbis, *se fortissimorum virorum imagines à Græcis & Latinis scriptoribus relictas, sibi in administranda Republica proponentem, animum suum & mentem ipsâ cogitatione hominum excellentium conformasse*.

De Lucio Lucullo, qui Mithridatem vicit in Ponto, idem scribit Cicero lib. 4. Academicarum quæst.

quæst. eum Româ profectum, rei militaris ignarum ac penè rudem, cùm totum iter & navigationem legendis historiis, & doctorum virorum disputationibus consumpsisset, tantum evasisse Imperatorem, ut Mithridates rex, post Alexandrum maximus, eum majorem Ducem, quàm quenquam eorum, quos legisset aut vidisset, à se cognitum confiteretur.

Publius Scipio Africanus, cùm Cyropædiam Xenophontis animo penitus haberet comprehensam, ex eaque omnes omnium virtutum & laudum cumulos collegisset, tantus vir evasit, ut non modò bellum ingens in Hispania non aliâ de causâ exarserit, quàm ex admiratione Scipionis, aliorum Imperatorum orto contemptu, verùm etiam latronibus ipsis sanctus & inviolatus extiterit. Hunc nimirum veræ gloriæ fructum attulit historia Cyri majoris, nõ tam vera, quàm ad justissimi & fortissimi Regis ideam expressa, scribit Bodinus in procemio methodi historicæ.

Sic & Alexandro M. tot victoriarum causa fuit virtus Achillis ab Homero, sine quo ne somnum quidem capiebat, ad Imperatoris optimi exemplar efficta.

Cajum Julium Cæsarem ad militarem virtutem impulit Alexandri æmulatio, cujus victorias cùm legeret, lachrymas uberiùs effudit; quòd eâ ætate, quâ ille orbem terrarum domuerat, nihil dum gessisset.

Auguſtus Imperator, teſte Suetonio, in enucleandis utriusq; linguæ authoribus, nihil æquè ſpectabat, quàm præcepta & exempla publicè vel privatim ſalubria; eaque ad verbum excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magiſtratus plerunque mittebat, prout quique monitione indigerent.

Conſtantinum Magnum, & in Imperio propagando fortunatiſſimum, & in eodem adminiſtrando prudentiſſimum, ex literis non ornatum tantùm, ſed fructum quoque maximum cepiſſe, conſtat.

Carolus Magnus non ſolùm patriâ linguâ, ſed etiam peregrinis linguis eruditus, in cæna & prandio præclaras antiquorum hiſtorias ſibi legi curavit; omniumq; nationũ, quæ ipſi ſubeſſent, memorabilia geſta, quæ ſcripta non erant, ſcribi & memoriæ mandari juſſit, teſte Cranzio lib. 2. Saxoniæ c. 8.

Selymus, Turcarum Imperator, Alexandrum M. & Dictatorem Cæſarem pluris, quàm alios omnes antiquos Duces, faciebat; quorum geſta in Turcicam linguam verſa ſine intermiſſione legebat; eorumque imitatione, brevi magnam Aſiæ minoris, & Africæ partem, cum Imperio majorum conjunxit, ut author eſt Jovius in ejus vita.

Alphonſus, Arragonum & Siciliæ rex potentiſſimus,

tissimus, dicere solebat, teste Panormit. lib. 1. se malle privatum vivere, quàm eruditione carere: Caji Julii Cæsaris commentarios in omni expeditione secum ferebat, nullum omnino intermittens diem, quin illos accuratissimè lectitaret, laudaretque & dicendi elegantiam, & belli gerendi peritiam. Hujus quoque comes, Alphonsus senior, Calabriæ Dux, nunquam sine libris in expeditionem proficiscebatur, ex quibus magno suo cum fructu longè meliùs prestantissimorum virorum virtutes se cognoscere posse affirmabat, quàm ex mutis imaginibus: Antonium Panormitam, veteres authores interpretantem, quamvis maximis curis pressus, diligentissimè audiebat, ut author est Pontanus in libro de Principe.

Etiam Carolum V. Imperatorem ad tantam gloriam extulisse, Ludovici undecimi, Galliæ regis, ab historia Cominæi, æmulationem, refert Bodinus in proœmio meth. hist. Horum ergo Regum & Principum laudatissimo exemplo, quibus historiæ tam uberem præbuêre fructum, in omnigenâ comparandâ prudentiâ, tam ad politicam, quàm ad privatam vitã necessariâ, quàm maximè earum lectio commendata esse debet viris principibus; utpote, quæ optimi consiliarii sunt, qui vocati semper adsunt, nihil adulantur, nihil occultant, omnia vera ad veritatem loquuntur; & quid, quare, quomodo appetendum fugiendũq; sit, candidè & sincerè aperiunt.

Flos XII.

Optimorum virorum optima consilia Princeps haud invitus audiat.

PRæclarè quidem eo cum populo agitur, cui Princeps obtigit, qui suopte ingenio sapiat, & suâ prudentiâ satis instructus sit ad imperandum, nec alieno consilio indigeat. Huic certè nihil utilius atque optabilius accidere potest, & hujusmodi sub Principe sapiente regna & Resp. florere opibus omniumq; rerum copiâ, satis superque Salomonis evincit regnum, 3. Reg. 4. & 2. Paral. 9.

Quoniam verò, teste Isocrate ad Nicoclem, *regnum omnium rerum humanarum maximum est, & quod maximam curam ac providentiam desiderat*; *Princeps autem* secundùm Tacit. lib. 3. & 12 annal. *suâ scientiâ non potest cuncta complecti, sed gravissimi labores, quibus ipse orbem terræ capessit, magnis egent adminiculis*: ideo propriæ sapientiæ opinio non debet usque adeò eum inflare, ut alienam aspernetur; quin potiùs, quò majore sapientiâ pollebit, eò modestiùs de se sentiet, libentiusque se suasque res sui senatus consilio prudentiâque regi patietur; memor, se quoque esse hominem, nec adepto principatu naturam humanam exuisse; ac proinde quoq; se humanitus posse labi & decipi. *Tur-*

Turbida nimirum sunt eorum consilia, quæ sibi suadent; obstat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogitaveris, amor; inquit Curtius lib. 6. Quòd si Salomon omnium Regum sapientissimus, sapientes viros in consilium adhibere non erubuit, quantò magis id decebit Principē, sapientiâ huic longè inferiorem? Sic & Nerva Imperator, nihil unquam de suo arbitrio statuisse, sed semper principes viros consilio suo adhibuisse, legitur, dum Reip. consuleret. Sic & M. Antoninus Pius Imperator nihil vel in civilibus, vel in bellicis negotiis egit, de quo non priùs cum Scævola, Volusio, Mœtiano, Ulpiano, Marcello, aliisque cum gravibus & consultis viris egisset. Quam ob causam à quopiam reprehensus, quòd nimio plus tribueret amicorum consiliis: *Quantò*, inquit, *æquius est, me tot & talium amicorum sequi consilia, quàm ut tot talesq́ amici meam unius sequantur sententiam vel voluntatem*, ut author est Julius Capitolinus, & Sabellius lib. 4. Enneadis 7.

Pari modo Sigismundus primus, Polonorum rex, Cromero teste, licet acri & solido esset, cùm in judicando, tum in consultādo, judicio; & neq; gratiâ, neque odio facilè deduci se ab æquo & bono pateretur; tamen nihil ferè majus sine consilio senatus unquam fecit aut statuit; ac nonnunquam de rectâ sententiâ suâ, consensu senatus, adductus, decessit, ne pertinax esse videretur.

Sic & Principi opera danda, ut horum exemplo omni depositâ pertinaciâ proprio judicio diffisus, aliorum sententiæ, ubi opus erit, libenter accedat, nec sibi soli fidat; quandoquidem & ipsius recta ratio odio, amore, irâ, avaritiâ, ambitione, & negotiorum ignorantiâ intercipi potest. Sin verò (*ut nullus ferè stolida sapientiæ opinio majores subdit spiritus, quàm iis, qui nihil sapiunt*) hoc in animum induxerit, suo unius consilio posse res suas stare; nec à quoquam moneri, aut à temere incepto revocari se patietur; superbę istę aures, & stolida prudentia ipsum & Reip. statum pessundabunt.

Notum hoc Justiniani Imperatoris secundi exemplo, qui sedecim natus annos, Imperium adeptus, propriis consiliis usus, maxima incommoda Romano nomini attulit. Bellum namq; , adversus Arabes & Bulgaros contra fœdera motum, utrumque gessit calamitosissimum. Ab illis enim in fugam compulsus, & ex Mesopotamiâ ejectus, cùm utramque Mœsiam cædibus atque incendio fœdaret, à Bulgaris, saltus & locorum angustias obstruentibus, in id redactus est necessitatis, ut captivis cum omni prædâ restitutis, pacem sibi precariò redditam suo suorumque sanxerit juramento. Byzantium reversus tot incommodis affecit cives, ut nemo non summo eum prosequeretur odio. Conspiratione ergo contra ipsum excitatâ, à Leontio amputatis naribus

Gersd-

Gersdnam est relegatus. Imperio Trebellii, Bulgarorũ regis, ope recepto, cùm flagitiosè indies majores cædes exerceret, à Philippico Bardane acie victus, & cum filio securi est percussus. Sic & Andronicus junior, qui cum avo, sex & ampliùs annis, parricidiali ob Imperium conflixit bello, nullius consilium admittebat; sui unius sententię & scientiæ insistens, teste Gregorâ lib. 11. De Bajazete quoque, Turcarum rege, author est Chalcondylas lib. 3. eum adeò præfractum & temerarium fuisse, ut neminem monentem sequeretur, sed sibi soli confideret, quando eundum erat in hostes. Qui tandem à Thamerlane, Tartarorum Principe, *(a.C.1397.)* magnâ suorum strage acie victus, miserabile fortunæ ludentis spectaculum toti Asiæ præbuit. Nam catenis vinctus aureis, inque caveâ ferreâ cancellatâ per Asiam circumductus, victori equum ascendenti, dorso subdito, scabelli usum præstitit. Jacobus tertius, Scotorum rex, homo acris ingenii, nõ facilè bene monentes audiebat; &, cùm nollet reprehendi, homines novos ad consilia capienda adhibebat. Nobiles tandem, conjuratione factâ, ne viderentur contra patriam facere, filium ejus Jacobum quartum, etsi nolentem, sibi Ducem constituerunt; vociferantes passim, *se malum Regem, non regnum eversuros.* Patre in prælio interfecto, filius Rex creatus est; teste Polydoro libr. 24. & 26.

Memorabile quoque, quod de Xerxe, Persarum rege, infelicissimo & imprudentissimo, omnia salutaria consilia spernente, ut ex Herodoti lib. 7. videre est, scribit Valerius Max. lib. 9. cap. 5. Xerxes, cujus in nomine superbia & impotentia habitat, suo jure tam insolenter abusus est, cùm Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ Principibus, ne viderer, inquit, meo tantummodò usus consilio, vos contraxi: cæterùm mementote, parendum vobis esse potiùs, quàm suadendum. Arroganter! Etiamsi victori repetere ei regiam contigisset, tamen deformiter devicti, nescias, utrum insolentius dictum, an imprudentius? Sic verè, ut Horat. canit lib. 3. carm. od. 4.

Vis consilii expers mole ruit suâ:
Vim temperatam dii quoq; provehunt
In majus, iidem odere vires,
Omne nefas animo moventes.

Holophernis, Judith c. 6. Judæ Maccabæi, 1. Maccab. 9. Mardonii Persæ, ex Herodoti lib. 9. Uladislai, Ungariæ regis, ex Bonfinio decad. 6. libr. 5. & aliorum Regum & Principum, qui suo cum exitio bonis parere consiliis detrectarunt, exempla recensere nimis longum foret. Quocirca in administranda Repub. Princeps sapiens alienâ potiùs prudentiâ uti assuescat; iis præsertim in negotiis, ancipitem quæ habent aleam; nec rerum fluctibus, suis unius fretus consiliis, temere se committat, ne se suasque res mergat & pes-

& pessundet. Idq; multò magis observandum virtutis & ingenii modici Principibus, qui consulere ipsi, quid in rem suam sit, nequeũt; cujusmodi non paucos, quoad prudentum virorum consilio usi fuêre, Remp. egregiè administrasse legimus.

Notum hoc ex historia sacra, exemplo Joæ, septimo ætatis anno ad regnum Judæ admoti; qui, quamdiu vixit Jojada vir sapientissimus, tantisper regnum præclarè administravit, 2. Paralip. 25.

Notum hoc ipsum ex historia Romana, exemplo Gordiani junioris, undecimo ætatis anno Cæsaris appellati, qui Misithei soceri, viri sapientissimi, consiliis adjutus, multa præclara domi, multa militiæ gessit, teste Capitolino in ejus vita.

Notum hoc ex annalibus Galliæ, exemplis Clotharii quarti, & Chilperici secundi, Regum, qui animo ingenioque socordes, cùm per imprudentiam inertiamque regni muneribus per se obeundis essent impares, regnum hoc, sub Caroli Martelli viri fortissimi regimine, incolume perstitit. Sed quia fieri non potest, ut unus tam accuratè Reipublicæ causas negotiave inspiciat atque expediat; nec difficultatibus atque periculis tam matũrè obviam eat, quàm plures, consociatis consiliis & curis; ideo non abs re Salomon consilium ex pluribus conflatum appro-

bans, Proverb. 11. *ibi multam esse salutem ait, ubi multa sunt consilia.* Quemadmodum enim in antidoto illo, Mithridaticum quod vocant, plures res per se noxiæ, ubi confunduntur, salutare adversus venenum remedium pariunt: sic &, quæ nonnullis hominibus obest, tarditas & celeritas, aliis verò præceps temeritas; hæ in pluribus commixtæ, temperamentum quoddam utile, & gratam mediocritatem pariunt.

Et quemadmodum sol non uno eodemque motu, ac cælum, volvitur; neque tamen prorsus adverso & opposito; at obliquam leviter atque inflexam cursus formam tenendo, lentum, flexibilem & sequacem efficit anfractum, quo tota hæc rerum universitas optimam accipit temperaturam: ita quoque, si summum Principis Imperium per se violentum & formidabile, æquitate & prudentiâ fidelium ipsius amicorũ temperetur; inde existet salubris illa & suavis in Republ. moderatio, quâ mundum quoque ab ipso Deo regi perhibent. Principis nimirum authoritas, prudentiâ fidelium consiliariorum temperata, fundamenta stabilit principatus, & benevolentiam atque obsequium subditorum ipsi conciliat; vicissimque illum subditis; ut sub ejus fide beatè ac tranquillè vivat. Metuunt n. eum offendere, quia sciunt eum consilio scelera vindicaturum; diligunt verò, dum sciunt, justè eum absque προσωποληψίᾳ cum consilio tribuere

tribuere unicuique quod suum est. Imò etiam, si quid durius à Principe imperetur; justum tamen & rectum illis vel unicâ hac de causâ videbitur, quòd consilio prudentum factum sit. Et hic quoque non mediocris boni consilii est fructus. Sed nec minùs præclarus iste; quòd Principi illud bonam famam laudemque comparet; utpote cui plerunque rerum præclari exitus solent tribui; veluti victoriæ laus in bello, quod ipsius quidem auspiciis, Legatorum tamen & Ducum præcipuè gestum est industriâ; in pace verò leges & edicta, & alia quæ ad Reipubl. incolumitatem spectant. Exemplo est Justinianus I. Imperator, qui, ductu Belisarii plurimis confectis bellis, plurimisq; partis victoriis, audiit Alemannicus, Gothicus, Alanicus, Vandalicus, Africanus. Eidem præterea sanctissimæ tribuuntur leges, & Juris Romani constitutio atque ordinatio; quod tamen non ipse per se, (quippe qui, Suidâ & aliis testibus, analphabetus fuit) sed per alios viros prudentes, ad opus illud ex consilio adhibitos, componi & consarcinari curavit; quod ingenuè ipsemet fatetur in epistolis ad senatum missis, sub titulis de novo codice faciendo; de emendatione codicis Justinianei; de veteri jure enucleando, & alibi. Porrò Princeps sanis consiliis morem gerens, ut apud subditos majorem authoritatem; ita dubio procul apud exteros sui admirationem, & apud hostes formi-

dinem concitabit; quod ex belli Punici secundi historiâ notum, exemplo Hannibalis, qui vehementiùs metuit solertem cunctationem Fabii Dictatoris, & alios Romanorum Duces cautos atque prudentes, quàm ferociam & fervorem Sempronii & Flaminii Consulum. Tandem fieri quoq; non potest, quin Princeps, (si modò planè hebes & plumbeus non fuerit) assiduè sapientibus consiliariis assidens, eorundemq; in dirimendis controversiis & negotiis decernendis rationes audiens, seipse non acuat atque perpoliat ad res cognoscendas & gerendas, & bonum atque malum consilium discernendum. Assequetur autem hoc, si, quæ à contrariis, paribus & disparibus suffragiis dicuntur, patienter audierit; rationesque, quibus dicta illi sua firmarint, probè observaverit; sic tandem naturali judicio, & frequenti usu negotiorum similium, bene vel malè succedentium, ex illis, quæ dicta sunt, perpendere poterit, quid sibi expediat, quid secus? Quòd si consulta sibi in consilio non suffecerint, ampliùs & pleniùs deliberandum statuat; nec turpe sibi ducat cum re mutare consilium; præstat enim mutare in melius, quàm in malè institutis pergere; & ut Lucilius in Asino dixit: *Meliùs recurrere è medio cursu, quàm malè currere.* Cæterùm satiùs erit, astipulari parti meliùs sentienti, quàm suæ sententiæ; ne suâ præsumptione se & Rempubl. in præcipitium, à quo resurgere nequeat,

nequeat, sciens prudensq; conjiciat. Cæterùm *regula discernendi boni consilii à malo, est honestas, à qua quod deflectit, malum est.* Nam, ut ait Papinianus Jurisconsultus in l. filius 15. ff. de conditionib. institutionum: *Quæ facta legum pietatem, existimationem, verecundiam nostram; & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.* Doceri hoc potest exemplis, ex Romanorum Republ. quæ nihil per fraudes, sed virtute etiam cum hostibus gessit, & honestum utilitati prætulit, ne antiquam majestati Reip. labem inureret, depromptis. Faliscis à Romanis octennali jam obsidione irrito successu pressis, cùm ludimagister plurimos & nobilissimos inde pueros per deambulationis speciẽ eductos, in castra Romanorum adduxisset; quibus interceptis non erat dubium, quin Falisci, depositâ belli pertinaciâ, tradituri se Camillo Imperatori essent: hic turpem hunc proditorem aversatus, vinctum nudatumque terga, adolescentulis virgis in urbem agendum tradidit. Quo justitiæ exemplo, & honesto consilio, & dignitatem Reipublicæ Romanæ conservavit, & hostiũ animos expugnavit; *qui, cùm armis vinci non possent, justitiâ victi*, portas Romanis ultrò aperuerunt. Hac de historiâ lege Livium lib. 5. Plutarchum in Camillo, Florum lib. 1. cap. 12. & Valer. Max. lib. 6. c. 5.

Sic cùm bello Tarentino Timochares Am-

branensis medicus, Fabricio consuli esset pollicitus, Pyrrhum se veneno per filium, qui potionibus ejus præerat, necaturum; eaque res ad senatum esset relata; senatus missis legatis Pyrrhum monuit, ut adversus hujus generis insidias cautiùs se gereret; memor, à filio Martis urbem conditam, *& armis bella, non veneno, gerere debere*; Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo æquitatem amplexus, quia nec hostem malo exemplo tollere, nec eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit, teste Plutarcho in Pyrrho; Aulo Gellio libr. 3. c. 8. & Valerio Max. lib 6. c 5. Sic &, cùm post victoriam de Xerxe, saluberrimo consilio Themistocles Atheniensis ruinas patriæ in pristinum habitum reformaret, & opes clandestinis molitionibus ad principatum Græciæ capessendum nutriret, classem Lacedæmoniorum, quæ tota ad Gytheum subducta erat, incendere volens; ut eâ consumptâ dominatio meris Atheniensibus cederet; è vestigio, ubi hoc ejus consilium utile quidem, sed minimè justum, ad concionem est relatum, universa concio, *quòd æquum non videretur, ne expedire quidem*, proclamavit, ac protinus Themistoclem incepto desistere jussit, ut author est Plut. in vita Themist.

Pari modo cùm Ladislaum, Ungariæ & Bohemiæ regem, adhuc puerum, Fridericus tertius, Romanorum Imperator, apud se educaret, sanguine

guine sibi conjunctum, non defuerunt ex consiliariis (*an.C.1443.*) qui puerum clàm perdendum Cæsari persuaderent, cujus mors opes maximas plurimaque regna ipsi esset allatura. At Imperator; quî fit, inquit, quòd me divitem potiùs, quàm pium erga meos esse cupitis? *Ego sanè divitias non ita amo, ut impiis consiliis persuasus, propter eas indignum facinus perpetrare velim*; ut author est Æneas Sylvius lib.3.comment.de reb. gestis Alphonsi. Ad eundem modum Fridericus III. Dux Saxoniæ Elector, multis ab Erfordiensibus injuriis affectus, cùm comitiis populo indictis de bello suscipiendo deliberaret; erat eques magnæ authoritatis, qui bellum summo studio suadebat, & à dedecore, & à facilitate victoriæ, ductis præcipuè argumentis. Ei Dux: Præclarè tu quidem, Sigismunde, pro ipso, cujus interest bella ex bellis seri, concionatus es; pro me non item, *cujus gloria & incolumitas ex subditorum commodis potiùs, quàm ex hostium ruinâ & interitu pendet.* Concione in præsens dimissâ, non multò pòst conventu Wormaciensi Erfordienses, coram Imperatore Carolo V. graviter accusatos, insperato suo dignatus patrocinio ex inimicis amicissimos reddidit. Has artes si reliqui imitarētur, *plures Principes, quàm tyrannos haberemus*, inquit Johannes Agricola, in proverb.German. *velox consilium, velox malum.*

Flos XIII.

Princeps non minùs hominem ſe eſſe, quàm hominibus præeſſe, meminerit.

Commune eſt, omniumque literis celebratum adagium; *Noſce teipſum*: quod è cælo deſcendiſſe, ait Juvenalis Satyr. 11. Quod ut olim in Apollinis Delphici templo literis aureis fuit conſecratum, teſte Platone in Charmide: ita quoque dignum omnino eſt, ut Principum animis penitus infigatur, ut mentis oculis apertis ilicò perſpiciant atque intelligant, quid ſint, & qui ſint; unde ſuam ducant originem; quid perſonam deceat, aut dedeceat; quidque dignitatem, quam gerunt, ornet aut deformet. Ad originem ipſorum quod attinet, Principes iiſdem, quibus ſubditi, orti ſeminibus, iiſdem conſtant & aluntur elementis; eundem ſpiritum ab eodem hauriunt initio, eodem fruuntur cælo, iiſdem ſubjecti ſunt naturæ legibus. Quod Salomon omniũ Regum ſapientiſſimus, probè ſecum expendens, Equidem (inquit in ſua Sapiẽtia c. 7.) ſum & ipſe mortalis homo, æquè ac cæteri; natus ex genere hominis protoplaſti; & in ventre matris ſimilatus caro, decem menſium ſpatio coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine virili, accedente coitu; inque

inque lucem hanc editus, communem hausi aërem, similemque cæteris emisi ploratum, panniculisque involutus, magnis nutritus sum curis. Nemo enim ex Regibus aliud nativitatis suæ habet principium; sed ut unus æquè omnibus introitus ad hanc vitam, ita & similis exitus. Porrò dignitatem, quam Principes gerunt, si spectemus, ipsius Dei in terris sunt legati atque vicarii; ejusq; personam in hoc magno corruptibilis theatro seculi sustinent; quos idcirco quoque nomine ille suo honorificentissimo appellat divos (Psal. 82.) quòd officium gerant in his terris amplissimum, ac propè divinum, pacem & salutem populorum, sacrorumque religionem tuendo, & Christi regnum propagando. Sic ergo majestas, quâ à Deo ornati, & ceu Gorgone sunt armati, supra fastigiũ humanitatis est; sed quam moriendo deponere, & cum insignibus, coronis, sceptris, ditionibus & cæteris, quæ dignitatis habent nomen, relinquere coguntur. Quòd si intrinsecus ipsos intueamur Principes, non rarò fœdiora & turpiora nonnullorum præcordia, pluribus item ærumnis referta, & tristiores in illis animi morsus reperiemus, quàm in subditis. Ex quo nõ malè Lucianus lib. de regno, regnum prægrandibus comparat Colossis, à Phidia aut Praxitele fabricatis; in quibus illa quæ foris apparent, vel Neptunum, vel Jovem repræsentant, mirificè decorum, auro eboreque compactum;

& aut fulgur, aut fulmen, aut tridentem fuſcinâ dextrâ ſuſtinentem. Cæterùm ſi immiſſo capite, quæ intus ſunt, inſpicias, videbis vectes quosdã, papiliones & clavos extrorſum prominentes; nec non vimina, cuneosque & picem ſublitam; & aliam id genus deformitatem intrinſecus inhabitantem; nonnunquam quoque muſcarum & muſtelarum vim, in Coloſſis illis manſitantem.

Hæc omnia ſi ſecum expendiſſent Alexander Magnus, Sapor, rex Perſarum, & Cajus Caligula; (ut de aliis monſtris nihil dicamus) & primus ille pudori habuiſſet, Jovem aſſciſcere patrem, & mortali habitu ſpreto, divinum æmulari; & ſecundus ad Conſtantium Imperatorem ſcribere erubuiſſet; ſolis ac lunæ ſe fratrem, partem inter ſtellas haud exiguam habere; nec denique poſtremus eò dementiæ perveniſſet, ut inter deorum ſtatuas ſedens, tanquam numen aliquod coli ſe juberet; Jovem etiam ab urbe depulſurum minitaretur, quòd imbribus interdum ludos & ſpectacula turbaret atq; impediret. Sed nec adhuc hodie Reges & Principes nonnulli ſuperbè atque inſolenter criſtas erigerent, & alios transverſo deſpicerent naſo, ſeipſos ſi noſſent, & illud ſacræ in mentem redigerent, *Pulvis es, & in pulverem reverteris, Gen. 3.* Prudens igitur Princeps, quemadmodum ſe hominibus imperare norit; ita quoque ſe hominem eſſe cogitet; & quamvis ipſe factus ſit in terra Princeps, ſe tamen quoque

quoque ex terra factum meminerit; gnarus, se quidem ex pulvere ad solium conscendisse, sed tamen in pulverem tandem descendere posse; & licet altiorem ipse gradum in sua gubernatione teneat; inde tamen graviorem quoque esse lapsum & miseriorem, si praecipiti ruinâ labatur, ut reparari aut restitui nequeat; rerum denique humanarum esse circulum consideret, qui circumrotatus, eosdem secundâ, & ad voluntatem fluente fortunâ uti, perpetuò non sinat.

Monuit hoc olim Cyrum, Medorum regem, Crœsus consultus ab ipso de bello suscipiendo contra Tomyrin Massagetarum reginam (*anno M.3451.*) Si tibi, ait, esse videris immortalis, nihil est opus, ut meã tibi sententiam dicam: si verò te quoque agnoscis hominem, illud inprimis discito, *talem humanarum rerum circum esse, qui rotatus eosdem semper fortunatos esse non sinit.* Verùm Cyrus imperandi libidine accensus, dum Crœso non pareret, in bello periit (*an. M.3458.*) teste Herodoto lib. 1. & Justino libr. 3.

Didicerat hoc olim à Solone Crœsus, cùm neminem uspiam fortunatiorem, quàm cum ipso Fortunam, scil. deam, judicaret, à quo audiit, *neminem ante obitum posse dici beatum*; sed quo Solonis dicto de rerum caducitate spreto, cùm ipse rebus uteretur florentissimis, Cyrum Persarum regem in se provocavit; à quo victus in maximas incidit calamitates, proverbioque locum

fecit; Viro Lydo negotium non erat, at ipse foràs profectus paravit: author Zenodotus ex Herodoto lib. 1. & Plutarcho in Solone. Idem Syphacis, Maurusiorum regis, exemplo docet Valer. Max. lib. 6. cap. 9. quem amicum, hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Asdrubalem, ultrò petierat. Hic eò claritatis evectus, ut validissimorum populorum tantùm non arbiter victoriæ existeret; parvi temporis interjectâ morâ, catenatus à Lælio legato, ad Scipionem Imperatorem pertractus est; cujusque dextram regio insidens solio, arroganti manu attigerat, ad ejus genua supplex procubuit. Caduca nimirum hæc (subdit Valerius) & fragilia puerilibus consentanea crepundiis sunt, quæ vires atque opes humanę vocantur; affluunt subitò, repentè dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo statu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso cursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Quod ibidem Quinti Cæpionis quoque comprobat exemplo, qui præturæ splendore, triumphi claritate, consulatus decore, maximi pontificatus sacerdotio, ut senatus patronus diceretur, assecutus; in publicis vinculis spiritum deposuit, ejusque corpus funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.

Docet

Docet hoc quoque apud Quintum Curtium lib.4. Darius, rex Persarum ultimus, inter alia ad pugnandum fortiter milites suos ita cohortatus; *Breves & mutabiles vices rerum sunt, & fortuna nunquam simpliciter indulget.* Forsitan ita deorum fata ordinarunt, ut Persarum Imperium, quod secundo cursu per ducentos 30. annos ad summum fastigium evexerunt, magno motu concuterent magis, quàm affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, *cujus nimia in prosperis rebus oblivio est.* Præsagiebat nimirum tunc Darius culminis sui & felicitatis proximam cladem; qui paulò pòst victus, regnoq; spoliatus, fugiens à suis, necatus est (*anno M.3641.*) eodem teste Curtio lib.5.

Docemur hoc ipsum aliis quàm plurimis Regum & Principum exemplis; Cneus Pompejus Magnus, potentissimus Romanorum habitus, *quem sæpiùs cum hoste conflixisse, quàm quisquam cum inimico concertarit; plura bella gessisse, quàm cæteri legerint; plures provincias confecisse, quàm alii concupiverint,* affirmat Cicero; intra octo illos dies, quibus olim de Mithridate & Pyratis triumphaverat, jam à Cæsare victus, in Ægyptū fugiens, per insidias obtruncatus (*a.M.3424*) legitur apud Dionem lib 41. Plutarch. in ejus vita; Appianum lib.2. de bello civili, & alios.

Henricus quartus Imperator, qui sexagena duo commisit prælia victor, à Pontificibus semel

iterumque diris devotus, ab Henrico tandem filio dignitate exutus, acie insuper victus, Spiræ in summa paupertate præ mœrore expiravit (*anno Christi 1106.*) Sigonio teste lib. 9. regni Italici. Belisarius, Justiniani Imperatoris Archistrategus, devictis Persis, ultraq; Euphratis ripam dejectis, non multò pòst in Africam missus, Vandalos omnes ejecit, Gilimeremq; eorum regem cepit; de eoque postmodum triumphavit. Hinc in Italiam Exarchus missus Gothicum omne nomen contudit; Romam libertate donavit; de Vitige, Gothorum rege, apud Ravennam capto, Gothisque ipsis omni Italiâ pulsis, triumphavit; omnibusque in provinciis maximè insignis semper extitit. Constantinopolin tandem revocatus, premente invidiâ excæcatus, in Sophiæ templo panem quotidie mendicare coactus est, frequenter hac voce usus: *Panem Belisario date, quem virtus extulit, invidia oppressit*; author Egnatius lib. 6. c. 10. & Pontanus lib. 2. cap. 8 de fortitudine domesticâ. Nimirum hoc clarissimis Ducibus fatale videtur, inquit Jovius in Consalvo, ut in ultimo vitæ actu circumventi invidiâ, imminutâque dignitate in ipso contumeliæ dolore moriantur. Sed nec eorum Regum & Principum desunt exempla, qui rebus secundis nimiùm elati, dum contemptu humanæ imbecillitatis, multa temerè, inconsideratè, audacter, crudeliter egerunt; sibiipsis innumera mala, extremumque
accer-

accersiverunt exitium. Xerxes certè, teste Herodoto libr. 7. 8. & 9. quinquagies bis centenis, octoginta tribus millibus militum superbus & sex millium omnis generis navium classe, maris quasi dominus expeditionem contra Athenienses suscipiens, Asiam Europæ ad Hellespontum Persiæ conjunxerat; verùm ex tantis copiis perexiguâ Spartanorũ manu ad Thermopylas Leonidas trucidavit viginti millia; classem ad Salaminem Themistocles consilio & prudentiâ suâ depressit: nec multò pòst Mardonius ad Plateas, peditum bis centenis millibus, equitum viginti millibus amissis, à Pausaniâ cæsus occubuit, ut de ejusdem clade ad Mycalem Ioniæ à Xantippo acceptâ eodem die, nihil dicamus; quibus cladib. Rex tam elati animi consternatus, unâ scaphâ elapsus, didicit suo malo, quàm verum sit illud Quinti Curtii lib. 17. *Arbores magnas diu crescere, at unâ horâ extirpari; stultum esse, qui fructum earum spectat, altitudinem non metitur: eum, qui ad cacumen pervenire contendit, cum ipsis ramis, quos comprehendit, decidere; leonem etiam aliquando minimarum avium fuisse pabulum, & ferrum rubiginem consumere; proinde fortunam pressis manibus tenendam esse, & felicitati imponendos frenos, ut faciliùs eam regamus.*

Marcus Attilius Regulus bello Punico primo aliquot victoriarum cursu elatus, cùm nullâ erga Carthaginenses ad extremas redactos an-

gustias misericordiâ moveretur, pacemque suppliciter petentibus, non nisi iniquissimis conditionibus concederet; mox ipse eò redactus, ut eadem illa supplex à Carthaginensibus petere cogeretur; didicit suo malo, quàm verũ sit illud Senecæ in epistolis, *Fortunã in castris suis magis, quàm in deliciis esse habendam*; ac proinde si quibus vitæ alludit prosperitas, se velut in lubrico retineant, nec sibi dent impetus liberos; sed circumspiciant, quò eundum sit, & quousque.

Adonibezecus, Cananæorum rex, in prælio ab Israëlitis captus, amputatisq; manuum pedumq; digitis, miserrimè in vita servatus; (vivere siquidem is diu potest, qui eo modo habitus, in longam potiùs mortem conjectus videtur) quoniam istâ morte 70. reges vicinarũ urbium antea affecerat, ut ipse fatetur Judicum c. 1. cùm longo eos tempore veluti canes sub mensâ ad pedes suos pavisset, malo suo didicit veritatem dicti Polybii lib. 5. *quàm parva temporis intervalla homines in excelso fastigio collocent, & eosdem rursus ad extremam miseriam atq; calamitatem redigant.* Quicquid enim excellit, quando ad summum claritatis fastigium evasit, iram & indignationem numinis effugere nequit; sed deturbatum de suo statu in nihilum & venti spolia redigitur, inquit Dionysius Halicarnassæus libr. 8. Et hoc potissimùm sævis atque superbis accidit ingeniis, quæ naturæ & felicitatis humanæ terminos transgrediuntur.

Huc

Hucquoque spectat memorabilis & tragica historia Theodorici Marchionis Brandeburgici, qui Princeps potentiâ & studio rei militaris nimiùm insolens factus & efferatus, cùm etiam consiliarios arrogantiâ & elatione insignes circum se haberet, quorum impulsu nihil non temerè & injuriosè faceret; tandem sic depravatus est, ut induceret animum, *sibi licere quod liberet.* Accidit a. ut erga Mistovium Obotritarum regulum, nuper ad Christianismum conversum, cui Bernhardus, Saxoniæ Dux, sororem desponderat, & reliquam Vandalicam gentem valde iniquus & sævus esset, ut non solùm in ejus contumeliam effecerit, quòd duo Lusatiorum Principes jussu Henrici secundi Imperatoris capti, laqueo suspenderentur, sed etiam suasor Bernhardo Duci fuerit, ut suam sororem alteri desponderet; Vandalos esse indignos, quibus cùm Germanicus sanguis misceatur; quin etiam Ducem Saxonicum admissurū dedecus, si cum isto cane, (sic enim Mistovium appellare solebat) affinitate devinciretur. Mistovius hac contumeliâ irritatus, ilicò abnegatâ fide Christianâ, totam Vandalicam gentem ad arma excitavit; missoq; feciali ad Theodoricum, nunciare illi jussit; Mistovium canem istum Vandalicum jamjam editurum latratus, effecturumqne morsus, quos tota Marchia & Saxonia perhorrescat. Cùm autem Theodoricus non minùs ferociter re-

spondisset, se curaturum canicidas, qui latratum & rabiem ejus compescant; & non exspectato auxilio cum Vandalis temerè conflixisset, mox victus & profligatus, totâque suâ ditione exutus, quoad vixit, nullâ unquam aut reconciliatione potiri, aut suam ditionem à Vandalis recuperare potuit; nec aulicorum quenquam habuit, à quo restitueretur; sed omnibus invisus, in perpetuo exilio vitam traduxit miserã, Magdeburgi eleemosynâ Canonicorum sustentatus, ut author est Georgius Sabinus in ejus vita. Hujusmodi tragicum eventum & exitum habuit quoque Ludovicus Sfortia, Mediolanensium Princeps, teste Guicciardino libr. 4. hist. Ital. qui nimiâ arrogantiâ & fastu se arbitrum totius Italiæ fore putaverat, & tamen inter Helvetios milites domum discedentes amictu gregarii militis latitans, à Gallis agnitus & ignominiosè captus, Lugduni clathrato in carcere decẽ circiter annos captivus, mortalium omnium miserrimus periit. His & similibus exemplis prudens Princeps admonitus de rerum omnium instabilitate, si qua in re numen maximè favens atque propitium habet, in ea fortunæ beneficia prudenter dispensare, iisq; sapienter uti meminerit, & consideratione humanę fragilitatis atque imbecillitatis, & simul fortunæ lubricitatis atque inconstantiæ semetipsum ad humilitatem & modestiã excitet; (exemplo Nabuchodonosoris, qui ob nimium fa-
stum

ſtum è regno ejectus, poſtquam in ſolitudine vagus & bovis pabulo uſus didicit, *nunquam in ſolido ſtetiſſe ſuperbam felicitatem, & ſequi ſuperbos ultorem à tergo Deum*; humili dehinc animo Deũ coluit. (Sic & Theodoricus Marchio Brandeburgicus, cujus modò facta mentio, in hanc miſeriam ubi incidit, tum demiſit animum, quo nihil antea fuerat elatius; agnovitque ſe vindice & ultore Deo, à divitiis in paupertatém, ex alto atque illuſtri loco in infima dejectum eſſe, propter injuſtitiam & inſolentiam, quòd nimiùm oneraſſet ſuos cives, & quòd fiduciâ potentiæ & aſſentationibus inflatus, vix ſe hominem eſſe meminiſſet;) erga alios autem miſericordiam & clementiam exercere diſcat; idq; exemplo Cyri, Perſarum regis, qui Crœſum, Lydorum regem, pyræ impoſitum, altâ voce ter Solonem inclamantem, & hunc ſibi exitum ab eo prædictum, asſerentem audiens, dimiſit; & quamdiu vixit, in honore maximo habuit, teſte Herodoto lib. 1.

Sic & Seſoſtris, rex Ægyptiorum, ſolenni quadam feſtivitate adigens reges captivos currum aureum, quo vehebatur, humeris ſuis agitare, quendam illorum crebrò ad rotas reſpicientem, indignabundus interrogavit, cujus rei gratiâ tam frequenter oculos in rotas conjiceret? quo timidè reſpondente, *ſe, cùm rotas ſurſum deorſumq; volvi cernat, vitæ conſiderare inſtabilitatem; in qua ſumma ad imum devolvantur, ima ad ſum-*

mum evehantur: quod ubi audiit, eum comiter honore affectum, in currum sustulit, liberatumq; & ipsum & reliquos vitâ donavit, aut author est Nicephorus libr. 18 hist. ecclef. c. 29. Sic &, cùm Gilimer, Vandalorum rex, in Africa captus à Belisario, & in triumphum ductus Constantinopolin, in hippodromo, Justinianum Imperatorem, in altâ sede constitutum, populumque circumstantem conspiceret, suumque fatum considerans, illud Ecclesiast. c. 1. narraret; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas:* Justinianus humanæ vitæ vicissitudines æstimans, ipsum solvit vinculis, & apud se aliquandiu in magno honore habuit: tandem cum omnibus suis, in Galatia quædam loca inhabitare concessit; ut scribunt Evagrius lib. 4. c. 17. Procopius lib. 3. de bello Vandalorum, Blondus lib. 3. decadis 1. & Paulus Diaconus lib. 17.

FLOS XIV.

Imperio præsta, Princeps bone, majestatem.

MAjestas magistratui, tanquam Deo cuidam terreno, & potestatis divinæ vicario, inprimis convenit; non tam dignitatis, quàm virtutis ratione; quæ in eo, aliis qui præest, summa esse debet, vel re ipsâ, vel saltem opinione. Hæc majestas

jestas atque authoritas nata est ex admiratione & metu, quâ veluti Gorgone ornavit & armavit Deus magistratus, in subditis singularem excitat amorem, reverentiã & honorem, ut illos ex suo erga virtutes affectu suspiciant & observent, eisque ultrò pareant, & sequantur quocunque velint; in hostibus & aliis facinorosis parit metum quendam, ne quid contra eos moliantur aut aggrediantur; atq; ita quivis magistratus, tam à contemptu, quàm à rebellione, aliisque injuriis vindicetur; id quod Sabellicus lib.6.cap.8. multis exemplis è sacrâ & profanâ historiâ petitis, confirmat. Moverunt, inquit, procul dubio Israëlitas prodigia, quæ in Ægypto facta dicuntur, ut Pharaonis minas & imperium quadantenus contemnerent; sed Mosis authoritas multò impensiùs perpulit, ut sine armis, sine commeatu, per deserta & dispẽdia viarũ sexies centena millia hominum unũ sint Ducem secuta; *ut cùm certa relinquerentur, quærerentur incerta.* Hæc eadem in causa fuit, ut tam numerosa multitudo, Ducem per medios maris fluctus vadentem, sit intrepidè secuta, leges ferentem audierit, conflatilem vitulum sustulerit, inermis in armatam aciem iverit, in quo demum aliquid esse crederet, quod supra fastigium humanitatis esset, secundum cæli numen, præcipuè venerabile. Accessit & Josuæ, qui post hunc Dux fuit, sua authoritas, cujus jussu circa Jordanem omnis virilis stirpis

gens circumcisa est; eodem authore 30. Regibus bello victis, æternum observationis fœdus cum Deo sanxerunt Israëlitæ; omnis Cananæorum terra tributim & viritim victori populo divisa est.

Judæ Maccabæi ductu permodica Hebræorum manus cum validissimis hostium copiis sæpiùs conflixit. Quòd nisi egregia Ducis authoritas adfuisset, nullâ subjici necessitate potuissent, ut, rebus gentis atrociter afflictis, cum eo hoste manum consererent, cui toties cædenda terga obvertissent.

Habuit sub signis Annibal, cùm bellum in Italia gessit, Afros, Numidas, Mauros, Hispanos, Gallos, Ligures, & Italicæ nationis numerum ingentem; tanta tamen in eo fuit authoritas, ut nullam, in tanta hominũ colluvione, tam longo bello, ac tam varii eventus, sit seditionem expertus.

Publius Scipio Africanus, qui Annibalem vicit, militarem seditionẽ est nunquam expertus. Fuit in eo alioquin tanta de ipsius virtute opinio, ut multi Italici nominis, qui jam stipendium erant emeriti, sponte secuti sint illum, Africam provinciam extra sortem adeptum. Hactenus Sabellicus.

Infamis ante Cannensem pugnam timiditas Quint. Fabii Maximi & segnities, mox post conflictum, humanâ major sapientiâ habita est, & divini

divini præstantisque miraculum consilii tantò antè prospicientis insequentia, quæ animo vix valebant concipere ii, quibus evenerant. Itaque mox in illo civitas reliquam spem ponens, & ad ejus mentem, tanquam ad sacram confugiens anchoram, salutem suam, & quòd non undiquaque dissiparetur, (sicuti urbe à Gallis oppressâ factum erat) unius acceptam ferebat consiliis Fabii, teste Plutarcho in ejus vita. Idem in Philopœmonis vita; Quemadmodum, inquit, in præliis & discriminibus equi novelli consuetum sessorem trahunt, alium si vehunt, tumultuantur & ferociunt: ita exercitus Achæorum dejiciebat alio Duce animum, atque solum Philopœmonem circumspectabat; quo viso tantùm, illicò erat ex fidentiâ erectus agilisque. Nempe hostes intelligebant, unum hunc contueri nō posse; sed & gloriam ejus & nomen, ut re ipsâ declararunt, formidare. Macedonum rex Philippus, ratus, sublato Philopœmone, Achæos iterum se respecturos, misit certos occultè Argos, qui eum trucidarent: at detectis insidiis planè flagravit invidiâ, & traductus est apud Græcos. Bœotii Megaram obsidentes cùm sperarent, se oppidum expugnaturos, vano referente allato rumore, Philopœmonē suppetias obsessis venientem adesse; scalis, quæ muris jam erant admotæ, relictis, fugâ sibi consuluerunt. Ut Nabidi, tyranno Lacedæmoniorum, qui Messenem occuparat,

nuntiatum est, Philopœmonem in propinquo esse; non remansit illic, quamvis castra in oppido haberet; sed subduxit se per aversam portam, agmenque raptim abegit, præclarè secum agi ratus, si elaberetur. Idem Plutarch. in Agide scribit, regem Lacedæmoniorum, ne hostes quidem temerè, cùm occurreret eis in acie, attigisse; sed deflexisse, verentes venerantesque ejus majestatem. Cùm per legatos Numam Pompilium Sabinum ad regnum populus Romanus vocasset; idque haud sine difficultate impetrasset; adeò sese audientem dicto ejus præbuit, ut ipso regnante nulla unquam seditio mota fuerit, nullosque is corporis custodes habuerit. Urbem, quæ Marte orta, Martialibusque rebus aucta erat, iisq; etiam alebatur, nominis sui majestate atque virtute, ad religionem anteactæ vitæ prorsus contrariam ipse traxit, eodem teste Plut. in ejus vita. Sic & Marcus Antoninus Pius Cæsar, ejus authoritatis apud omnes fuit gentes, ut per tres & viginti annos prorsus sine sanguine civili & hostili (quod nemini Principum contigit) imperarit, ut Aventinus scribit libr.2. annalium Bojorum. Caroli Magni Imperatoris Romani tantus terror, & nominis ejus armorumque metus non solùm Græciam, verùm etiam Africam & Persiam penetravit, ut Ægypti, Africæ, Persarumq; reges, missis legationibus ac muneribus, ultrò amicitiam ejus ambirent, eodem teste

Aven-

Aventino lib. 4. Henricus, Anglorum rex, facto patris funere, concilium Principum ad Westmonasterium convocandum curavit; in quo, dum de Rege creando more majorum agitabatur, continuò aliquot Principes ultrò in ejus verba jurare cœperunt. Quod benevolentiæ officium nulli antea, priusquam Rex renunciatus esset, præstitum constat; scribit Polydorus lib. 22. Adeò Henricus ab ineunte ætate spem optimæ indolis fecit.

Machometus secundus, Imperator Turcarum, voluit se palàm laudari, cunctisque summis Imperatoribus ac Regibus, quotquot sunt aut fuerunt uspiam gentium, gloriâ anteponi; Matthiam, Ungariæ regem solum excipiebat; quem etiam strenui Principis nomine ornabat. Alphonsus Aragonius ad Trojam memorabili prælio hostes vicit. Eques unus in conflictu Regi obvius, ubi cæteris ornatiorem esse vidit, impetu in illum invectus, quis esset interrogavit? Tum rex, Rex sum Alphonsus, respondit. Quâ voce perterrefactus eques, properè ex equo descendit, genuaque ejus amplexus, sese ejus clementiæ dedidit, ut author est Ludovicus Dominicus libr. 1. variæ historiæ; Panormita libr. 4. de rebus ejusdem gestis. Alphonsi, licet victi & capti à Genuensibus, tantam fuisse authoritatem scribit, ut nihilominus conditiones dixerit, & victores victo metu cesse-

rint; victoriam casu, non virtute, se consecutos arbitrati. In Sigismundum Imperatorem Hungari cõspirantes, cùm aut capturi Regem, aut, si non succederet, occisuri, in palatium irruissent, videntes Regem armatum, & singulare certamen non recusantem; statim ita obstupuere conjurati, ut sibi quisque timens abierit re infectâ; teste Æneâ Sylvio libr.3. comment. de rebus gestis Alphonsi. Pari modo cùm Capuani ad Carolum VIII. Gallorum regem defecissent, Neapolitani Ferdinandi, Hispaniæ regis, exercitum recipere renuebant: hîc multitudo opificum, perditorumque hominum, ad diripiendum Regis stabulum, quod arci propè erat conjunctum, deferebatur. Ejus fœdi facinoris adeò ingratum graveque regiis oculis spectaculum fuit, ut Ferdinandus, cùm nobilem ejus loci apparatum diripi, generososque equos ab infimæ sortis hominibus trahi cerneret; factumque ex augusto ejus conspectu, ut alii metu pudoreque confusi, projectis in terram armis, veniam orarent; alii relictâ prædâ diffugerent, teste Jovio lib.2. historiarum. Ex his & similibus exemplis patet, *majestatem Imperii salutis esse tutelam*, quod apud Curtium legitur lib.8. *& eandem sine viribus parum tutam*, authore Livio decad.1. lib.1. *difficiliusq; à summo fastigio ad medium detrahi, quàm à mediis ad ima præcipitari*, ut idem scribit decad.4. lib.7. *eandem deniq; magis retinere homines*

mines in officio, quàm arma & supplicia. Cæterùm salutaris & prudentis Principis est, præstare imperio Dei majestatem & potestatẽ integram, authoritatemq; publicam concessam, conservare inviolatam. Quod ita efficiet, si id egerit, ut summa totius potentiæ, aut belli, aut honoris à se dependere videatur; & ipse solus sit arbiter rerum, jure ac nomine regio, aliis secundùm leges suas vivere jussis. Præterea secundùm Aristotelem libr.5. Polit. cap.11. communis erit custodia principatus, neminem unum nimis magnum facere, nec proximos honores regiis, nec valde magnos eosq; diuturnos cuipiam concedi. *Corrumpuntur enim homines magnitudine honoris, & immodicis potestatibus*, teste Dione lib.36. Nec cujuslibet est, in rebus tam prosperis nimiã fortunam concoquere, *quia magna potentia*, ut Plut. ait in Sylla, *eorum, qui ipsam adepti sunt, ingenium mutat; & vecordiam instabilesq; & inhumanos mores efficit.* Nec enim paucos reperias, qui ex nimiâ à Principibus sibi concessâ potestate, ad majora audenda paulatim ambitiosè impelluntur, ut tandem, nisi prospiciatur, præsenti fortunâ non cõtenti, nihil sibi habere videantur, nisi principatum ipsum, dominis clàm vel palàm sublatis, occupent. Quod notum exemplo Philippi Arabis, præfecti negotiorum Imperii, existente adhuc minore Gordiano III. scil. quo per seditionem oppresso sibi usurpavit Impe-

rium, teste Julio Capitolino in Gordiano: sic & majores domus in Gallia, in quas omnis regni administratio à Regibus erat translata, tandem ipsis Regibus à solio deturbatis, sibi Imperium retinuerunt, *usq; adeò nunquam satis fida est potentia, ubi nimia est*; teste Tacito lib. 2. hist.

Porrò etsi solitaria vita Principis arguit vel indignam Principis superbiam, vel regnandi incapacitatem; quòd per se non noverit respondere, aut negotiis subditorum providere; quod utrumque non rarò rebellandi dare solet occasionem subditis; tamen etiam *continuus aspectus*, teste Livio decadis quartæ lib. 5. *minùs verendos magnos homines ipsâ satietate facit*; & econtrà secundùm Tacitum Annalium lib. 1. *majestati major ex longinquo venerantia.* Unde apud Herodotum lib. 1. legimus apud Persas, citra adorationem nō facilè ad Regem patuisse aditus; utpote, qui sub majestatis specie semper ferè latuerit. Quod à Turcis in more positum, quorum Rex Oratores & Legatos non audit, sed Bassæ, tanquam interpretes atque intercessores, ad Regem referunt, more regum Persarum, *familiaritatis vitandæ gratiâ, quæ contemptum parit.* Et certè multum detrahitur Principis authoritati, si ille omnibus omni tempore sit obvius, præsertim cùm vilia negotia tractantur. Proinde ex dignitate Principis fore viri docti arbitrantur, si non nisi magnis gravibusque rebus & personis pateat,

teat,casq; singulari quapiam gravitate admitti atque audiri sinat. Deniq; authoritatem quoq; suam conservabit Princeps, legitimo modo pœnarum his irrogandarum, qui leges regias & salubres transgrediuntur, in quibus salubris adhibenda severitas; quandoquidem nimia clementia, & delictorum impunitas addit delinquendi illecebram; nimia autem asperitas proximus in tyrannicam crudelitatem est lapsus. Unde rectè Dio Cassius lib.43. *Potentia mediocriter exercita omnia quæsita conservat; qui verò imprudenter & passim in omnibus potentiâ abutitur, is neque veram benevolentiam, neq; firmam securitatem invenit.* Princeps igitur, (inquit Plut. in comparatione Thesei & Romuli) qui vel remittit, vel intendit suam potestatem, jam non Regis aut Principis dignitatem tuetur; sed vel populo servit, vel dominus fit; eoque aut contemptum sui, aut odium in subditos creat; quorum tamen delictorum alterum ab æquitatis studio & humanitate, alterum à sui amore fastuq; profectum, à multis judicatur. Prô colophone notatu dignissimum est strategema Rudolphi Habsburgensis, quo usus legitur in majestate Imperii tuendâ cōtra Ottocarum, regem Bohemię, apud Cuspinianum in Cæsaribus, Bodinū in lib.8.dec.2.& Fulgosum lib.6.c.4. Hic cùm contra Ottocarum, Bohemiæ regem rebellem, (qui Austriam à Margaritâ uxore, Friderici bellicosi, Austriæ

Ducis, suæ familiæ postremi, filiâ dotis nomine obtinuerat, quam repudiatã veneno sustulerat) bellum suscepisset; Moguntinus, Salisburgensis & Frisingensis, Antistites cum Palatino, concordiam inter duos Reges tractaturi, Ottocarum Viennam accersunt, cum eoque in hanc formam paciscuntur; ut relictis terris Austriæ, Styriæ & aliis, quas Rudolphus jam occupaverat, cis Danubium Ottocarus contentus esset possidere partem illam trans-Danubianam, versus Moraviam vergentem, quæ Marchiæ campus appellatus; feudum deinceps de regno Bohemiæ à rege Rudolpho acciperet; filios insuper Baronum, quos priùs obsides acceperat, liberos emitteret; literis denique ac juramento concordiam ratificaret. Consensit Ottocarus in omnia; unum rogavit sibi condonari, ne scil. in publico feudum accipere cogeretur. Erat enim superbissimus, & verebatur poplite flexo illum adorare, qui olim ipsi servierat, ut magister curiæ suæ. Annuit Rudolphus rex, ut sub tentorio, aut papilione id fieret. Erat enim id tentorium mirâ arte factum adeò ingeniosè, ut uno tractu in quatuor partes dissolveretur. Dum itaque flexis genibus accipit vexillum à Rege; quidam fune tracto dissolvit tentorium, ut ab omnibus palàm videretur, Regem de more adorare. Hoc Rudolphi Imperatoris strategema imitatus postea Casimirus, Poloniæ rex, in fidem recipiens Stephanum,

num, Walachiæ Despotam multorum Regum victorem; qui, quòd Machometi, Turcarum Imperatori, armis impar esset, Bessarabi amissâ, hac ratione regnum suum tueri posse, falsò sperabat, ut scribunt Curæus in Sil. annal. & Cromerus lib. 29.

FLOS XV.

Tyrannorum anima sanguinolenta, vita misera, ævum breve, exitus tragicus.

M*Agna est omnino virtus in Principe, clementia, quæ*, ut Seneca scribit ep. 89. *alieno sanguini, tanquam suo, parcit*; & scit, homini non esse homine prodigè utendum. *Neque Principis fortuna quicquam habet majus, quàm ut possit; neq; natura melius, quàm ut velit conservare homines quamplurimos*; ut pro Q. Lig. ait Cic. Unde rectè alter Seneca in Hercule canit:

Sanguine humano abstine,
Quicunq; regnas; quisquis est placidè potens,
Dominusq; vitæ, servat innocuas manus;
Et incruentum mitis Imperium regit;
Animoq; parcit: longa permensus diu
Felicis ævi spatia.

Econtrà nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ ad-

jungere, ut ad Q. fratrem scribit Marcus Cicer
Maximè verò hominum naturę inimica est cru-
delitas; *imò crudelitas*, authore Senecâ libr.1.d
clementiâ c.24. *minimè humanum malum est, in-
dignum tam miti animo*; ferina ista rabies est, san-
guine gaudere ac vulneribus, & abjecto homin
in sylvestre animal transire. Tyranni nimirum
quorum anima, ut Plut. loquitur, conflata est e
libidine & crudelitate, semel gustatâ carne hu-
manâ, fiunt lupi. Nec ullus, ipsorum semel or
receptus, pollutas patitur sanguis mansuescer
fauces, ut Lucanus canit. Unde non incommod
horum atrocitas à Polybio lib.15. histor. vitæ pi
scium assimilatur, de quibus fertur, quòd, cùm e
jusdem sint generis, *nihilominus tamen minorum
perditio, majorum sit cibus & vita*. Imò ejus
modi efferi & truculenti tyranni, dum exutâ o
mni στοργῇ, filios quoq; suos & agnatos immar
sęvitiâ trucidant, belluarum ferociam excedunt
quæ, licet exasperatę, nunquam in fœtus suos ra
biem effundere solent. Exemplo sunt (ut hin
ordiamur) XXX. Atheniensium tyranni; à sontib
paulatim ad insontes, à malis ad bonos & præci
puos cives in urbe Attica progressi, consuetudi
ne cædium, & assiduâ laniena, ut Xenoph. libr.
affirmare non vereatur, intra menses 8. Atheni
plures esse interfectos cives, quàm superiori tot
decennio in bello Peloponnesiaco, à renovat
nempe bello, usq; ad finem. Horum fuisse tant
tradi

traditur truculentia, ut quorundam interfectorum civium filias in cruore parentum saltare compulerint. Cambyses, rex Persarum, cùm per iracundiæ furorem, magnam Ægyptiorum multitudinem, in urbe Memphi festum Apis deæ celebrantium interfecisset, cœpit postea promiscuè in quosvis sęvire; nec minùs in suos debacchat⁹, fratrem Smerdin sive è somnio, sive è Magi cujusdam criminatione, insidiarum & affectati regni suspectum habitum, per Prexaspen sustulit; & Meroën sororem atq; uxorem, fratris cædem ipsi in Ægypto exprobrantem, parricidio crudeli interemit, ut author est Herodotus lib. 3.

Cajus Caligula, teste Sueton. sibi omnia & in omnes licere ratus, cùm cędibus satiari non posset, optavit, *ut populus Romanus unâ cervice sustentaretur, quæ suâ manu detruncanda foret*; proculdubio à Tiberio avo suo successor in Imperio destinatus, eo consilio, ut reliqua senatus pars, in quam ipse sævire non potuisset, post mortem suam è medio tolleretur. Tantus a. sub Tiberio senatorum numerus periit, ut sorte ducti provinciarum præfecti prætorii, quidam per triennium, consulares per sexennium præfuerint, cùm nõ suppeterent successores. De hujus, ut & aliorum nonnullorum monstrorum, tyrannide in consanguineos, suprà quoque dictum in flore quinto hujus Coronæ.

Nero per omnia vitia & scelera Caligulæ æ-

mulus, majorem senatus partem, Agrippinam matrem, uxorem Octaviam, privignum Ruffinum Crispinum, pręceptorem Senecam occidit; nec minori sævitiâ foris & in exteros est grassatus.

Commodus, Caligulæ & Neroni si non anteferendus, tamen æquiparandus, sæviit & ipse in senatum, & matrem Faustinam, quã in exilium pepulit; germanam Lucillam, aliosque clarissimos viros occidit. Cúmque ita ad nefandas cædes animum appulisset, omnes sine clementiâ miseros & mutilatos viros in theatrum coactos, serpentinis quibusdam spectris ad genua alligatis, tanquam Gigantes clavâ confecit; teste Herodiano lib. 1.

Caracalla Bassianus, cùm fratrem Getam Imperii consortem ferre non posset (*anno C. 213.*) in ejus cubiculum irrumpens, supra matris pectus eum obtruncavit; mox omnes ipsius domesticos & ministros, nullâ ætatis ratione habitâ, occidit, & ex militibus ad viginti millia, ut & Papinianum, præfectum prætorio, hoc fratricidium excusare nolentem, Parthos item (*anno C. 215.*) sub falsâ nuptiarum specie, cum filiâ Artabani, insidiosè & perfidè trucidavit, ut idem author est Herodianus lib. 4.

Fuit Lucinius Gallienus tantæ crudelitatis in milites, ut terna millia & quaterna singulis diebus, cũ in eos excanduit, occidi curaverit; sæviit

& in

& in cives Mœsiacos atrocissimè; nec quenquam suæ crudelitatis expertem esse voluit. Ejus animus maximè crudelis, ex epistolâ, quam ad Celerem Verianum scripsit, dignoscitur; quem ad cædem faciendam his verbis cohortatur apud Trebellium Pollionem. Non mihi satisfacies, si tantùm armatos occideris, quos & sors belli interimere potuisset; perimendus omnis sexus virilis; occidendus quicunque malè voluit; occidendus quicunque malè dixit; lacera, occide, concide, meâ mente irascere, qui hæc meâ manu scripsi.

Justinianus secundus, Imperator, Constantinopoli receptâ, capto Leontio, quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abstergeret, toties aliquem ex iis, qui Leontio faverant, trucidari jussit; ipsum quoque Leontium & Absimarum, qui Imperium invaserant, pedibus conculcatos, acclamante populo, *super aspidem & basiliscum ambulabis, & leonem atq; draconem conculcabis*, jugulari fecit, teste Diacono lib. 19. & 20. rerum humanarum.

Johannes Maria, Vicecomes Mediolanensium, insanæ feritatis morbum concepit, usque adeò horrendum, ut iracundiâ in rabiem versâ, damnatos, aut sibi invisos, voracissimis canibus laniandos objiceret, eoque atroci spectaculo magnopere lætaretur; teste Jovio in ejus vita.

De Cæsare Borgiâ, Alexandri sexti, Papæ, filio,

qui sanguinario ingenio, & immani sævitiâ omnes sui temporis tyrannos vel truculentissimos superavit; lege Joviū in Consalvo, & Guicciardinum lib. 5. Hæc & similia monstrorum potiùs, quàm Principum exempla testantur, quanto furore atq; amentiâ ipsi corripiantur; qui lenitate, hominis naturę maximè conveniente, repudiatâ, belluinam ferociam atq; immanitatem ad laudem assequendam, & securitatem conducere arbitrantur; seq̃ue metui, quàm amari malunt; nec quicquam curant, nisi quod impotens suggerit libido. Unde in exitium miserum præcipites cadunt; aut omnibus exosi in perpetuo metu vivere coguntur. Ælianus libr. 10. variat. hist. c. 5. suibus eos comparat; quas si quis tetigerit, protinus clamare incipiunt, mortem scil. somniantes, cùm nec vellera habeant, nec lac, nec aliud quiddam præter carnes: sic & tyranni in suspicionibus & metu semper versantur, cùm sciant, sicut sues, suam vitam omnibus deberi. Nimirum hæc est vita tyrannorum, in qua, ut in Lælio docet Marcus Cicero, nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia; omnia semper suspecta atque sollicita, nullus locus est amicitiæ. Quis n. aut eum diligat, quem metuit; aut eum, à quo se metui putet? *Ego*, inquit Salustius ad Cæsarem, *cuncta Imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna arbitror*; neq; quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum

eum ex multis formido recidat; eam vitam, bellum æternum & anceps gerere; quoniam neque adversus, neque à tergo, aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites. Quid? quòd quamdiu vivunt tyranni, impurum horum animum, Deo hominibusq; infestum, Furiæ diræq; ultrices ita excarnificant, ut neque vigiliis, neq; quietibus sedari possint. Estque memorabile, quod de Tiberio Cęsare Tacitus narrat lib. 5. annal. Tiberius, cùm ad summum tyrannidis fastigium pervenisset, atque in insulam Capreas sese abdidisset, literas aliquando ad senatum scripsit; quibus sævitiæ & scelerum conscientiâ mentem exagitatam vastari, quasi semet ipse pertæsus, testaretur; adeò facinora atque flagitia sua (subdit Tacitus) ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ (Platonem intelligit) affirmare solitus est; si recludatur tyrannorū mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur. Quid? quo cruciatu timoris angi solitum Neronem censemus, qui perfectâ matris cæde sæpè confessus est, se maternâ specie exagitari, verberibusque Furiarum ac tædis ardentibus? Quàm jucundam quoque vitam egisse Caligulam & Caracallam putamus, qui

arcas variorum venenorum plenas secum circumferebant; tum ut alios, tū ut seipsos veneno tollerēt, si fortè esset opus, ne in manus inimicorum vivi inciderent! Quid Heliogabalum? qui funes serico & cocco intortos paraverat, quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret; paraverat & gladios aureos, quibus se perimeret, si aliqua vis urgeret. Dionysium, Siciliæ tyrannum, quo animo vixisse arbitramur, qui nec familiarium, nec filiarum, nec uxorum, nec cujuspiam fidei se credebat; de quo, ut & de Alexandro Pheræo, vide Cic. Offic. 2. & Tusc. 5. Neque enim tyranni fidem cuiquam habent, neque à quoquam ipsis habetur fides; nec diligunt, nec diliguntur. Quomodo enim fieri posse credendum est, ut qui ab his, quos & natura & lex inprimis amare jubet, usque adeò habentur odio; ab alio quoquam amari, aut diligi possint? inquit Xenoph. in Hierone. Quis verò non potiùs eos etiam post mortem execretur? Tiberii certè Cæsaris morte Romæ nunciatâ, non minori gaudio perfusi sunt omnes, quàm si de infensissimis hostib. insignem victoriam reportassent. Neronem item propter crudeles & obscænos mores populo fuisse exosum; seditiones in eum obortæ, & lætitiâ publicâ, quę, eo extincto, omnium animos occupavit, maximè declaravit. Tam invisus populo Domitianus fuit, ut post ejus mortem, omnes statuę in ejus honorem erectæ, subito populi concursu

dejectæ

dejectæ & confractæ fuerint, & arcus in illius titulum & nomen positi, eversi. Cōmodus tanto in odio & execratione apud omnes fuit, ut fato functus, *hostis humani generis* à senatu populoq; judicatus sit, statuis ipsius contumeliosè revulsis, Heliogabalo unà cum matre Juliâ Soæmide, muliere flagitiosissimâ, Romæ tumultu militari obtruncatâ, capita utriusq; abscissa, & cadavera denudata per totam urbem raptata ac dilaniata; matris tandem in cloacam, filii in Tiberim, annexo pondere, ne fluitaret, præcipitata sunt. Justinianus secundus, Imperator Constantinopolitanus, cùm flagitiosior plures indies cædes exerceret, à Philippico tandem Bardane, exercitus sui præfecto, securi percussus, hanc laudem sibi reliquit, ut *hæreticus, adulter & tyrannus* ab omnibus proclamaretur. *Quid ergo homini infelicius contingere potest, quàm in vita malè semper audire, & post mortem ejus nomen execrationi perpetuò esse?* Sed & hoc pulcherrimè à diis immortalibus comparatum est, (inquit Ælianus lib. 6. var. hist. c. 13.) *ut nullam tyrannidem usq; ad tertiam generationem propagent*; sed aut confestim tyrannos, tanquam proceras piceas, perdant & extirpent; aut liberos eorum viribus denudent ac spolient. Quod omnium tyrannorum doceri potest exemplis, qui vel ipsi in regni limine è terrâ sunt excussi; (*rarum enim est*, ut in Hercule OEteo ait Seneca, *felix itemq; senex tyrannus*)

vel tertium hæredem non reliquerunt; *nullam siquidem scelere quæsitam potentiam diuturnam esse*, secundùm Curtium lib.4. probavimus suprà in coronæ primæ flore secundo; exemplis Dydii Juliani, Decii Heracleonæ, & Richardi Glocestriensis, regis Galliæ; *& tyrannos ipsos non rarò sui necandi occasionem conquirere*, docet Bodinus lib.2. de Repub. c 4. exemplis Caracallę & Commodi; quorum ille Julium Maternum Mathematicum cùm rogasset, quemnam in Imperio sibi successurum putaret? vates verò iste, Macrinum fore, per literas responderet; hæ literæ in Macrini manus inciderunt, qui sibi metuens, Caracallam ex insidiis occidit: Commodus verò, ubi sicarii manus evasit, omnes eos, quos ad cædem consignarat, tabulis conscripsit; quas cùm Martia concubina casu reperisset, seque eo numero comprehensam intelligeret, tyrannum occidi curavit. *Nam & hoc regulare est, ut tyranni, qui ab immani crudelitate omnem humanitatem exuerunt, cruentum utplurimùm & tragicum sortiantur exitum.* Sic justo Dei fit judicio, *ut qui fuderit sanguinē, fundatur & ipsius sanguis*, Gen.9. Utplurimùm itaq; accidit, ut quāvis immitia tyrannorū Imperia palàm non detrectent subditi, tacitè tamē illis diras imprecētur, fidemq; & obsequium inviti pręstent. Quòd si indies illi magis magísve sævierint; tunc, rūpente invidiâ, q̄ diu in offensis pectorib. ebullierat, unanimi cōsensu in illorum

illorũ vitã conſpirant omnes; nec deſinũt, donec funditus eos everterint. Exemplo ſunt Caligula, Cõmodus, Heliogabalus, & alia nõnulla mõſtra Cęſarũ Italicorum: itẽ Phocas & Andronic⁹ Comnen⁹, Imperatores Conſtantinopolitani; quorũ ille à conjuratis (*a.C.611.*) membris omnib. mutilatus, truncumq; corpus in æneo tandẽ tauro cõbuſtum eſt; de hujus verò ſupplicio vide ſuprà in Coronę hujus flore quarto: Et ne ſingulos recenſeamus, Johannes Maria, Vicecomes Mediolanenſis, ob immanem in cives ſęvitiã, & crudele in omnes imperiũ, à civiũ generosâ cohorte, in ipſa curia, cùm in templum divi Gothardi, ſacrorum causâ proficiſceretur, trucidatus, teſte Jovio in ejus vita. Perſæpè quoq; Deus, impietatis juſtiſſimus cultor, ob truculẽtos mores, divineq; juſtitię contemptũ, tyrannos atrocib. ſuppliciis ſubjicit; & vel maximè ſecuros, ad infelicẽ exitũ ſtupentib. cunctis, & vim divinã agnoſcẽtibus adducit.

Exemplo eſt Abſalon ꝓpter tyrannidem, inceſtum, & alia ſcelera, bello parricidiali in patrem moto, juſto Dei judicio (*an.M.2920.*) in arborẽ pendens, tribus lanceis confoſſus; 2.Reg.18.

Exemplo item ſunt Achabi & Jezabelis tragicus interitus, ob injuſtè lapidatum Nabothum, quorum ille in bello Syriaco (*an.M 3047.*) cum Benhadado, ſagittâ ictus, oppetiit. Cujus ſanguinem eodem in loco, quo antea interfectus Nabothus, canes linxerunt, 3.Reg.22. Hæc de fe-

nestrâ præcipitata periit, & equorum ungulis conculcata, & à canibus laniata fuit, 4.Reg.9. *(a.M.3059.)* Sic & Brunechildis, uxor Sigeberti, Francorum regis, uno pede & brachio mutilata, ad caudam equæ indomitæ religata, ex Lotharii regis & procerum sententiâ, ob inaudita scelera, & decem Reges extinctos, discerpta est; teste Reginone lib.1. Gaquino lib.2. & Aventino lib.3.

Boleslaus secundus, Poloniæ rex, ob cædem sancti Stanislai, Cracoviensis Episcopi, regno à Romano Pontifice exutus, actusque in exilium *(a.C.1082.)* in tantam amentiam incidit, ut vagus per sylvas errans, à suis tandem canibus dilaniatus esse tradatur, ut author est Dubravius lib.8.

De Juliani apostatæ, Mariæ Scotiæ reginæ, & aliorum interitu, ut & illorum tyrannorum tragico exitu, quos φθειριάσει, aliisque horrendis morbis, Deus ad pœnas rapuit, dictum suprà in Coronæ hujus secundæ flore secundo & quarto.

Non raro denique idem DEUS contemptissimis bestiolis, muribus, ad puniendos tyrannos, velut instrumentis, usus est; de quo lege Camerarium tom.1. operarum succisivarum cap.12. allegantem exempla Popeli secundi *(a. Christi 830.)* Principis Polonorum, Haddonis Moguntinorum, & Wilderolfi Argentoratensium Episcoporum; quæ, ut & cæterorum tyrannorum, Principes admonere debent, ut affectuum impotentiam comprimant, omnibusque

modis efficiant, *ut ſubditi metuant non ipſos, ſed pro ipſis*; ſatiusque & jucundius eſſe ducant, diligi & charum eſſe, quàm metui & timeri; quod & tutiorem vitam & voluptatem efficit pleniorem.



FLORUM

HORTULI HISTO-RICO-POLITICI

Corona tertia.

De Regum & Principum Conſiliariis & Legatis, cæterisq; adminiſtris & magiſtratibus inferioribus.

FLOS I.

Optimorum amicorum optima conſilia.

REctè Tacitus hiſtoriarum libr. 4. *nullum majus boni Imperii inſtrumentum eſſe dixit, quàm bonos amicos*; hoc eſt, fidos & ſapientes Principis conſiliarios. Minimè enim aureum ſceptrum illud eſt, quod regnum cuſtodit; ſed copia potiùs ejusmodi amicorum, qui rerum hominumque periti, conſilia ex fide & religione ſuggerunt ſalutaria, tam pace, quàm bello, longè

tutissimum est sceptrum Regib. ac Principibus, teste Cyro Xenophonteo lib.4. παιδείας. Verum enim est, quod ad Cęsarē scripsit Salustius; *omnia regna, civitates, nationes, usq; eò prosperū habuisse imperium, dum apud eos vera consilia valuerunt; ubicunq; verò gratia, timor, voluptas ea corrupere; paulò post imminutas opes, deinde ademptum Imperium, postremò servitutē fuisse impositam.* Bene ergo agunt Reges & Principes; ut, cùm ipsi non omnia videant, sibi assumant alios fidos & sapientes homines, qui bonis & salutaribus instructi consiliis, cōmoda juvent publica. Quam sane ad provinciam magnâ curâ & providētiâ deligendi sunt, qui honesto loco & bono genere nati; qui à primis statim annis bene instituti; qui verâ veri Dei religione & doctrinâ; qui Juris & historiarum, omniqùe adeò civili prudentiâ; qui omnibus artibus studiorum liberalium exculti; qui fide, integritate ac prudentiâ singulari præditi; qui denique omnibus virtutibus, ac præterea authoritate præclarâ divinitus sunt ornati; ut non tam monitis & consiliis, quàm exemplis bonis atq; salutaribus, Principum & Regū animos rectè utiliterq; instruant atq; informent; & ad omnem bene vivendi rationem faciliùs eos traducant: Sit igitur bonus consiliarius, nō solùm prudens, qui non pręsentia solùm, verùm etiā futura ꝓspiciat; sed & justitiæ cultor eximius, cuj⁹ dicta sint gravia, virtuti & veritati consonent; qui Principem

cipem suum & Remp. sincero amore, ac pietate debitâ ꝓsequatur; iisq; vitam, honorem & fortunas suas impendere sit paratus. Hujusmodi fidissimũ consiliariũ habuit Lescus Albus, Polonię Princeps; Gonoritiũ Ravitũ, Palatinũ Sandomiriensem, teste Cromero l. 7. Qui, cùm Poloni ipsi regnũ eâ offerrent conditione, si Gonoritiũ relegaret; regnũ repudiare, quàm hunc deserere maluit. Et meritò. Sunt namq; fidi consiliarii, veluti canes, qui ovib. adversùs lupos sunt p̃sidio; quib. submotis, vagantur in incerto Principes, multorumq; fallaciis & deceptionib. exponuntur. Hujusmodi a. amorem ut non fucatè habeat consiliarius; debet in limine consilii, odiũ in adversarios, gratiam erga amicos, pervicaciã & arrogantiam ex seipso exuere; & privatos affectus omnes deponere; avaritiam omnium vitiorũ matrem, omnisque mali radicem fugere; & ea solùm intueri, quæ ad Dei cultum, & Reip. spectant commodum. Quod & Salusti⁹ de conjur. Catil. prudenter monens; *Omnes*, ait, *homines, q̃ de reb. dubiis cõsultant, ab odio, amicitiâ, irâ atq; misericordiâ, vacuos esse decet. Etenim haud facilè animus verum prævidet, ubi illa officiunt, neq; quisquam omnino libidini simul, & usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet; si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.* Et paulò antè: *Avaritia fidem, probitatem, cæterasq; artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos*

negligere, omnia venalia habere edocuit. Documento est bellum illud intestinum, inter fratres germanos, Fridericum II. Electorem & Wilhelmum, Ducem Saxoniæ *(a.C.1445.)* ob provinciarum divisionem, ab utriusq; motum consiliariis, vel cupiditate propriâ, vel mutuo inter se odio, vel quòd ex publicâ calamitate suum illi quærebant emolumentum; vel denique, quòd suo quisque Principi, præter æquum & bonum, gratificari cupiebat; cui tandem, cùm jam adversæ starent acies in Vogtlandia, Deus ipse unico fratrum colloquio finem salutarem imposuit *(a.C.1450.)* Probè hoc intellexit Fridericus Cæsar, qui consiliariis suis in curiam vocatis, optavit, *ut in palatii vestibulo duas res deponerent, simulationem nimirum, & dissimulationem*; quò & ipsi rectè consulerent, & sibi etiam inter consilia dijudicare, facillimum esset; teste Æneâ Sylvio lib.3. comment. de rebus gestis Alphonsi. Et quanta raritas sit talium tantorumque amicorum, qui ex sincero erga Principem & Rempubl: amore, illis bene consulant, idem Alphonsus, rex Aragoniæ, apud Panormitam lib.2. pulchrè innuit *(anno C.1416.)* Cathalanis nimirum optimum factu fore censentibus, si Alphonso adhuc adolescentulo, septem viri ad gubernandas Resp. adjungerentur, *qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditatem sub freno tenerent, neq; donis, neq; muneribus tangerentur,* (Exod.18.) Alphonsum

ſum laudaſſe conſilium, atque ita reſpondiſſe ferunt: *Si horum, non dico ſeptem, ſed unum tantùm dederitis, continuò illi & regimen & regnum ipſe facilè conceſſero.* Optimus igitur conſiliarius ille eſt, inquit Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 10. qui non privatis inimicitiis impulſus, aut gratiâ adductus; ſed publicâ utilitate commotus, ſuam dicit ſententiam, quique, juxta Taciti illud lib. 1. hiſtor. *peſſimum veri affectus & conſilii judicatur venenum, ſuam cujuſq; utilitatem.*

Porrò Plinius in Panegyrico ad Trajanum, in Principis conſiliario requirit libertatem, fidem & veritatem; ut nimirum liberè, fideliter, conſtanter, non obnoxiè & inconſtanter ſuam dicat ſententiam; nec aliud ore proferat, quàm quod in corde reconditum habet. Nec ſecundùm Tacitum annal. libr. 1. *cum fortunâ magis Principis, quàm cum ipſo Principe loquatur, nec quæ jucundiſſima, ſed quæ ſunt optima, conſulat*; quod Solonem dixiſſe refert Stobæus, inque dictis & factis æquè apertus ſit; & licet veritas odium pariat, maximè apud Principem, ſibi qui nimiùm placet, in veritate tamen ipſi neutiquam cedat; illud tantùm caveat, *ne παῤῥησίαν iſtam, & loquendi libertatem, cū audaciâ & immodeſtiâ confundat.*

Exemplo ſit Antiſtius Labeo, apud Suetoniū in Auguſto cap. 54. qui, cùm in ſenatus lectione triumvirum legeret M. Lepidum, hoſtem olim Auguſti, & tunc exulantem, interrogatus ab hoc, an eſſent alii digniores? *ſuum quemq; judicium*

habere, respondit. Eidem aliquando, ob immodicas altercationes disceptantium, è curiâ per iram se proripienti, quidam ingesserunt; *licere oportere senatorib. de Repub. loqui: nec ideo libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit*; & notum est illud Prisci Helvidii apud Arrianum, in Epicteti disceptationibus, lib. 1. c. 2. Ad quem cùm Vespasianus misisset, ne in senatum veniret; Penes te, inquit, est, ne me senatorem esse patiaris; quamdiu enim loco me non moves, est in curiam mihi veniendum. Age; at ingressus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandũ. Et mihi dicendum, quod rectum putavero. Verùm si dixeris, Occidã te. Quando ego tibi dixi, me immortalem esse; tu tuum facies, ego meum: tuum est occidere, meum mori non trementem. Tenentur nimirũ assessores consulere potiùs, quod magis expedire, quàm quod placere putant: Princeps a æquo ferre debet animo consiliariorum παῤῥησίαν, si quæ justa ipsis videantur, ipsi liberè & candidè sine dolo & malitiâ protulerint.

Sic nimirũ Philippiden Atheniensem Comicum summâ benevolentiâ cõplexus est Lysimachus rex, nullâ aliâ de causâ, nisi quòd liberè loqueretur, & ex animi sententiâ, proculq; ab adulatione vitam probam & modestam ageret; teste Plutarcho in Demetrio.

Hieronem quoq; Codeonis in tyrannide successorem dicere solitum, idẽ Plut. in apoph. memorat;

morat; *neminem, qui liberè loqueretur, ſibi importunum eſſe.* Et Plinius Trajanum ſuum laudat, quòd, eo rogante, ſententias liberè dicere liceret; *vinceretq́ue ſententia non prima, ſed melior.*

Prudens itaque & pia fuit admonitio Ludovici ſancti, Galliæ regis, ad filium in regno ſucceſſorem; quæ inter alias à Tilio lib. 2. de rebus Gall. his verbis recenſetur: Ita te gerito, ut confeſſarii, neceſſariique & familiares tui, poſſint te liberè admonere mali quod feceris, & docere facta tua.

Sed quam plerunque reportarint gratiam ejusmodi cordati viri, in ſententia dicenda, & reprehendendo liberi, nulla non teſtatur hiſtoria. Harpagus Medus, cùm liberior in Aſtyage, rege ſuo, admonendo fuiſſet; eâ libertate Rex offenſus, filium ipſi ſuum epulandum appoſuit, teſte Herodoto lib. 1.

Cambyſes, Perſarum rex, cùm à Prexaſpe Satrapa ſibi chariſſimo audiviſſet, Perſas de ipſo propter temulentiam malè loqui; liberâ hac & fideli admonitione ita excanduit, ut hujus filium, ſuum pocillatorem, in medium produci juſſerit; & arcum intendens, ſagittâ cor ejus transfixerit. Cõverſus inde ad Prexaſpen, Abi, inquit, & refer Perſis, vel temulentum regem munere ſuo probè functum, filiique tui cor medium non fruſtrato ictu transfixiſſe. Idem, cùm ꝓpter crudelitatem à Crœſo, Rege captivo, reprehenderetur, & quòd patris veſtigiis non inſiſteret; arcu correpto

eum confixiſſet, niſi fugâ ſibi conſuluiſſet; eodem authore Herodoto lib. 3. Philippus, Antipatri filius, Macedonum rex, Aratũ Sicyonium, (quem Antigonus propter merita, & propter rerum geſtarum gloriam ſummis affecerat honoribus) eò quòd liberè iracundiam & crudelitatem ſuam reprehenderet & coërceret; nihil tale timentem veneno dato necavit, ut author eſt Pauſanias in Corinthiacis.

Cùm Alexander Magnus Perſico more vellet adorari, & Calliſthenes ei familiariſſimus palàm dictitaret, adorandum non eſſe; Alexander eum velut conjurationis conſcium criminatus, truncatis membris, abſciſſisq; naribus, labris & naſo deformatum, poſt varia tormentorum genera, de medio ſuſtulit; teſte Senecâ lib. 6. nat. quæſt. & Plut. in ejus vita.

Eadem libertas monendi ex nimio amore patriæ, Boëtium perdidit, qui diu maceratus in carcere, Ticini tandem à Theodorico, rege Italiæ, interfectus eſt *(a. C. 1526.)* Sic & Thomas Morus, regni Angliæ cancellarius, cùm regis Henrici octavi matrimonium, qui repudiatæ Catharinæ alteram ſuperinduxerat, approbare nollet; nec acquieſceret conſtitutioni editæ, in qua Rex poſt Chriſtum, ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ caput dicebatur; in carcere Londini per quindecim menſes maceratus, cùm palinodiam canere nollet, morti adjudicatus, ſecuri percuſſus eſt

(anni

(*anno Christi 1535. 2. Julii.*) de quo lege Erasm. lib. 17. ep. 8. 9. 10. 26. Quid ergo mirum, quòd ab aulis plerunque exulet monendi libertas, nec veritati aditus sit, & accessio in domos regum & Principum; dum ea quę volunt, libenter audiunt, sibi adulari sinunt, & falli æquo animo patiũtur? quo fit, ut assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini possit, nisi ei, qui eam recipit, aut qui eâ delectatur. *Semper enim fortunæ magnæ, comes est adulatio*, authore Paterculo lib. 2. Unde fit, ut ea quoque perpetuum sit malum Regum, *quorum opes sæpiùs assentatio evertit, quàm hostis*, ut notat Curtius libr. 8. Quomodo & Demosthenes in Philippicâ oratione tertiâ, omnem Reipublicæ calamitatem assentationi refert acceptam. Alexander Magnus, dum aures adulatoribus, Paguæ nimirum, Agidi Argivo, Anaxarcho Medo, & cæteris ejusmodi quisquiliis, omni supplicio dignissimis, præbet, seq; supplantari sinit; non modò Parmenionem, Philotam, & Callisthenem, viros probos & germanos amicos sustulit; sed etiam sese stolis ornari ac adorari jussit. Qui si Callisthenem audivisset, neque tantâ viri libertate offensus esset, existimationi & rebus suis meliùs consuluisset.

Dionysius junior, Syracusanorum tyrannus, si Dioni & Platoni rectè monentibus obtemperasset, nunquam Philistus, & alii adulatores, eum ad id miseriarum redegissent, ut cogeretur Corinthi

ludum aperire(*a.M.3629.*) & quidem tantâ solitudine, ut Diogenes jocatus sit, eum cum Musis & Apolline, duodecim habere discipulos. Si Hieron, Siciliæ tyrannus, non occlusisset aditum ad se, tutoribus suis vera monentibus; neque se Arthenodoro totum tradidisset, dictitanti juvenem jam esse Hieronem & potentem; contemptu omnium mortalium, insolentibus auribus, injuriosis dictis, inauditis libidinibus, immani crudelitate animos civium suorum non avertisset; quorum tandem conspiratione, multis vulneribus est confossus (*a.M.3758.*)

Si Senecæ libertatem Nero aversatus non esset, in tanta & tam nefaria vitia prolapsus nunquam fuisset. At jucundiores erant ipsi impuri, qui virum optimum & Imperatoris amantem criminantes, dicebant, *finitam jam esse Neronis pueritiam, & robur juventæ adesse; exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus majoribus suis*; ut Tacitus loquitur annal.14. Ecquid verò magis præcipitem egit Vitelliū, quàm adulatio, cùm ita, ut idem ait Tacitus historiar.lib.3. formatas haberet aures, *ut asperrimè, quæ utilia essent, contrà jucundissimè, quæ læsura forent, acciperet?*

Marcus Crassus ab adulatore Andromacho, quî cùm omnia communicare consueverat, hostibus miserrimè proditus, fœdissimè vitam finiit (*a.M.3917.*) cujus in demortui os, auro fuso, his

Parthi

Parthi verbis ipsi insultasse leguntur; *Bibe fortiter, bibe aurũ, quod sitisti.* Usq; adeò perniciosissimus omniũ est adulator, Regibus qui assidet; utpote quos corrumpendo, universum penè regnum perdit. Hinc non absurdè Aristonymus adulatores igni; Phavorinus, Actæonis canibus comparat: ille enim, quæ se nutriunt, ligna exest; hi verò dominum suum laceraverunt. Hinc & Theodoricus, Marchio Brandeburgicus, cujus historiam in flore 13. Coronæ secundę attulimus; inter alia conquestus est de consiliariis, quos habuerat adjutores & ministros injustarum actionum; & quorum assentatio ei tantos attulerat spiritus, ut non dubitaret concitare offensiones, unde deterrimum bellum nasceretur: incusavit deniq; & seipsum, qui rectè monentes aversatus, & ad voluntatem suam loquentes, plurimũ apud se valere passus esset. Ita fit, ut Principes, apud quos improbi cõsiliarii meliori sunt conditione, & in majori gratiâ, quàm boni, non nisi tristissimo casu, & stultorũ illo magistro eventu edocti, errata sua agnoscant. Tandem, *quia secretum est anima consiliorum*; ideo in consiliario Principis, silentii quoque fides, & taciturnitas desideratur, optimum illud atque tutissimum rerum administrandarum vinculum, quæ omnia consilia, cùm pacis, tum belli, tuta factuque facilia reddit; quæ si retegerentur, magnas habitura forent difficultates; scil. quemadmodum pulveris pyrii vi &

impetu, si occultus ille, res magnæ patrantu ipsis autem authoribus exitio est, si hosti innote scat; ita Principum consilia, si silentio clausa sin magnũ & efficacem in gerẽdis reb. usum haben palàm facta, omnẽ ilicò usum vigoréq; amittun Consiliarii igitur Principis, *quia sunt pars corpo ris ejus*, ut Arcadius & Honorius Imperatore loquuntur, *l. quisq. Cod. ad leg.* Jul. *majest.* ide non nisi cum voce Principis, voluntatem & men tem ejus exponere tenentur. Quòd si, qui amic consilium de re privatâ aperit, omnium odi meritò dignus habetur. (*etenim, qui commissun sibi instar depositi sermonem divulgat, aut in justus est, aut admodum incontinens; injustus qui dem, si lucri causâ id faciat; sin absq; lucro, incon tinens:* quod Anaxandridam dixisse memora Stobæus sermone 39.) quonam odio illum di cemus dignum, qui Principis sui consilium d Reip. salute, de propriâ dignitate, de publico offi cio, contra tam sanctè datam fidem, magno ma gistratuum contemptu & damno, evulgat? Alex ander Magnus, cùm arcanas quasdam literas quibus crimina & delationes contra Antipatrun continebantur, legendas tradidisset Hephestio ni, detractum annulum ori ipsius admovit, test Plutarcho in apoph. & orat. prima de Alexandr fortunâ. Idem sibi quisque hoc factum putet simul ac in consilium electus est; os sibi à Prin cipe clausum signatumque credat; *ut silentii ab e nume*

numen colatur; id quod apud Persas ita fieri solitum fuisse scribit Ammianus Marcellinus lib. 21. Cui & Quintus Curtius suffragatur lib. 4 Persæ, inquit, arcana Regum mirâ celant fide; non metus, non spes elicit vocem, quâ prodantur occulta; vetus disciplina Regum, silentium vitæ periculo sanxerat; lingua graviùs castigatur, quàm ullum probrum; nec magnā rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. Ea siquidem & geminas aures, & unicam linguam homini accommodavit; *quasi eum plura deceat audire, quàm loqui.* Et præterea linguam labiis atque dentibus quasi vallavit & conclusit; ne verba, *quæ missa reverti nesciunt*, ore prolaberentur.

De Romanis elegantissimè Valer. Max. lib. 2. c. 2: *Adeò magnâ charitate patriæ*, inquit, *omnes tenebantur, ut arcana consilia patrum conscriptorum multis seculis nemo senatorum enunciaverit.* Quintus Fabius Maximus tantummodò, & is ipse per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in curia erat actum, Publio Crasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit; memor, eum triennio antè quæstorem factum, ignarusque adhuc, à Censoribus in ordinem senatorium allectum; quo uno modo his, qui jam honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Sed quamvis honestus error Fabii esset, vehementer tamen à consulibus objur-

M

gatus est; *nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum rerum administrandarum vinculum, labefactari volebant.* Ergo cùm Asiæ rex Eumenes, amantissimus nostræ urbis, bellum à Perse adversus populum Romanum comparari, senatui nunciasset; non antè sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut patres respondissent; quàm captum Persen cognitum est. *Fidum erat & altum Reip. pectus, curia, silentiiq; salubritate munitum & vallatum undiq;*; cujus limen intrantes, abjectâ privatâ charitate, publicam induebant. Itaq; non dicam unum, sed neminem audiisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum. Elogium hoc insigne Catoni quoque tribuit Plutarchus in ejus vita; *eum nullum unquam verbum emisisse, quod emissum doleret.* Pompeji etiã probabilis virtus, (inquit Valer. Max. lib. 3. c. 3.) qui, cùm legationis officio fungeretur (*anno M. 3804.*) à Gentio, Illyriorum rege, interceptus, cùm senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit; eâque patientiâ Regi simul & spem tormentis quicquam è se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit.

Habebant Galli olim legibus sancitum in civitatibus & Rebuspub. ut Cæsar scribit libr. 6. de bello Gallico; *ut, si quid quis de Republ. à finitimis etiam rumore aut famâ accepisset, ad magistratum deferret,*

deferret, néve cum quo alio communicaret. Quia ſæpè homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere, cognitum eſt; Magiſtratus verò, quæ viſa erant, occultabant; quæq; ex uſu judicaſſent, multitudini ꝓdebant; nec de Rep. niſi per conſilium, loqui permittebatur. Apud Caſſiodorum quoque libr. 6. var. ep. c. 6. in formula notariorū; Non eſt dubium, (inquit Princeps) ornare ſubjectos, Principis decretum; dum nullis æſtimantur neceſſaria poſſe committi, niſi qui fuerint magnâ fide ſolidati: Publicum quidem eſt, quod agimus, ſed multa non ſunt antè ſcienda, niſi cùm fuerint, Deo auxiliante, perfecta; *quæ tantò magis debent occuli, quantò ampliùs deſiderantur agnoſci.* Non tamen omnia ſunt arcana, quæ in ſenatibus tractari ſolent, quæ idcirco à conſiliariis prudenter narrari poſſunt. Cujusmodi ſunt ea, quæ morum reformationem, religionis ampliandæ ſtudium, & Principis vigilantiam in genere teſtantur; & ex quorum relatione, neque ſcandalum ullum timendum, neque damnum. *Sic ergo Respublica rectè geretur,* (inquit Dio Caſſius lib. 52.) *cùm neq; de omnibus conſilia inita vulgentur, neq; in aperto ea agitentur; neq; iis, qui ultrò ſeſe obtrudunt, mandentur; neq; ob eorum ambitionem in periculum veniant.*

Flos II.

Tempus, consiliarius optimus.

Bias interrogatus, quis esset optimus consiliarius? Tempus, respondit; quod apophthegma Nazianzenus his verbis reddidit; Σύμβουλος οὐδεὶς ἐστι βελτίων χρόνου. Bonum nimirum consilium non debet esse præcipitatum, sed deliberatum, & maturè expensum atque agitatum; inprimis, cùm de instituendâ, conservandâ & defendendâ agitur Republicâ; deque gravioribus belli pacísve negotiis; quod & Augustus Cæsar symbolo isto suo verè regio monere voluit, σπεῦδε βραδέως, *festina lentè*; innuens, ad rem agendam simul esse adhibendam & industriæ celeritatem, & diligentiæ tarditatem; ex quibus duobus contrariis fit maturitas: & scitum est nobile illud Catonis dictum; *Sat citò, si sat bene.* Quemadmodum enim canis, quia celeriùs parit, cæcos veluti, adhuc nõ maturos, edit catulos: ita quoq; teste Livio decad. 3. lib. 2. *festinatio improvida est & cæca: omnia verò non properanti, clara sunt & certa.* Et quemadmodum flosculos vernos, qui citò proveniunt, mox interire videmus: ita multò magis actiones & consilia præcocia, non absque dispendio, parum diuturna cernimus. Rectissimè igitur eorum reprehenditur inscitia atque audacia,

dacia, vel insolentia, qui res arduas præcoci & temerario ausu suscipere & perficere satagunt; neque priùs, prudenti deliberatione habitâ, perpendunt, qualis eventus expectandus sit. Hinc rectè Tacitus annal.libr.3. *multos*, inquit, *etiam bonos festinatio pessundedit*; qui spretis, quæ tarda cum securitate, ad præmatura vel cum exitio properant. *Nihil itaq; magni discriminis consiliis tam inimicum, quàm celeritas*; ut est apud Livium decad.4.lib.1. Omnis siquidem res properando parit errores; unde magna detrimenta fieri assolent: in cunctando autem bona insunt, si non talia, quæ statim videantur esse bona; certè, quæ suo tempore bona quis esse comperiat, scribit Herodotus lib.7. Hinc & Artabanus Xerxi, expeditionem in Græciam paranti, ibidem ait; *Iterum atq; iterum, cùm tibi videbitur, re apud teipsum prolè considerata, edicito, quod optimum arbitraberis.* Bene enim & pręmeditatè consultare, comperio maximum esse lucrum. Nam etsi quid è contrario eventurum est; nihilo tamen minùs bene consultum est, superavitque fortuna consilium; quæ, teste Cæsare lib.6.de bello Gallico, cùm omnibus in rebus, tum in re militari multum potest. Hinc, cùm Athenienses adversus Alexandrum feliciter pugnassent, ac diis jam gratias agerent, rogatus Phocion; an hęc ita gesta nollet? *Hæc quidem*, inquit, *gesta vellem, sed illa decreta*; sentiens, *etiam inconsulta consilia non-*

nunquam feliciter cedere; id quoties accidit, gratulandum quidem esse Reip. non tamen idcirco non semper utendum optimis consiliis. *Fortunam enim tentare, ubi consilio locus est, temerarium est.* Unde & Demosthenes Atheniensibus exprobrat, *quòd, cùm alii consultare priùs, deinde rem aggredi soleant, ipsi post rem factam consultare consueverint.* Quem in modum & Demadem dixisse testatur Plutarchus; *Athenienses nunquã, nisi bellicis indutos vestibus, pacem decernere: juvenes eos, bellandi cupidos, non nisi acceptâ clade, nitescere.* Quantò verò rectiùs Cicero Officiorum I. *In omnibus*, inquit, *negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda quædam est præparatio diligens, ac prudens deliberatio.* Et Salustius in bello Catilinario; *Priusquam incipias, consulto; & ubi consulueris, maturè factu opus est.* Omnino itaque, si salvi esse velint Reges & Principes, necessarium est, ut, antequam res magnæ, & ardua negotia suscipiantur, animus ipsorum, repudiatis præcocibus & turbidis actionibus, consilio maturo & prudenti in omnem eventum diligenter muniatur; ne, si quid præter opinionem accidat, planè is dejiciatur, & metu atque anxietate oppressus, in desperationem redigatur. Quæ enim hominibus præter expectationem, & quæ maximè inopinatò accidunt, ea & animos hominum dejiciunt, & rationem conturbant; ut ad ferendam de eo, quod agendum sit, sententiam, minimè

minimè omnium valeant. *Neq; enim consiliis juxta metum locus est*, inquit Dio lib. 42. sed ubi animum consilia antecceperunt, strenuè admodum timores ea exturbant; sin anteveniantur ab his, succumbunt. Accidit hoc Ludovico hujus nominis secundo, regi Ungariæ & Bohemiæ, ex præcoci consilio Episcopi Tolmariensis; cujus hortatu cum Solimanno, numero militum omniumque aliarum rerum instructissimo, prælium imparatus, auxiliaribusque destitutus copiis, juvenis ipse, quodammodo imbellis, perturbato & meticuloso animo, committere coactus fuit; in quo multitudine hostium oppressus, ad Mohaciam, in extremum adductus pręcipitium, in fuga magnâ suorum clade periit (*an. C. 1526. 29. August.*) ut author est Dubravius historiæ Bohemicæ lib. ult. Verè itaq; præcipitis consilii comes est pœnitentia, sed sera nimis atque inutilis; *cùm præcipitata raptim consilia neq; revocari, neq; in integrum restitui possint.*

Cæterùm *in omni re arduâ* præceptum hoc tenendum, *ut rapiamus consilia, non quæramus*; nec verbis aut sententiis diu concertemus, ubi res perurgent, & occasiones præcipiti prorsus casu fluunt; sed proximum quodque consilium tutissimum est. *In rebus enim arduis deliberationes perniciosissimæ esse solent, præsertim in bello*; ubi non semel consilium, alioquin per se tutum & salubre, morâ temerarium & infelix factum, le-

gimus. Cujus rei documento ſunt Lanuvini, qui, cùm lentâ deliberatione tempus triviſſent, Latinis victis demum auxilium ferre cœperunt. Itaq; cùm portis egreſſus, de Latinorum clade Millonius prætor eorum audiſſet, dixiſſe fertur; *Pro paululâ morâ magnam mercedem Romanis eſſe ſolvendam.* Nimirum nullus cunctationi locus eſt, in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum; ne, quorum tempus effugit, ea tum demum optima videantur.

F L O S III.

Senum conſiliis ſtat Reſpublica.

REctè Iſocrates in oratione de Regno ad Nicoclem, *optimam regni cuſtodiam eſſe*, ait *prudentiam*, ſine qua nemo Rex aut Princeps rectè imperare, multoque minùs Rempublicam beare, aut amplificare poteſt. Neque enim cujusvis eſt, Rempublicã, ut & navem, gubernare, præſertim, ſi fluctibus ac procellis rapiatur navis; licet tranquillo mari utcunque gubernari poſſit: ſed inter turbato rerum ſtatu etiam atque etiam videndum, quis ad gubernacula ſedeat. Quemadmodum igitur, qui in navi clavum tenet, quamvis nec loco moveatur, nec remiget; nec vela aut rudentes aptet, nec anchoram jaciat, nec alia miniſteria nautica obeat; plus tamen, quàm cæteri

cæteri omnes ad navis gubernationem confert: ita quoque in regno aut Repub. bene constitutâ, domi multò plura consilio & prudentiâ suâ, vel etiam sedendo, proficiunt senes, tam pacis, quàm belli tempore; quàm foris miles fortis & armatus. Sic nimirum Agesilaus (*a.M.3601.*) suâ prudentiâ cavit, ne post Leutricam pugnam Lacedæmon à Spartanis capta diriperetur, teste Plut. in ejus vita. Sic & Nestor, regi suo Agamemnoni in Trojano bello administrando optimorum consiliorum fuit author.

Atheniensibus olim ad eligendum Ducem convocatis, cùm Chares quidam juvenis velox, & robusto validoq; corpore, Iphicrati valde seni præferretur; Timotheus Princeps senatus surgens, cives monuit, *ne talem eligerent Ducem, sed qui Duci stragulas suas portaret*, teste Plutarcho in apoph. innuens, ad Reip. defensionem tutiùs senes, qui sapientiâ & peritiâ juvenes antestarent, admoveri, quàm juveniliter ambitiosos & feroces.

Tertio belli Tarentini anno, Romanis prælio ad Sirim fluvium utcunque fractis, cùm Cineas, orator eloquentissimus, à Pyrrho legatus ad senatũ, pacem ageret iis conditionibus, ut Pyrrhus in urbem reciperetur: Appius Claudius, ut jamjam inclinantes Romanorum animos à pace illâ cum Pyrrho revocaret; & senex & cæcus in senatum se jussit deferri; qui, etsi lumine orbus

erat, mentis tamen oculis admodum lynceus, patriam, quod honestum erat per se parum cernentem, prævidere coëgit; gravi oratione suâ, quæ apud Plutarchum extat in Pyrrho; ita senatum commovens, ut pacis conditionibus simpliciter repudiatis, Pyrrho renunciari mandaret; Romanos ipsum, pacem illis offerentem, non priùs audituros, quàm universâ Italiâ decessisset; idque nisi faceret, effecturos eos, ut sentiat, nec vires, nec animum ad resistendum deesse ipsis, etiam si mille cinctus esset legionibus.

Phocionis, Masinissæ, Q. Fabii Maximi, Corvini, Fabricii, Metelli, Lælii & aliorum exempla, in quibus senilis prudentiæ & virtutis typus exprimitur, pete ex Plutarcho & Cicerone; ex quibus omnibus patet, senes suâ prudentiâ Resp. optimè gubernare, & labefactatas erigere ac restituere, Principum denique negotia suis consiliis saluberrimè dirigere posse.

Roboamus certè, si sanioribus paruisset consiliis seniorum, sapientiæ Salomonis qui fuerant discipuli, suadentiũ, ut furorem populi suâ mansuetudine, lenitate & moderatione frangeret; non autem responsionis duritiâ augeret; sic firmius ipsi fore imperium, si amari mallet, quàm metui; plus quàm dodrantem regni (*a.M.2971.*) non amisisset, 3. Reg. 12.

Probè hoc intellexit Ludovicus undecimus, rex Galliæ, qui moriturus (*a.Christi 1483.*) Carolum

rolum VIII. Delphinum filium monuit, ne, quos ipse relinqueret senes consiliarios, amicos & familiares commutaret; se suo exemplo edoctum, quàm propè in limine regni à ruinâ ipse abfuerit, quòd relictis sibi à patre consiliariis fidem habere noluerit.

Neq; tamen propterea à consiliis Principum & senatu omnino excludimus viros juvenes, qui ex seniorum dictis factisque similia & dicere, & consulere assuescant. Expedit enim juxta annosas arbores, novas inserere plantas, quæ in locum vetustarum intereuntium aliquando succedant. Quia tamen juniores plerunque perturbationibus animi concitatioribus obnoxii, calore feruntur juvenili, & præcipiti temeritate, inflatoque spiritu; ideo vehementiores & subitas illorum cupiditates senum consilium & prudentia rectè moderatur; non aliter, ac ignis ardor aquæ frigore temperatur.

FLOS IV.

Callida & audacia consilia primâ specie læta, tractatu dura, eventu tristia sunt: *Livius decad. 4. lib. 5.*

EST quoddam genus hominum agile, callidum, igneum & subtile, qui naturali quâdam

ſagacitate omnium mortalium cogitationes atq; actiones, & eventus rerum futurarum perrimari ac perſentiſcere ſtudent, præclarumque putant, ſi aut ipſi aliorum pervertere conſilia, aut verſutiâ ſuâ quempiam irretire poſſint. His utplurimùm Reges & Principes, præſertim curioſi illi, & juveniliter ambitioſi, delectantur; ſed quantâ illorum cum pernicie conjunctum hoc ſit, dici vix poteſt. Nam ut omittam, nullos magis falli & errare in conſultando, quàm acres & ſubtiles hujusmodi homines, dum plerunque ea ſibi fingunt futura, quæ nec facta ſunt antea, nec ab aliis cogitata; certum eſt, ægerrimè experiri, & non niſi magnâ cum difficultate in rem deduci ejusmodi conſilia poſſe. Quemadmodum enim horarium, quò tenuius eſt & ſubtiliùs elaboratum, majori curâ regitur, frangiturque faciliùs; ſic conſilia, quæ nimiis innituntur ſubtilitatibus & verſutiis, multis opus habent mediis, aſſiduo ſtudio, & accuratâ obſervatione; & vix tamen ſcopum ſuum adipiſcuntur, imò etiam non rarò tragicum exitum ſortiuntur.

Atque hinc fit, ut ſecundùm Thucydidem lib. 3. *hebetiores meliùs, quàm acutiores Rempubl. adminiſtrent*; quippe qui, dum ſuæ peritiæ diffidunt, rerum & conſiliorum æqui æſtimatores, quàm concertatores, eſſe malunt; iſti verò, dum ſupra cæterorum prudentiam & intellectum ſapere aliquid, & in publicis conſultationibus

ſuam

suam semper sententiam obtinere volunt; importunâ suâ ambitione Resp. plerunq; evertũt. Sic ergo, quemadmodum primum mobile tantâ incitatione fertur, ut etiam secunda mobilia, stellas nempe fixas & planetas secum rapiat; ita consiliariorum impetus sæpenumero bonos quoque & moderatos abripiunt Principes, ut quid durius decernant, non rarò suâ cum pernicie.

Exemplo sunt Hanonis, Ammonitarum regis, aulici; ad quem cùm David rex (*a. M. 2905.*) honoris causâ legatos misisset, qui ob patris sui Nahæ obitum ipsum consolarentur; hujus aulici non aliter ac canis vinctus, qui vincula ipsi solvere volentem, suum esse adversarium suspicatus, allatrat ac mordet stultissimè & iniquissimè, beneficium hoc Davidis interpretantur insidias, ejusque gratitudinem (Davidis nimirum exulis, cujus parentibus Nahas præbuerat hospitium) exponunt dolum. Horum ergo calumniis fascinatus Hanon, Davidis legatis ludibrii ergo partem barbæ radi, & vestes ad nates usq; præscindi jussit. A Davide ergo, injuriam istam atq; ignominiam atrocissimã justissimo bello vindicante, gemino prælio, magnâ suorum & sociorum Syrorum clade victus, pro barbis rasis tandem amisit diadema capitis, & pro succisis vestibus, regnum, 2. Reg. 10.

Exemplo item est Roboamus rex, qui super

M 7

populi, petentis onerum publicorum levationem, postulato, seniores pariter & juniores consuluit: Verùm, salubri illorum consilio repudiato, his obsecundatus, qui ipsi authores erant, ut nihil tributorum subditis remitteret, nec quicquam condonaret, (nec enim reditus & jura regni accidenda & attenuanda esse,) sed jugum aggravaret; ut discerent, se non dominos, sed subditos esse; istâ suâ superbiâ atque asperitate voluntates populi à se abalienavit; perpetuæque distractionis occasionem præbens, damno suo didicit; *aulas esse fœcundas crudelibus consultoribus:* callida item & audacia consilia primâ specie esse læta, tractatu dura, exitu tristia; *cautiùs denique dimicare milites veteranos, quàm tyrones*, 3. Regum 12.

Sic & consilium illud, quod Amnoni Davidis primogenito dederat Jonadabus hujus patruelis (*an. M. 2911.*) de vi comprimendâ sorore Thamara, etsi primâ specie blandiebatur stultis illius affectibus; exitu tamen fuit tristissimum, Absolone ignominiam hanc sororis nefando fratricidio vindicante (*a. M. 2913.*) 2. Reg. 13.

Pari modo, Mardonii adhuc juvenis, gloriæq; cupidi consilium, Xerxi, Persarum regi, fiduciâ humanæ potentiæ elato, expeditionem contra Athenienses suadentis, arrisit; sed quàm tractatu durum, exitu triste hoc fuerit, ostendunt tot ipsius clades, ad Artemisium (a. M. 3492. pugna accidit)

accidit) Thermopylas, Salaminem, Plateas, & Mycalem Ioniæ ab hostibus acceptæ; de quibus lege Herodotum lib.7.8 9.

Sic & Antiochus Magnus, Asiæ & Syriæ rex, prosperis rerum successib. insolentior redditus; Ætolorum insuper adulatione, & promissorum vanorum confidentiâ; Nabidis Lacedęmonii societate, & Hannibalis apud ipsum exulantis crebris cohortationibus inflammatus, ut in Europam Imperii sui terminos proferret, Romanorumque potentiam retunderet; injurius ipsis, & terribilis primùm quidem insultavit.

Verùm eodē mox anno è Thermopylis, quas insederat, non solùm naturâ loci tutis, sed & prę-sidio atque muro obseptis; Marii ac Cælii Glabrionis consulis virtute deturbatus, Ephesumq; in Asiam ex Europâ expulsus, ibi à Lucio Æmilio Regillo prætore, maximâ clade victus fususque; iterumque, anno vertente, à Lucio Cornelio Scipione ad Magnesiam, acerrimo & cruentissimo prælio victus, durissimas pacis leges accipere coactus; teste Floro libr.2. cap.8. Justino lib.31. & Appiano in Syriaca; didicit suo damno veritatem dicti Hesiodi:

Desipit, incertum qui captans certa relinquit.

Sic & Andronico Palæologo consiliarii avari suaserant, ut classis sumptus, quibus fiscum Imperatorium exhauriret, tolleret. Quo facto, Romanorum maritima potentia imminuta est, &

hostium firmata; adeò, ut pyraticæ triremes Bizantium usque per ludibrium accesserint, ut author est Gregoras lib. 6.

Carolo VIII Galliæ regi, juveni alacri & fervido, atque ex assentatorum applausu, spebus amplissimis, inexplebilique gloriæ cupiditate inflammato, regni Neapolitani, tanquam ad se jure spectantis, armis acquirendi animus non defuit jam inde à puero. Evocatus itaque à Ludovico Sfortiâ (*an. C. 1494.*) contra Arragonios, ad Neapolitanam expeditionem temerario accessit consilio; cùm illum neque ærarii inopia, neque procerum indignatio, neq; Ludovici insidiæ propositæ, ab incepto abducerent; Juliani Roverei, Cardinalis Ostiensis, fatalis calamitatum Italiæ instrumenti, authoritate & consiliis accensum. Quæ res etsi primùm ex animi sententiâ successit; celeri siquidem & incruentâ victoriâ, Arragonios regno isto exegit; in reditu tamen triplici, Romanorum, Venetorum, & Mediolanensium, exercitu, itinere ipsi præcluso; medias hostium phalanges ad Tarrum fluvium armatus perrumpere necesse habuit; nec multò pòst regnum hoc Neapolitanorum defectione iterum amisit. Hanc ejus expeditionem Cominæus libris descripsit quinque; Jovius & Guicciardinus libris tribus prioribus.

FLOS

FLOS V.

Consilium malum, consultori pessimum.

QUemadmodum in consilio capiendo prudentia: ita in dando fides requiritur & religio: ut; religiosè, citraque fraudem detur, si quis egeat. *Est enim consilium res sacra; ideo nihil debet, qui consilium dat, præstare præter fidem*; ut Cicero scribit libr. 16. epist. ad Atticum. Alioquin non defuturum est numen aliquod, quod pœnas repetat ab eo, qui rem sacram & divinam perfidiâ violarit. Utrinq; enim perniciosa consilia plerunq; in authores redundant, à quibus profecta sunt; quod & Hesiodi hic aphorismus testatur lib. 1. ἔργων, & veritatem hujus sententiæ omnes omnium seculorum historiæ comprobant.

Bileamus à Balaco, Moabitarum rege (*anno Mundi 2493.*) Israëlitas diris execrari jussus, cùm caninam ejus linguam ab allatrandi maleficio Deus compesceret; regi Balaco hoc dedit consilii, ut blanditiis potiùs Israëlitas seducere, & ad scelera omnemque impietatem allicere, quàm armis opprimere conaretur: sic enim fore, ut divinam illi incurrant indignationem, & Moabitarum cæterarumque gentium postmodò pateant direptioni. Hoc Bileami consilium, de scandalo

Iſraëlitis objiciendo,& Moabiticis meretricibu
ad fœda ſtupra proſtituendis, nonnihil quider
ſucceſſit; quippe quarum lenocinio & laſcivi
Iſraëlitæ ad ſcortationem ſimul,& ad profana ſa
crificia allecti,tantam Dei offenſionem incurre
runt,ut non ſolùm præcipui hujus ſceleris atqu
impietatis authores juſſu Dei in crucem ſin
acti; ſed & ex plebe repentinâ peſtis lue perierin
vigintiquatuor millia hominum, teſte Paulo i
1.ad Cor.10. Nec priùs plaga hæc ceſſavit, do
nec Pinehas divino excitatus zelo,Zambrium
tribu Simeonis,Principem libidinoſum, ad ſcor
tum Midianiticum commeantem, in ipſo faci
nore ſuâ confodit manu. Etſi autem hoc Bilea
mi conſilio nonnihil cladis illatum tunc fuit Iſ
raëlitis; nihilominus tamen & ipſi Bileamo i
extremum hoc exitium,totique genti Midiani
ticæ & Moabiticæ in maximam ceſſit perniciem
utpote cujus utriusque impietatem atque im
poſturam graviſſimè vindicare Moſes juſſus,ne
minem ex Midianitis, pueris tantùm & puelli
exceptis, ſuperſtitem eſt paſſus, Num.22.23.24
& 25.

Achitophel, ob prudentia conſilia in tanta a
pud Davidem æſtimatione habitus,ut quicqui
diceret,de cælo prolatum duceretur; (unde & de
fectione ejus David tantopere conſternatus eſt
ut nullo unquam periculo magis,) quoniam vi
debat, populum adhuc quâdam erga Daviden
religion

religione teneri; & non posse adduci, ut crederet, Absalonem filium tanto patrem odio habere, ut extremum ejus exitiũ quæreret; imò & metuere, ne si reconcilientur, faba in ipsorum caput cuderetur; primùm impudentissimus Absaloni fuit author, torum paternum luce clarâ coram populo contaminandi; ut hoc facto declararet, pessimè ipsum velle patri, nec ex composito rem geri: post fœdatum patris cubile eidem consulit, ut patrem imparatum citra omnem moram armis obruat, nec ullum ipsi tempus ad vires recolligendas permittat. Quod consilium suum ubi videbat sperni; Chusajo contrarium suadente, & probabiliores morę interponendæ causas afferre viso; victus partim indignatione, partim vano metu supplicii sibi irrogandi, si David regnum recuperaret, laqueo seipsum domi suæ strangulavit, atque ita proditionis & mali consilii sui dignas dedit pœnas; (*anno Mundi 2920.*) horrendo relicto exemplo, quàm tragico exitu pereant malorum consiliorum architecti, & quàm sæpè ea divinitus impediantur, 2. Regum 16. & 17.

Sic & Haman, patefactis calumniis, quibus impetraverat edictum regis Persici, de totâ gente Judæorum delendâ, (*a.M.3519.*) in ea ipsa furca, quam Mardochæo erexerat, ipse suspensus est; atque ita in magistrum scelera redierunt sua, Estheræ 7.

Circumsedit enim vis atq; injuria quemque;
Atq; unde exorta est, ad eum plerunq; revertit.
Ut Lucretius canit lib. 5.

Sic & Appius Claudius Decemvir, ubi Virgineæ castitatem, undique pudicitiâ septam, muneribus & pollicitis expugnare non potuit; tum illam in servitutem, spe ipsius potiundæ per Marcum Claudium, suum clientem, asserere conatur: (*a. M. 3524*) sed præda hæc à Lucio Virgineo patre, non solùm miserabilissimo modo ipsi erepta; sed & decemviratum abdicare coactus, in carcerem à se ædificatum, (quem teste Sabellico lib. 10. c. 4. *Romanæ plebis domicilium* vocitare solitus erat) è vestigio conjectus, in eo judicii reus, mortem sibiipsi conscivit, teste Livio dec. 1. lib. 3. & Dionysio Halicarn. lib. 11. Notabile quoque est, quod Comineus refert lib. 10. de rebus gestis Ludovici XI. Galliæ regis, de Cardinale Balvensi, cujus instinctu Rex parari jussit carceres horrendos, qui adhuc Lutetiæ conspiciuntur; caveas nempe partim ferreas, partim ligneas, ferreis laminis coopertas, latitudine octo pedum, & altitudine paulò majori, quàm est statura hominis; itemque compedes ferreas gravissimas, quibus illigarentur crura; pedes vinciebantur annulo ferreo, à quo pendebat catena, ad cujus exitum maximi ponderis globus. In has tetras caveas Cardinalis ipse, & quidem in eam, quæ primùm perfecta fuit, inclusus est, perque totos 14. annos

annos detentus. Nec mitiorem fortunam expertus est ipse Rex; quippe qui spontaneis quodammodò vinculis sese induit; ita in arce quadam se includens, custodiisq; circumsepiens, ut, teste Cominæo, nullus arctiori custodiâ cohercere potuisset, quàm ille seipsum cohibuit.

Christiernus secundus, rex Daniæ, Suetiâ subactâ (*a.C.1520.*) tormentis hominum innocentum libidine animi expletâ, in Daniam terrestri itinere cùm redire contenderet; ad quamcunq; urbem devenit, furcam erigi curavit, procurante Nicolao Holstenio, qui regio ex mandato Sudercopiæ in crucem à se ipso erectam sublatus est, teste Chytræo in Chron. Saxon. lib. 9.

Tam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primis authoribus instet.

Plura exempla recenset Camerarius lib. 1. meditat. histor. c. 9. De Lysia, Atheniensi senatore, (*a.M.3493.*) ob consilium malum patriæ datum, lapidibus obruto, lege Herodotum lib. 9.

Antiphon, cujus nimia eloquentia, nimiaq; in dicendo authoritas, judicibus semper suspecta fuit, temporibus belli Peloponesiaci (*a.M.3561.*) cum Archeptolemo & Onomacle, ab Atheniensibus legatus missus ad Lacedæmonios; accusatus deinde & convictus, è re Lacedęmoniorum utilissima consilia, & pro Atheniensibus deteriora protulisse; tantas consilii mali, patriæ dati, pœnas luit; ut ipsius sociorumque ædes solo æqua-

rentur; gens familiaque tota partim necaretur, partim infamiâ perpetuâ notaretur; ut author est Petrus Ærodius ex Thucydidis vitâ.

FLOS VI.

Non est turpe, cum re mutare consilium: *Seneca libr. 4. de benef.*

NOn magni fiunt, qui quolibet levi vento ad diversos opinionum scopulos alliduntur; planè improbandi sunt, qui ex alienâ libidine huc illuc fluctuantes agitantur, interdum alia iterumque alia decernunt; & ut eorum, qui dominantur, simultas atque arrogantia fert, ita bonum malúmve publicum existimant; scribit Salustius ad Cæsarem. *Constantia ergo in consiliario requiritur*; ubi tamen cautè providendum, ne, ut aliâs vitia virtutum specie se insinuant; ita pro constantiâ pertinacia nobis imponat. *Demens est, qui in errore perstat*; multóque præstat, mutare consilium in melius, quàm in malè institutis pergere. Sed nec inconstantis est, etiam benè cogitata consilia mutare, & sententiam, tanquam aliquod navigium atque cursum, ex Reip. tempestate moderari, *atque ita temporibus servire & ventis nolle reflare*. Quam eandem in sententiam

tentiam & Cicero ad Lentulum ſcribit libr. 1. famil. epiſt. 9. Non permanendum eſt viro ſapienti patriæque amanti in una ſententia, rebus converſis, ac prioris conſilii cauſis & rationibus immutatis, ſed temporibus aſſentiendum. Nunquam enim præſtantibus in Repub. gubernandâ viris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio; ſed ut, in navigando tempeſtati obſequi, artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas; cùm verò id poſſis, mutatâ velificatione, aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem cœperis, potiùs, quàm eo commutato, quò velis, tandem pervenire. Sic cùm omnibus in adminiſtranda Rep. propoſita eſſe debeat ſalus patriæ; *non idem ſemper dicere aut facere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.* Oportet enim eos, qui in Reipublicæ navi ſedent, *tanquam in talorum jactu,* ad id quod ceciderit, res ſuas aptare, qualiter id cunque ratio eſſe dixerit; non autem quaſi pueros, ipſos quoque cadentes, firmiter eam rem tenere, in quam impegerint, & clamando queritandoque tempus conſumere, ut Plato ſcribit libr. 10. de Repub. *Sic ſapiens non it uno gradu, ſed unâ viâ; nec ſe in aliquibus mutat, ſed potiùs aptat.* Et apud Romanos quoq; jus fuiſſe ſenatori, à ſententiâ, quam ſemel dixerat, ſi probabile quid contrà afferretur, deduci, patet ex graviſſimâ ſenatus deliberatione apud Saluſtium de modo pœnæ conjurationis Catilinariæ

ſociis irrogandæ. Conjuratione nimirum Ca-
linariâ detectâ, cùm in ſenatu de modo pœnæ
conjurationis ſocios graviſſima inſtitueretur
liberatio; quos alii, cum Syllano conſule, mo
mulctandos; alii, quorum princeps erat Jul
Cæſar, per municipia, in cuſtodiis habendos,
blicatis pecuniis, cenſebant. Viciſſet mitior h
ſententia, niſi labantem Ordinem confirma
Marci Catonis oratio; qui penè inter ultimos
gatus ſententiam, tantâ vi animi & ingenii in
ctus in conjurationem; oris ardore orationem
mnium, lenitatem ſuadentium, de ſocietate co
ſilii ſuſpectam fecit; & impendentia, ex ruinis
cendiiſque urbis, & commutatione ſtatus p
blici, pericula ita expoſuit, ita virtutem conſ
amplificavit, ut univerſus ſenatus in ejus ſente
tiam tranſiret, & in conjuratos animadverte
dum capitaliter cenſeret. Tanti intereſt, ut
ſenatu ſint Catones, Appii, & horum ſimiles v
qui priſcâ ſeveritate molles aliorum ſentent
caſtigent, liberéq; & fortiter cenſeant. Quam
enim graves illæ & ſeveræ ſententiæ vincere ſe
per non debeant; (nec enim, ut vinçant ſemp
expedit,) interjectæ tamen aliis, jucundum in
natu, ex diſſimilibus judiciis, tanquam ex diſt
ctis ſonis, concentum efficiunt, neque parum
conſilium capiendum proſunt. Maximè v
bellicis in rebus conſilia, quæ hoſtibus prod
ſuſpicamur, mutare convenit; utpote, quæ n

ſol

ſolùm ſucceſſu, ſed nec rarò quoque periculo carent; quod inter alia *Vegetius* præcipit lib.3. de re *militari* c.26. De quo fuſiùs egimus lib.2. Strategematographiæ noſtræ c.8.

FLOS VII.

Ad legationes aptiſſimi viri, perſpicaci prudentiâ, & ſingulari gravitate præditi.

QUemadmodum in bono conſiliario, ita quoque in egregio legato requiritur nobilitas generis, pulchritudo & concinnitas corporis, ingenii vivacitas & ſagacitas, rerum cùm divinarum, tum humanarum ſcientia, ejusq; philoſophiæ, ad formandos mores gubernandique ſcientiam quæ pertinet, cognitio; inprimis verò multarum & variarum hiſtoriarum lectio. Hiſtoria ſiquidem dux eſt actionum, conſiliorum inventrix, comes itineris, pronuba inſtituti ſalutaris; quam quò magis variam, & exactiùs aliquis legerit, & legendo rebus atque temporibus præſentibus adaptaverit; eò & plures legationes obiiſſe, & in portum, quem quærit, faciliùs videbitur perveniſſe. His poſtea accedat exterarum gentium peragratio, regionumq; luſtratio, & rerum intelligentia; ars & copia in utramque partem diſſerendi; negotiorum uſus, atque tra-

N

ctatio; ejusq; lingua, apud quem Princip
populum legatione defungi necesse habet,
tia;fides demum in Principem,amor in suo
mitas erga exteros, humanitas in convic
colloquio familiari;invicta fortitudo, & d
harum omniũ moderatrix,perspicax prude
Probè itaque norit prudens legatus,muneri
sui,non nisi jussum adesse, non nisi pro re
casione verba facere, non nisi acceptis resp
quæ patienter ipsi audienda sunt, pauca l
non denique,nisi de re & materiâ tempori,
& personæ suæ accommodatâ, in publico
orare. Ac primò quidem, etsi nihil prius a
tiquius habere debeat, quàm sine morâ
Regem aut Principem; ratò tamen & mo
exponendorum mandatorum tempus po
bit,semelque concessum strictè & accurat
servabit. Nolunt enim cogi, sed rogari P
pes,& ab ipsorum nutu atque authoritate,
nostro arbitratu & cupiditate,nos pender
nec ludificari se patiuntur, si quis concesso
pore abuti velit.

Dabit præterea operam, ut non tam po
divitiarumque splendore, quàm rebus sit i
ctus; memor dicterii Agidis Spartani apud
in Lacon. qui ad Philip. Macedonem le
missus, solus sine comitatu Regem ac
cúmque Rex hoc mirum miraretur; *Veni*,in
unius ad unum; tacitè legatorum aliorum
mas perstringens. D

Deinde ad Principis conſpectum admiſſus, præmiſsâ honorificâ ſalutatione ejus, à quo miſſa eſt legatio, itemque commendatione ejus, ad quem directa eſt, mandata ſua brevi atq; ſincerâ exponere oratione meminerit; nec anfractu, & quaſi verborum longâ quadam circumitione utatur; nec fictis, aut etiam nimiis laudationibus Principis venetur gratiam; utpote, quæ aſſentationis quandam habent ſpeciem, *quæ omnem delet veritatem*, & non modò non amico, nedum inimico, ſed ne libero quidem homine digna eſt. Unde regiè omnino Carolus V. Cæſar, poſt initam cum Franciſco, Galliarũ rege ad Cameracũ pacificationem, cuidam legato, ſummis encomiis in os eum laudanti, in orationis fine dixit: *Utinam & nunc laudaſſes, & ante biennium in Anglia vituperaſſes me parciùs, ægrè utroq; nunc caruiſſem.* Et Carolus, Burgundiæ Dux, crebris uſurpaſſe ſermonibus fertur; Neq; laudari acriter, neque vituperari vivos Principes oportere; quòd alterum non careat periculo, alterum adulatoriæ artis valde inertis ſuſpicione. Perſpicuum hoc fit ex belli hiſtoriâ, quod inter Greg. XI. Papam & Florentinos geſtum eſt, quo Romanenſium Legatus Florentiam miſſus, gratias illis egit ob reſtitutam libertatem; multis verbis in Pontificem & tyrannos, ſive Principes urbium, Pontificis miniſtros, invectus; nullâ ratione habitâ Rudolphi, Cameracenſiũ domini, qui tum

Florentinorum polemarchus erat; tum Rudolphus petens ab Oratore illo, cujus facultatis aut artis esset? cùm ille Doctorem Juris civilis se diceret, quæsivit, quanto tempore legibus operam dedisset? cùm ille amplius decennio respondisset, *quàm vellem*, respondit, *ut saltem annum discretionis studio vacasses*; stultum illum judicans, qui tam multa se præsente contra Principes effudisset; ut author est Poggius in facetiis. Quàm ægerrimè verò domi suę Principes alienas laudes deprædicari patiantur, (siquidem quantum exteris datum, tantum per id sibi detractum nonnulli arbitrantur;) exemplo est L. Sylla apud Plutarch. in ejus vita, à quo bello Mithridatico Aristion Atheniensium tyrannus obsessus, & victus rerum omniũ inopiâ, duos ad eum in castra misit legatos, qui ex tyranni sententiâ, non humili oratione præsentíve fortunæ accommodatâ sunt usi, sed à Thesei laudib. & Eumolpi exorsi, memoriam inde rerum adversus Medos & alias gentes ab Atheniensibus gestarum, stultè & insolenter executi, non modò non flexerunt aliquo modo hostem; sed iis hinc multò infensior factus, quàm antea fuisset, *beatos abire jussit, retroq; secum totam illam laudationem ferre*; se à populo Romano Athenas missum, non capiendę disciplinæ causâ, sed ut invidam urbem bello captam everteret. Nec ita multis idem diebus interjectis noctu Athenas occupavit. Non omittenda

renda hîc Magni, Ducis Holſatiæ, Epiſcopi Orpatenſis in Livonia, hiſtoriola, quam Chriſtophorus Warſebicius recenſet in libello de legato & legatione; Hic ut distortus ipſe fuit, ſic & legatum, oppidò monſtroſum oratione & geſtu habuit; qui, cùm Stephanum, Poloniæ regem, miris in os decantatis laudibus extuliſſet; illud poſtea addidit, ſcire ſe ex aſtris, Johannem Baſilium, magnum Ducem Moſcoviæ, inſequenti anno regiis armis ceſſurum, & vitā cum Imperio amiſſurum; utpote, qui hoc & illud cæleſte ſignum in aſcendente haberet; prætereaque nemini eſſe obſcurum, quo, quanto & quàm periculoſo morbo laboraret: ita iſte & legatum, & Mathematicum & Medicum, & deniquc ſtultum egit, coram Rege & ſenatu verbis ſine delectu faciundis. Ut enim furioſus educto gladio aërem verberando; ſic legodædalus, ubi verba fundere cœperit, nec rationem incipiendi, nec modum deſinendi ſcit. Modus ergo in laudando juxtà & vituperando fuerit optimus; nec minùs quoque res & materia, de qua perorandum erit legato, tempori, loco & perſonæ ſuæ ſint accommodatæ; ita ut rei expoſitioni perſuaſionem adjiciat verbis, ad id conſequendum, quod petitur, idoneis, & ſimul explicet modū, quo id fieri poſſit; & denique afferat exempla rerum ſimilium, unà cum ſufficientibus rationibus. Exemplum hujus rei habemus apud Livium decad. 1.

lib.2. & Plut.in vita Coriolani, in Menænio Agrippa, principe legationis ad plebem Romanam, quæ ære alieno pressa, in montem sacrum juxta ripam Anialis quondam secesserat. Hic plebem partim obsecrans, partim senatum defendens, extremæ orationi apologū Æsopicum de dissidiis membrorum in corpore humano aspergens, omnes hominis partes conjurasse ait contra ventrem; ignavum eum & immunem quiescere, omniaque, ingenti cæterarum labore & ministerio, quæri illius aviditati, questas; ventrem verò stultitiam illarum derisisse, ignorantium, recipere quidem alimentum intra se omne, sed reddere id ex se, & in alias distribuere. Hunc apologum ad præsens negotium ingeniosè ipse accõmodans, pingui figurâ demonstravit, quàm insana sint & pestifera ejusmodi intestinorum mota certamina; atque ita hac ratione populum novâ & insolitâ libertate temere gaudentem, ad meliora & saniora consilia revocatum, senatui subjecit, *h.e. urbem urbi junxit*; ut Valer. Max. loquitur lib. 8. c. 9. Sic & anno Mauritii 13. cùm Cajanus, Alvatorum, Hunnorū & Sclavorum rex, Thraciam infestaret; Priscus, Mauritii Dux, cùm non posset armis frangere, oratione flexit barbarum. Misit enim Theodorum Medicum, qui hac oratione eum compellavit; Audi Cajane: Sesostris rex illustris & felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentiâ, plurimas & ingentes

gentes nationes servituti subigens; hoc encomio elatus, currum aureum pretiosissimis gemmis ornatum sibi construxit, cui insidens à 4. Regibus devictis, plaustra subeuntibus, se trahi passus est. Hoc verò cùm sæpiùs fieret, & celebri quodam festoque die ex 4. istis Regibus unus oculis conversis continuè retrospiceret, & rotæ volubilitatem intueretur, Sesostrisq; eum, cujus rei gratiā tam frequenter oculos in rotam conjiceret, percontaretur; respondisse is fertur: Cum stupore admiror rotam, cùm eā instabili modo ferri, atq; aliâs aliter volvi; & nunc quidem sublimia demittentem, rursus demissa sublimantem, conspicio. Sesostris ergo, ubi dictum hoc intellexit; statuit, ne illi posthac currum traherent. His auditis Cajanus subrisit, & respondit; se porrò deliberaturum, ut author est Paulus Diaconus de rebus Romanorum libr. 7. & Niceph. lib. 10. c. 29. Sic & Attilâ Italiam vastante, Valentinianus III. Imperator, de pace legatum ad eum misit Leonem Pontificem, hominem non majestate solùm, sed & ætate venerabilem; adjectis mandatis, ut quacunque conditione posset, Attilam non solùm à progressione averteret, sed etiam ad relinquendam primo quoque tempore Italiam impelleret. Hic comitatu honestissimo sumpto, quàm maximâ potuit, ad eum celeritate contendit, nactusque ipsum ad Mimesum utproximè considentem, ac sæva adhuc secum de perdendâ

Româ consilia volutantem, se venisse à Valentiniano legatum ostendit; hominemque ferum, atque ab omni religione aversum, gravi divinæ justitiæ commemoratione adeò permulsit, ut ipsum, promisso annuo tributo, à vastatione Italiæ & Romæ destructione averterit; teste Sigonio libro 13. Imperii Occidentalis.

Franciscus Marchesius JCtus, à Genuensibus ad Johanem Galeacium, Mediolanensium Ducem, Orator missus, cùm difficilem ad eum haberet aditum, die sancti Johannis Galeacio munus, basilicę herbæ vas plenum, misit. Dux Franciscum statim accersivit, ut missæ herbæ causas intelligeret. Franciscus omissis iis, quæ à Genuensibus mandata erant, paucis explicavit: Ego, Princeps Genuensium, ad te Orator veni; quorum ingenia basilicæ herbæ persimilia sunt; leviter tacta, suavem perfundunt odorem; contrita, scorpiones procreant. Hac parabolâ adeò Principis animum permovit, ut qui antea nullis flectebatur rationibus, tum æquas aures in posterum præberet, teste Fulgoso lib. 8. c. 10.

Laurentius Medices, à Florentinis legatus Neapolim ad Ferdinandum regem missus, cùm ex regiis equis unus adduceretur, quo ipse vectus unà cum Rege, (qui ei, non tanquā privato, obvius venerat,) in arcem contenderet; *tum sibi equo opus fore respondit, cùm à tanto rege pacem impetrasset; quo nuncio optatissimo civitatem*

summâ

summâ celeritate perfunderet. Neque eum spes sua fefellit. Nam Ferdinandũ lenocinio orationis, & comitate quâdam, quę in eo virtus dicitur planè regia fuisse, ita sibi devinxit, ut ex hoste infensissimo amicum patriæ summum redderet. Sic qui Laurentii odio bellum Florentinis indixerat, ejusdem colloquio iram omnem posuit, ut author est Brutus libr. 7. hist. Florentinæ. Iidem Florentini, cùm frustra, non semel missis legatis, Venetos de mittendis auxiliis adversus Philippum Mariam, Vicecomitem Mediolanensem, sollicitassent, tandem Nicolaus Usanus ultrò Venetias profectus; patrũ tamen consensu, & in conspectu Ducis senatusque Veneti introductus, enumeratis cladibus populi Florentini, & egestate ærarii, insuperque alienatione animorum vicinorum, novissimè addidit; *Nos quandoquidem à vobis repellimur, Philippum regem facimus, vos postea Cæsarem vel inviti facietis.* Ea verba cùm indignantis, & præceps consilium capientis, esse viderentur; inflexerunt tandem Venetorum animos, fœdusque contra Philippum cum Florentino populo ictum est, ut author est Brazellus lib. 1. belli Hispanici.

De Rudolpho Imperatore refert Cuspinianus in Cæsarib. quòd, cùm duo insignes Oratores, in arduo quodam negotio accessissent; quorum alter barbam canam, & capillos nigros; alter verò capillos canos, & barbam nigram habe-

bat; Rex eos audire noluerit, nisi priùs ratio-nem diversitatis barbæ & capillorum exposuis-sent. Hi, deliberandi spatio accepto, altero di- Regem adeuntes; Ego, inquit primus, canam habeo barbam, quia omnis mea cura fuit, ut o- satisfacerem & gulæ, de nullâ re aliâ cogitans; id- circo caput mansit cum suis capillis nigris; & mentum vestitum est barbâ canâ. Alter inqui- Capilli mei simul, cùm egressus sum uterū ma- tris meæ, creverunt; post vigintiquatuor anno demum erupit barba; quę, cùm eandem assequ- tur, quam nunc capilli habent, ætatem, eunde- quoque colorem sortietur. Rex argutiā utriusq laudans, remisit honestè expeditos. Scil. æqu nonnunquam argutiis, & jocosis, quàm seriis se- monib. Principis gratia aucupatur; & negotium cujus gratiâ legatio suscepta est, felicem & opta- tum exitum sortitur. Sic & olim Leo Byzantiu Platonis auditor, Athenas legatus missus, cùm a- gitatam videret inter eos longâ contentione s- ditionem; in concionem ascendens, risum popu- lo excitavit ob nimiam ventris pinguedinem. A ille nihil magis perturbatus; quid ridetis, inqui Athenienses, quòd vobis videar pinguis? scitot mihi uxorem longè pinguiorem esse, talesqu ac tanti cùm simus, concordes tamen brevis ad modum lectulus nos capit; discordes, ne to quidem Byzantium urbs; ut author est Philo- stratus in Sophistis, & Plut. in polit.

Porrò

Porrò *quoniam animi index semper habetur oratio*; ideoque, ut eum penitius cognoscat, Principis responsionibus audiendis legatum patientem & moderatum esse, necesse est; alioquin nihil horum, quæ in rem suam erunt, intelliget; & sibiipsi tantùm sapiet; Principis deniq; animum istâ loquendi, omniaque sibi arrogandi quâdam licentiâ facilè abalienabit; utpote qui ægrè feret, intelligentiæ laudem sibi eripi. Quò magis eorum vituperanda est animi impatientia, qui tantùm abest, ut Principũ verba patienter audiant, ut etiam sermones illorum interrumpant, & prolata verba, aut sententias reprehendant; quasi ipsi perfectissimi omnium sint magistri, & doctores. Quo sanè nomine quendam legatum apud Ferdinandum Cæsarem notatum esse memorant; cum quo Cæsar, remotis arbitris, sermones miscens, cùm nescio quod verbulum contra præceptiones Grammaticas Latinè protulisset, & è vestigio, quòd Latinum non esset, à legato acclamaretur; Cæsar subridens, *oblitum se esse, quòd cum pædagogo, non cum legato loqueretur*, arguté respondit. Et rectè. Quorsùm enim fuerat, in eum Principem Legatum sibi sumpsisse tantum libertatis? Debet Legatus vir esse prudens, nec tam loquens, quàm eloquens; nec tam dicax, quàm perspicax, cui in omni vita & actione, in verbis & sermone, in habitu denique & vestibus ipsis, commendata semper sit modestia. Quare,

si impugnanda quoque Principis aut alteriu
magistratus fuerit sententia; legatus se primùı
excusabit, in verbis demum, gestu & oratione c
mnem necessariã adhibebit modestiam, & suaı
propensissimam erga illum testabitur volunta
tem.

Denique si duriora fuerint postulata, ob qu
meritò repulsam ferat, non ad minas & expostu
lationes descendat; sed potiùs non à se, sed à su
Principe, cujus legatum agat, ostendet ea prof
cisci. Quemadmodum n. sol, si vertici hom
nis immineat, aut prorsus tollit, aut quàm min
mam reddit umbram; ita & maximi alicuju
Principis conditio aut gloria minuit invidian
Minor denique supremi, quàm minoris, livor e
magistratus; nec tantus absentis regis, quàı
præsentis ipsius oratoris; qui, quò minùs doleı
ter aliquando sibi negata tulerit, eò celeriùs i
lius, qui negaverat, vicissim erga se experietu
voluntatis commutationem.

Ferunt, Carolum V. Imperatorem Johann
Dantisco, Episcopo Warmiensi, Sigismundi
regis Poloniæ legato, petenti pro reginâ Bor
Sfortiâ, illius conjuge, ab Isabellæ Arragoni
matris hujus morte, Barrensem hæreditaten
duriorem se initio præstitisse; quod Dantiscu
paulò immoderatiùs ferens, cùm regem suuı
vim pati proclamasset, in aulã istâ hæsit c
pinione suâ diutiùs, donec tantùm modestic
in seı

in ſermone factus, è medio, quod apparaverat, convivio, ad Cæſarem accerſitus, voti ſui compos redditus, moderationis ſimul & eloquentiæ à Cæſare tulit laudem. Utiq; enim non peræquè urgendis Principibus, quàm nutu ipſorum obſervando, compotes noſtræ voluntatis reddimur; tantumque momenti in prudentia legati ſitum; qui, quæ impetrari poſſint, vel ſecus, animo cernit; & in poſterum quoque rei tentandæ vires non incidit, nec ſpe concordiæ alios excludit. Hic enim finis omnibus legationibus debet eſſe propoſitus; conciliandi animos Principum, & publicę omnium tranquillitatis tuendæ. Unde & legati partium erit, primùm quidem à ſui Principis pendere nutu & voluntate; & nihil non agere, quod ipſius expedire commodis inprimis judicabit; deinde & alteri pariter, ad quem miſſus fuit, Principi omni officio ſatisfeciſſe. At verò, ſi fortè id, cujus rei gratiâ legatus petitum eſt miſſus, obtinuerit, ut univerſæ rei atq; tractationi finem quamprimùm imponat, nihil moræ interponet; ſed quę promiſſa ipſi fuerint, literis conſignabit; & quoad ejus optimè fieri poterit, acta confecta efficiet firmiora, ne res controverſa ſemel deciſa inſtar morbi recrudeſcat, curatuque fiat difficilior. *Semper enim nocuit differre paratis*; ac proinde *præſtat in conficiendis negotiis maturâ quâdam celeritate, quàm ſupinâ uti tarditate.* Præpropera ſiquidem cele-

ritas inimica est consilio; at procrastinatio o
mnium & consiliorum & actionũ est perturba
trix. Responso à Principe accepto, salutatis per
humaniter omnib. & prætermissis quibuscunq
confabulationibus, domũ se legatus recipiat, &
demum aulæ proceres atq; consiliarios, aliorũq
externorum Principum legatos, non tamen, qu
ipsi multis gradib. inferiores sunt, ne Principis su
authoritati detrahat, domi ipsorũ visitet atq; al
loquatur. Quòd si priùs ab aliquo visitatᵘˢ fuerit
pari humanitate vicissim respondeat, nec se offi
cio superari patiatur. Sic n. & aulæ procerũ con
ciliabit sibi benevolentiã, & ad Principis sui ho
redundat gloriã, & ad aliorũ procul dubio grati
struitur ipsi via maximè compendiaria. Nitidę a
& magnificæ sint legatorũ mensæ, personentq; a
cutè dictis, & excellentiũ scriptorũ monumẽtis
Absit verò intẽperans aut procax locutio, & qua
aliorũ existimationem rodat, calumniãdi libido
absint & Gnathonũ, & parasitorum greges, cau
ponantium item mores & clamores, obscœnæq
omnes exulẽt voces, ne quę una, Regib. inprimis
eorumq; legatis odio esse debet, participes fian
levitatis; absit deniq; tam à legato ipso, quàm a
ipsius domo, blasphemandi, garriendi, insanien
di, & quicquid collibuerit, agendi consuetudo.

Cæterùm frequentibus comessationib. volu
ptatibusq; aut nimiis, aut illicitis, nec privatim
nec publicè indulgeat; nec in turbam se det fre
quenter

quenter; quod utrumq; contemptũ legato parit, sed domi majore ex parte se contineat; & ut paucis dicamus, *amicum omnibus, familiarem se præstet nemini; in privatis deniq; rebus humanitatem, in publicis retineat dignitatem.*

Cęterùm cùm ex legatorũ moribus ipsi Principes vulgò æstimentur, præter prudentiam in legato permultum quoq; valet authoritas & gravitas morũ facilitate condíta; quę ad suadendum & persuadendum aptissima, & consistit partim in forma corporis dignitati congruente; quæ aptâ membrorum compositione movet oculos, & vel hoc ipso delectat, quòd omnes partes cum quodam lepore inter se cõsentiant; partim in generis nobilitate, partim deniq; in ætate, in qua seniores præferendi sunt junioribus; utpote in quibus ingenium sapientiâ validius habetur. Contrà adolescentum animi parum plerunque providi, molles & ætate fluxi, dolis illecebrisq́; voluptatũ facilè capiuntur; ideóq; non modò à consiliis & legationibus, sed omnino à Rep. sunt amovendi.

Cùm aliquando Romani in Bithyniam tres misissent legatos, qui inter Nicomedem filium, & Prusiam patrem, domesticam discordiã componerent, quorum unus caput habebat multis cicatricibus sparsum; alter pedib. laborabat; qui reliquus erat, stupido habebatur ingenio; in eos M. Cato haud insulsè cavillans, *legationem istam capite, pedibus & corde carere dixit*; ut author est Sabellicus lib. 9. Enneadis 5, ex Plutarchi Catone.

Olivarius Tonſor, Ludovici XI. Galliarum regis (*a. C. 1477.*) legati nomine cum literis miſſus ad Gandavenſes, propter generis obſcuritatem, (originem nempe habebat ex quodā vico prope Gandavum,) & ineptum ſermonem tanto cum ludibrio & indignatione exceptus fuit; ut niſi clàm fugâ ſalutem quæſiviſſet, in flumen fuiſſet abjectus, teſte Cominæo lib. 8.

Venetorum quoque legatos duos juvenes, ætate eorum offenſus Fridericus III. Imperator, in conſpectum prodire vetuit. Illi extra ordinē, privatim aditu impetrato; Si ſapientiæ & prudentiæ vis, inquiunt, in barba & canis ſita eſſet, ſenatus Venetus tibi, Imperator, loco noſtro duos hircos egregiè barbatos miſiſſet. Superba hæc reſponſio ſuſpicionem Cæſaris magis confirmavit; ut author eſt Ægidius Corrozetus de dictis & factis memorabilibus.

Cùm anno 1530. Carolus V. Cæſar ex fœdere cum Pontifice Clemente ſeptimo, contra Florentinos percuſſo, Mediceos in patriam reducturus, Florentiam obſidionę diuturnâ premeret; ea fuit pertinacia civium, populari ſtatui faventiū, ut crudeli pœnâ ſæviretur in eos, qui pacem amplectendam liberiùs dicerent.

Tandem verò Philippo Meliore, honeſto in Rep. juvene, è ſuggeſtu apud ſenatum frequentiſſimè perorante, & pacem accipiendam ſuadente, patres legatos omnino mittendos ad Pontificem,

tificem, decreverunt. Sed ea præpedientium malignitas fuit, ut non hi, quos negotii magnitudo flagitabat, sed levissimæ alioquin authoritatis, verùm egregiè populares, homines legerentur.

Hi fuêre Aloysius Soderinus, qui nihil usque adeò gravi negotio dignum ab usu rerum præter familiæ nomen præferebat; Andreotus Nicolinus, assiduus & diligens potiùs mercator, quàm senator; & Robertus Pontius, quem jam pridem Thomæ Soderini soceri propinquitas, quò minùs enixè concordiæ studeret, maximè suspectum faciebat. Hos, ubi Bononiam pervenerunt, Pontifex, quòd nec satis dignitatis, nec satis industriæ sinceræque voluntatis & fidei in his conspiceretur, adeò contempsit, ut effusè rideret, quòd ad se pro eximiis senatoribus mercatores, nec primæ quidem classis, è Florentiâ misissent. Nam quod ad elevandam legationis existimationem maximè pertinuit, apparitores, ministriq; vectigalium Bononiensium, in ipsorum sarcinis nexi auri filorum, ad telas aureas texendas, magnam vim, mercimonii causâ, ut portorium subterfugerent, deprehenderant. Quæ calliditas inepta in negotio longè gravissimo, tanquam involuta tenuissimi lucri sordibus, eò validiùs ridenda fuit; quòd nihil certi ad conficiendam pacem prolatis mandatis attulissent; atque ita Clemens, ridente etiam Cæsare, mercatorum

avaritiam atque imperitiam in maximarum rerum consilio periculoq; ad exiguam lucri spem revocatam, stomachatus; pertinaciam insaniæ proximam exprobravit, ut in se non obscurè explosi dimitterentur; teste Jovio libr. 28. historiar. Et quis enim non ægerrimè ferat, in tanta nobilium virorum regni corona ad se mitti, nunc facie deturpatos, nunc obscuros, nunc ineptos, nunc stupidos?

Horum in numero quoque annumerandus Orator iste populi Florentini, ad Johannam reginam Neapolitanã missus, Franciscus quidam, JCtus professione, re ipsâ admodum indoctus, cujus Poggius meminit in facetiis. Hic cùm Reginæ quædã mandata exposuisset, postridieq; ad eam reverti jussus, audisset interim, Reginam haud aspernari viros formâ cõspicuos; reversus, multis ultrò citróq; dictis, tandem se cum ea secretiora quædam velle dixit. Tum Regina, cùm hominem in remotius conclave deduxisset, existimans aliquid esse occultius, quod communicandum cum pluribus non esset; stultus ille, qui sibi de propriâ formâ plurimum persuaserat, Reginam concubitus postulavit. Tum illâ nihil immutatâ, vultum hominis inspiciens comiter; numquid, ait, hoc tibi Florentini in mandatis quoque dedere? Tacentem atque erubescentem deinde oratorem, quòd tale mandatum exhibere nullo modo posset, impunem abire à se absque

absque indignatione jussit. Quàm verò his omnibus aptior & prudentior, legatus ad Pyrrhū, Cajus Fabricius, cujus tanta apud hostem fuit dexteritas atque authoritas, ut non solùm impetrarit omnia, quorum gratiâ profectus fuerat, sed ultrò magnam rei partem, si modò vellet, donato acceperit; teste Plutarcho in ejus vita.

Tantum momentum solet esse in utroque legatorum genere, vel ad perficiendas res commissas, vel ad evertendas.

FLOS VIII.

Legati aures sint & oculi regnorum.

EST & prudentis legati, totius aulæ, ejusdemque procerum & familiarium investigare mores, statum, rationes conditionesque universas, & tam munera, quàm munerum ipsorum expiscari momenta, omnemque adeò magistratuum potestatem; ut, quantum cuique tribuendum, qua re & quomodo gratificandum, quid denique ab unoquoque expectandum sit, intelligat. Sed & bello quoque exorto, *ut ne hostium quidem repudiandi sunt legati*; ita vicissim ad eos nostri ablegandi, qui diligentissimè observent, quid quovis tempore

geratur, & qui cum quibus colloquantur. Ne
enim ullus,quamvis providus & fidus,explora
tor tantam habere potest facultatem tam mult
cognoscendi,quantam ejusmodi legati; qui cùn
sint unus & alter, aut etiam plures,fieri non po
test,quin aliquid odorentur. *Nam qui sunt pru
dentiores Principes,id operam dant,ut etiam apu
adversarios habeant quosdam à se non alienos*, u
prudenter Cominæus monet lib.4.comment.

Sic nimirum Majorianus,qui Avito defunct
Imperator designatus est Ravennæ,à Valentinia
no III.Imperatore*(a.C.442.)* legatus missus i
Africam ad Vandalos, pacis causâ; explorato
rem insuper egit; & ne ab hostibus agnitus ci
cumveniretur, nomen mutavit, & capillos flav
colore tinxit,teste Cuspiniano in Cæsaribus.

Pari modo, cùm (*anno Christi 940.*) Berer
garius, Adelberti Eporediæ Marchionis filiu
Hugonis,regis Italiæ,metuens insidias,ad Otto
nem Magnum Imperatorem confugisset; sexer
nio pòst missus ab eo in Italiam Amedius qu
dam explorandi causâ,mutato ornatu,iis qui re
ligionis causâ Romam petebant,se junxit; in I
taliam profectus,singulos Principes convenit,&
quid eorum sit consilii ac voluntatis,exquisivi
neque tamen omnibus eodem habitu se obtuli
verùm aliis atrum,aliis album, aliis alio colo
se ostendit. Hoc ubi fortè ad aures Hugonis a
cidit, jussit hominem conquiri, & statim con

pr

prehendi. Verùm ille, quâ erat versutiâ præditus, omnes ejus insidias facilè elusit; quin etiam barbâ, quam nitentem alebat, pice fœdatâ, & capillis fulvis atratis, & facie pollutâ, cùm se debilem simulasset; nudus inter pauperes, in conspectu Regis vescentes, obversatus, neque agnitus ab eo, vestem tulit, & quicquid de se & Berengario loqueretur, excepit. Quibus actis, quòd claustra Alpium custodiri ab eo, atque viatores excuti accepisset; per invia atque aspera loca trajecit; atque ad Berengarium cum legatione salvus pervenit. Ita Berengarius, cùm se desiderari ab Italis cognovisset, cum paucis per venustam vallem in Italiam transiit; ut author est Sigonius lib 5. regni Italici.

Ita verè Legati & oculi & aures sunt regnorum, quod Guicciardinus lib. 15. historiar. notat.

Flos IX.

Constantia & παῤῥησία, pii legatorum erga Principem & patriam candoris index.

SEd & in legato necessariò nunquam satis laudata requiritur fortitudo animi, *quæ muri adamantini instar est*, cum prudentiâ tamen conjuncta; ut susceptâ legatione dispiciat, qua-

tenus ipsi sit progrediendum, & quibus in rebus, & quomodo, & quando fortitudine & παῤῥησίᾳ uti debeat. Nonnunquam enim cauta consilia, quàm elata sequi; & parere potiùs necessitati, quàm indulgere appetitui aut perversæ voluntati, præstiterit. Multi enim, inprimis verò Principes, tenellam habent cuticulā, qui aculeatum legati sermonē & facillimè sentiunt, & ægerrimè patiuntur. Exarsit aliquando inter Cruciferos & Polonos bellum (*a.C.1410.*) Nicolao Curovio Archiepisco Gnesnensi, apud magistrū Ordinis legationem his verbis peragente: *Desinas nos bello terrere: si tu arma contra Lituanos ceperis, vicissim arma nostra tua domi habebis*; teste Cromero lib.16.

Et notatus est Caroli V. Cæsaris legatus, Didacus Mendoza, qui Venetiis in senatu, quasi ex abrupto ita peroravit (*an.C.1526.*) Audio, inter Cæsarem meum, & Galliarum regem, vos alere velle bellorū incensionem, & Galli partes sequi; non est, quòd ejusmodi consilia & molitiones agitetis; vidi ego hodie ante hoc vestrū proximè palatium alborum lapillorum acre certamen, quibus ova præ invidiâ confestim se immiscuerunt, & minutissima in frusta concisa sunt; cùm illud, quod lapides facere poterant, præstare se posse judicassent. Molestissimè hoc Veneti tulerunt, monentes legatum, *ne istâ loquendi libertate apud eos uteretur; nec dubitaret, eam Rem-*

publicam

publicam, quæ mille ſtetiſſet annis, factorum ſuorum rationem optimè noſſe.

Sic & Dominicus Piſanus, Venetus Orator, apud Pontificem Julium ſecundū, hoc minante, ſe Imperium Venetum everſurum, cùm reſponderet, *Pontificem ipſum, vilem Clericum Venetorum operâ evaſurum*; hoc dicto ita commotus fuit Pontifex, ut fœdus cum Cæſare & Gallo Cameraci inierit, quo totum Venetorum Imperium extremè periclitatum fuit; ut author eſt Egnatius lib. 9. c. 5.

Parum quoque abfuit, cùm Spigneus Cardinalis, Polonorum legatus, Sigiſmundo, regi Hungariæ, Caroli IV. filio, Budæ quædam exprobraret, quin illorum pœnam capitis periculo exſolverit. *Non enim temere dicendi poteſtate conceſsâ abutendum legato, nec in quemquam invehendum; ſed ſi fortè quid liberiùs dicendum, vitia, non homines, notabit.* Vulnera quidem cicatrice obducuntur: at verba in alicujus famam prolata frequenti memoriâ recrudeſcunt. Quis ergo non improbaret Demochāris, ob nimiam & procacem linguam parrheſiaſtis appellati, ruſticitatem? cujus meminit Seneca libr. 3. de irâ cap. 23. Hic inter alios Athenienſium legatos ad Philippum Macedonem, acerbum quidem, ſed occultum illorum hoſtem venerat; qui, auditâ benignè legatione,

Dicite, inquit, mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares; Ut te suspendas. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est; quos Philippus conticescere jussit, & Thersitem istum salvum incolumemque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus, multò superiores esse, qui ista dicta audiunt, quàm qui impunè dicunt. Et haud scio, an etiam probanda sit Popilii ista audacia, qui à senatu quidem Romano literas Antiocho regi Syriæ attulit, quæ eum jubebant exercitum ex Ægypto abducere, neque regnum pupillorum Ptolomæi, vitâ defuncti, usurpare; sed quâ epistolâ lectâ, cùm, deliberatione habitâ, responsurum se rex diceret; eminus eum hic circulo circumscripsit, prohibens inde pedem efferre, priusquam responderit, teste Justino lib. 43.

Est quidē legatis authoritas suorū Principum defendenda, sed tamen sine arrogantiâ & immodestiâ: Et licet libertas loquendi alicubi est necessaria; hac tamen ipsâ, nec peræquè singulis, nec omni loco & tempore, nec sine delectu & freno expedit uti; imò &, *si duriora fuerint legatis injunctæ mandata, prudenti temperamento mitiganda sunt*.

Quantò rectiùs ergo Polycrates, teste Plut. in Lycurgo & in Laconicis, cum cæteris missus orator ad præfectos regios, cùm ab his interrogaretur,

retur, utrùm privatim venissent, an publicè missi? *Si impetramus*, inquit, *publicè; sin minùs, privatim.* Quæ vox pii candoris in patriam fuit index. Etenim si cessisset legatio ex sententiâ, gloriam volebat Reip. cedere; sin minùs, ignominiam repulsæ ad patriam non pertinere.

Rectè quoq; Megacles Messanæ, quæ in Sicilia est, civis fortissimus, Agathocli tyranno, eam invadere conanti, modis omnibus adversatus; cùm à tyranno Messanam oppugnaturo, dedi sibi exposceretur, ultrò se ad tradendum ipsi obtulit, si legatus mitteretur. Decernentibus hæc Messeniis, accedens ille ad Agathoclē; Ego verò, inquit, & legatus civitatis nomine venio, & moriturus; sed antè de legatione cum amicis audias. Concilio convocato, Megacles patria jura percensens, extremum attulit: Si ad exscindendas Syracusas expeditionem Messenii suscepissent, an pro Messeniis omnia faceres? Subridens Agathocles, relicto bello Megaclem incolumem domum remisit, amicitiamque cum Messeniis iniit, ut author est Polyænus lib. 5.

Non improbanda quoque est παῤῥησία Democriti Abderitis, qui, cùm pro Atheniensibus apud Philippum Macedonem legatione fungeretur, liberéq; loqueretur, interroganti ipsi, num metueret, ne sibi caput ipse jubeat amputari? Minimè verò, respondit. Nam si hoc mihi abstuleritis, patria ipsa mihi immortale pro hoc re-

ponet, ut est apud Maximum serm. 31. Sic
Thercylides Lacedæmonius, à Spartano popul
missus ad Pyrrhum regem legatus, cùm eun
Pyrrhus gravibus verbis urgeret, ut Lacedæmo
nii Cleonymum regem, quem expulerant, in re
gnum reciperent; nullâ illius dignitatis ration
habitâ respondit; Si Deus es, nobis, qui justan
causam fovemus, minimè timendus es; sin ho
mo, tantopere nobis à te formidandum non es
teste Plut. in Laconicis.

Germanorum legatos gladium aliquando A
lexandro Magno obtulisse, memorat Aventinu
lib. 1. annal. quos convivio adhibitos cùm Ale
xander, quidnam maximè timerent? (ratus, se, di
cturos) interrogaret; nihil aliud, Rex præstantissi
me, responderunt, quàm ne cælum in nos ruat
Marcum Crassum, teste Plut. in ejus vita, contr
Parthos proficiscentem, adierunt Arsacis lega
hujusmodi oratione; Si missus à populo Roma
no exercitus esset, gesturum ipsum implacabil
& inexpiabile bellum; sin patriâ invitâ, priva
quæstus gratiâ, Crassus arma Parthis intulisset,
urbes occupasset; acturum Arsacem moderatè,
Crassi senectutis misertum, populoque Ro
mano milites, quos obsessos teneat potiùs, quàn
in præsidio locatos, remissurum. Ad ea Crass
jactante, Seleuciæ se responsum daturum, ex le
gatis Vagises, qui cæteros ætate anteibat, ridens
manus supinæ ostensâ volâ; *Hinc priùs*, inqui
pil

pili, Crasse, exorientur, quàm tu aspicias Seleuciam. Atque ita ad regem Hieronem discessere Arsacis filii, bellandum esse nunciantes.

Non dissimili ferè modo Scarbicus, Comes Polonus, legatus ad Henricum V. Imperatorem, cùm ei Cæsar ingentem thesaurum monstrasset, subjiciens hic Polonus per jocum, annulo, quem digito gerebat, in thesaurum projecto; *aurum*, inquit, *adjiciamus auro*; stultam scil. Cæsaris jactantiam notans. Hoc scomma Cæsar gratias agendo elusit; (Hab danck/ inquiens linguâ Germanicâ.) Inde familiæ nomen mansit, ut Habdanci dicantur, teste Cromero lib. 5.

Ex his & similibus exemplis planum fit, *legatorum παῤῥησίαν nonnunquam tolerari, sed mordaces & contumeliosas linguas semper & ubique coherceri:* ac proinde enixè cavendum esse legato, ne Principis, ad quem missus est, titulis aut juribus, tam dicto, quàm facto, vel tantillum detrahat, sed eum potiùs observet & revereatur; imò & quantascunque ejus injurias non solùm patienter, *sed hilari queq; fronte perferat*.

Sæpè namque accidit, ut potentior injuriam injuriâ cumulet, quam ubi patienter ferri videt, conscientiâ propriâ victus, beneficio eam obliterare desiderat. Probè hoc intellexit Franciscus Tandulus, Venetorum orator, in Galliam ad Clementem VII. Pontificem missus, ut eum infestiorem Veneto nomini, propter Ferrariam

receptam placaret; qui, cùm multa & varia secum agitasset consilia, neque à Pontifice iratiore quicquam impetraret, quadrupes effectus, catenâque ferreâ collum nexus, ad Pontificis prandentis pedes canis in morem sese substravit; quo novo spectaculo Pontifex attonitus, illum in gratiam recepit, Venetoque nomini injuriam remisit, teste Egnatio lib. 6. c. 2.

FLOS X.

Legati magnanimi ἄδωροι sunt, & liberales.

CORinthiorum legati ad Dionysium seniorem, Syracusanorum tyrannum, missi, cùm ille pro more amplissima eis dona obtulisset, planè recusabant, eò quòd Lex esset apud ipsos, ne legatione fungentes munera acciperent à Principe. Quibus Dionysius respondit; *Rem profectò absurdam facitis, qui, quod unum bonum habent, tyrannis hoc tollitis; dum docetis, etiam beneficium à tyrannis accipere, periculosum esse.* Adeò gravem judicabat Rex esse contumeliam, oblata recusare munera; *cùm hac unicâ re tyranni aliis se commendare possint*, ut scribit Plutarchus in apoph. Idem & apud Athenienses lege interdictum fuit.

Unde & legatus quidam, licet honorificam

proba-

probatiſſimamq; omnibus Athenienſibus cum Artaxerxe Mnemone, Perſarum rege, confecerat pacem; (*anno M. 3606.*) quia tamen in legatione munera accepiſſe viſus fuerat, parum abfuit, quin occideretur; ut teſtatur Xenophon lib. 7. rerum Græcarum.

Sic & apud Romanos Cajus Fabricius, honoribus & authoritate omni cive temporibus ſuis major, cenſu par unicuique pauperrimo, cum aliis legatus miſſus ad Pyrrhum de redimendis captivis (*anno Mundi 3692.*) contendente Pyrrho, ut aurum à ſe acciperet, nullam quidem ob rem turpem, verùm ut eſſet amicitiæ & hoſpitii pignus, prorſus abnuit, ut author eſt Plutarchus in Pyrrho.

Quintus Fabius verò Gurges, Cnei Fabii pictores, & Quintus Ogulnius, legati ad Ptolomæum regem miſſi (*a. M. 3695.*) munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs, quàm ad ſenatum legationem referrent, detulerunt; de publico ſcil. miniſterio nihil cuiquam, præter laudem bene adminiſtrati officii, accedere debere judicantes, teſte Val. Max. lib. 4. cap. 3.

Idem in Venetorum Rep. *veteri libertatis domicilio, & virtutum omnium armamentario,* obſervari teſtatur Hermolaus Barbarus de Rep. Venetorum, & Jovius in Iconibus affirmat, Ducem Moſcovitarum, legatis ad ſe redeuntibus,

genus alia, ad divinam gloriam Reiquepub. utilitatem conservandam.

FLOS XI.

Legatus spectatæ esto fidei, & verax; nec mandatorum suorum fines perfidè transsiliat.

LEgatus præterea animum in fronte,& candorem gestet in pectore; noritq;, fide in ipso nihil esse præclarius, magisque memoriæ hominum sempiternæ commendatum. *Fides siquidem* juxta vetus illud verbum, *obligat fidem*; omniumque contractuum, fœderum, pactorum, omnis denique societatis & amicitiæ vinculum est arctissimum, ipsiusque justitię fundamentum firmissimum.

Fidem itaq; suo Principi debitam non modò omnibus modis probabit legatus; sed & operam dabit sedulò, ne apud eum quoq; Principem, ad quem missus est, in suspicionem aliquam sinistrę fidei aut levitatis incurrat. Accidit nimirum hoc Morono Cardinali, Gregorii 13. Pontificis Romani, ad Maximilianum II. Imperatorem, in comitiis Ratisponensibus legato; cujus medicus, cùm ibidem Stephani Battorii, Cæsaris æmuli, eodem illo tempore in regem Poloniæ inaugu-

augurati, legatos inviſeret; ilicò non levem ſuſpicionem præbuit, quaſi de omnibus iis, quæ inter Cæſarem & Pontificium legatum acta eſſent, redditi fuiſſent certiores.

Quo nomine quoque cum Morono Cæſar expoſtulavit vehementiùs, & cùm hujus ſuſpicionis ergo, tum quòd ſuum quoque legatum ad Gedanenſes profectum, in Polonia violatum audierat. Stephani Regis legatos Ratisponâ abeũtes juſſerat in itinere detineri; qui tamen, Cæſare vitâ functo, ſtatim ſunt dimiſſi. Non itaque ſolùm rectè facti legato ſuffecerit conſcientia, ſed nec ullam præbeat occaſionem, de ſe ſiniſtrè ſuſpicandi; imò & ut ipſe non falli, ita nec alios fallere velit, qui ſuæ perſonæ atq; authoritati confidunt. Quo ſanè nomine malè audit Johannes Monlucius, à Sigiſmundi Auguſti, regis Poloniæ morte (*a.C.1571.*) Caroli IX. Galliarum regis in Polonia legatus; qui, ut Henricum Valeſium, regis ſui fratrem crearent Regem, aureos montes non modò Ordinibus, ſed & hominibus penè promiſerat univerſis; tandemque cùm Cracovię (*a.C.1573.*) Rex inaugurandus eſſet, nuſquam in regio comitatu inter cæteros proceres comparuit; ideoque cœnobii prefectus per jocum & ludibrium à non nemine appellatus eſt. A vanis ergo promiſſis, quę præſtare nec poteſt, nec vult, omnino non ſolùm ipſi abſtinendum, ſed & hoc multò magis fideli cavendum legato, ne eos, qui

Dicite, inquit, mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares; Ut te suspendas. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est; quos Philippus conticescere jussit, & Thersitem istum salvum incolumemque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus, multò superiores esse, qui ista dicta audiunt, quàm qui impunè dicunt. Et haud scio, an etiam probanda sit Popilii ista audacia, qui à senatu quidem Romano literas Antiocho regi Syriæ attulit, quæ eum jubebant exercitum ex Ægypto abducere, neque regnum pupillorum Ptolomæi, vitâ defuncti, usurpare; sed quâ epistolâ lectâ, cùm, deliberatione habitâ, responsurum se rex diceret; eminus eum hic circulo circumscripsit, prohibens inde pedem efferre, priusquam responderit, teste Justino lib. 43.

Est quidē leg[illegible] authoritas suorū Principum defendend[illegible]men sine arrogantiâ & immodest[illegible]bertas loquendi alicubi est nec[illegible] ipsâ, nec peræquè singulis, [illegible]mpore, nec sine delectu & [illegible] im[illegible] *duriora fuerint* [illegible] *man*[illegible]*ti temperamento* [illegible]

[illegible]rates, teste Plut. in [illegible] cæteris missus o- [illegible]m ab his interroga- retur,

retur, utrùm privatim venissent, an publicè missi? *Si impetramus*, inquit, *publicè; sin minùs, privatim.* Quæ vox pii candoris in patriam fuit index. Etenim si cessisset legatio ex sententiâ, gloriam volebat Reip. cedere; sin minùs, ignominiam repulsæ ad patriam non pertinere.

Rectè quoq; Megacles Messanæ, quæ in Sicilia est, civis fortissimus, Agathocli tyranno, eam invadere conanti, modis omnibus adversatus; cùm à tyranno Messanam oppugnaturo, dedi sibi exposceretur, ultrò se ad tradendum ipsi obtulit, si legatus mitteretur. Decernentibus hæc Messeniis, accedens ille ad Agathoclē; Ego verò, inquit, & legatus civitatis nomine venio, & moriturus; sed antè de legatione cum amicis audias. Concilio convocato, Megacles patria jura percensens, extremum attulit: Si ad exscindendas Syracusas expeditionem Messenii suscepissent, an pro Messeniis omnia faceres? Subridens Agathocles, relicto bello Megaclem incolumem domum remisit, amicitiamque cum Messeniis iniit, ut author est Polyænus lib. 5.

Non improbanda quoque est παῤῥησία Decriti Abderitis, qui, cùm pro Atheniensibus Philippum Macedonem legatione fungeberéq; loqueretur, interroganti ipsi, num ne sibi caput ipse jubeat amputari? Mi- respondit. Nam si hoc mihi abstu- ipsa mihi immortale pro hoc re-

ponet, ut eſt apud Maximum ſerm. 31. Sic & Thercylides Lacedæmonius, à Spartano populo miſſus ad Pyrrhum regem legatus, cùm eum Pyrrhus gravibus verbis urgeret, ut Lacedæmonii Cleonymum regem, quem expulerant, in regnum reciperent; nullâ illius dignitatis ratione habitâ reſpondit; Si Deus es, nobis, qui juſtam cauſam fovemus, minimè timendus es; ſin homo, tantopere nobis à te formidandum non eſt, teſte Plut. in Laconicis.

Germanorum legatos gladium aliquando Alexandro Magno obtuliſſe, memorat Aventinus lib. 1. annal. quos convivio adhibitos cùm Alexander, quidnam maximè timerent? (ratus, ſe, dicturos) interrogaret; nihil aliud, Rex præſtantiſſime, reſponderunt, quàm ne cælum in nos ruat. Marcum Craſſum, teſte Plut. in ejus vita, contra Parthos proficiſcentem, adierunt Arſacis legati hujusmodi oratione; Si miſſus à populo Romano exercitus eſſet, geſturum ipſum implacabile & inexpiabile bellum; ſin patriâ invitâ, privati quæſtus gratiâ, Craſſus arma Parthis intuliſſet, & urbes occupaſſet; acturum Arſacem moderatè, & Craſſi ſenectutis miſerturum, populoque Romano milites, quos obſeſſos teneat potiùs, quàm in præſidio locatos, remiſſurum. Ad ea Craſſo jactante, Seleuciæ ſe reſponſum daturum, ex legatis Vagiſes, qui cæteros ætate anteibat, ridens, manus ſupinæ oſtensâ volâ; *Hinc priùs*, inquit,

pili,

pili, Crasse, exorientur, quàm tu aspicias Seleuciam. Atque ita ad regem Hieronem discessere Arsacis filii, bellandum esse nunciantes.

Non dissimili ferè modo Scarbicus, Comes Polonus, legatus ad Henricum V. Imperatorem, cùm ei Cæsar ingentem thesaurum monstrasset, subjiciens hic Polonus per jocum, annulo, quem digito gerebat, in thesaurum projecto; *aurum*, inquit, *adjiciamus auro*; stultam scil. Cæsaris jactantiam notans. Hoc scomma Cæsar gratias agendo elusit; (Hab danck/inquiens linguâ Germanicâ.) Inde familiæ nomen mansit, ut Habdanci dicantur, teste Cromero lib. 5.

Ex his & similibus exemplis planum fit, *legatorum παῤῥησίαν nonnunquam tolerari, sed mordaces & contumeliosas linguas semper & ubique coherceri:* ac proinde enixè cavendum esse legato, ne Principis, ad quem missus est, titulis aut juribus, tam dicto, quàm facto, vel tantillum detrahat, sed eum potiùs observet & revereatur; imò & quantascunque ejus injurias non solùm patienter, *sed hilari queq; fronte perferat.*

Sæpè namque accidit, ut potentior injuriam injuriâ cumulet, quam ubi patienter ferri videt, conscientiâ propriâ victus, beneficio eam oblitterare desiderat. Probè hoc intellexit Franciscus Tandulus, Venetorum orator, in* Galliam ad Clementem VII. Pontificem missus, ut eum infestiorem Veneto nomini, propter Ferrariam

receptam placaret; qui, cùm multa & varia secum agitasset consilia, neque à Pontifice iratiore quicquam impetraret, quadrupes effectus, catenâque ferreâ collum nexus, ad Pontificis prandentis pedes canis in morem sese substravit; quo novo spectaculo Pontifex attonitus, illum in gratiam recepit, Venetoque nomini injuriam remisit, teste Egnatio lib. 6. c. 1.

FLOS X.

Legati magnanimi ἄδωροι sunt, & liberales.

CORinthiorum legati ad Dionysium seniorem, Syracusanorum tyrannum, missi, cùm ille pro more amplissima eis dona obtulisset, planè recusabant, eò quòd Lex esset apud ipsos, ne legatione fungentes munera acciperent à Principe. Quibus Dionysius respondit; *Rem profectò absurdam facitis, qui, quod unum bonum habent, tyrannis hoc tollitis; dum docetis, etiam beneficium à tyrannis accipere, periculosum esse.* Adeò gravem judicabat Rex esse contumeliam, oblata recusare munera; *cùm hac unicâ re tyranni aliis se commendare possint*, ut scribit Plutarchus in apoph. Idem & apud Athenienses lege interdictum fuit.

Unde & legatus quidam, licet honorificam

proba-

probatissimamq; omnibus Atheniensibus cum Artaxerxe Mnemone, Persarum rege, confecerat pacem; (*anno M. 3606.*) quia tamen in legatione munera accepisse visus fuerat, parum abfuit, quin occideretur; ut testatur Xenophon lib. 7. rerum Græcarum.

Sic & apud Romanos Cajus Fabricius, honoribus & authoritate omni cive temporibus suis major, censu par unicuique pauperrimo, cum aliis legatus missus ad Pyrrhum de redimendis captivis (*anno Mundi 3692.*) contendente Pyrrho, ut aurum à se acciperet, nullam quidem ob rem turpem, verùm ut esset amicitiæ & hospitii pignus, prorsus abnuit, ut author est Plutarchus in Pyrrho.

Quintus Fabius verò Gurges, Cnei Fabii pictores, & Quintus Ogulnius, legati ad Ptolomæum regem missi (*a. M. 3695.*) munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs, quàm ad senatum legationem referrent, detulerunt; de publico scil. ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes, teste Val. Max. lib. 4. cap. 3.

Idem in Venetorum Rep. *veteri libertatis domicilio, & virtutum omnium armamentario,* observari testatur Hermolaus Barbarus de Rep. Venetorum, & Jovius in Iconibus affirmat, Ducem Moscovitarum, legatis ad se redeuntibus,

auferre solere omnia munera. Neque verò hæc carent ratione. Utriq; enim δωροφαγία, maxima Rerumpubl. pestis, pietatem Deo patriæque debitam, justitiam, fidem, magnanimitatē, aliasque pulcherrimas virtutes prostituit; *nec quicquam turpius, quàm eum, quem non modò facto, sed nec verbo violare fas est, muneribus posse corrumpere.* Nam qui semel munera acceperit, seque largitionibus patitur corrumpi, is jam non potest constans manere judex publicorum commodorum; quandoquidem sui ipsius dominum constituit, à quo pecuniam accipit. *Non concio*, inquit Æschines, *manu in sinum condità, habenda; sed legatio, eâdem manu in sinu retentâ, potiùs est obeunda.* Hæc utut vera sunt, nihilominus tamen & hîc locum habet Græcum illud adagium; οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων; *nec omnia, nec quovis tempore, nec omnibus.* Sunt enim quædam, quæ neutiquam decorum sit accipere; est deinde locus & tempus, quo pulchrum sit, oblatum munus recusare; sunt deniq; nonnulli, à quibus inhonestum sit admittere donum. *Distinguendum itaq; inter munera lautiora, quæ propterea dantur, ut legati corrumpantur, & inter ea, quæ honoris & benevolentiæ ergo dantur.* Quæ certè si quis quodam veluti contemptu aspernetur, Principique remittat, rusticitatis notam non levem incurret; quam ut effugiat, pro re & tempore munera legatus quidem accipiet, sed tum & dona

dona ferentes, & Principes ipsos, si tanti fuerint, rursus alacriter remuneretur. Ita nimirum in ore versabitur omnium, & ad munera crebrò sibi offerenda, vicissitudine humanitatis, invitatum excitabit non neminem. *Sic gratia gratiam parit*, ut Pindarus dixit. Absit tamen semper hîc & ubique inanis profusio. Uti enim, non abuti nostris regiisq; debemus opibus & muneribus; & cùm domi, tum foris esse continentes; idq; tam cunctis, quàm inprimis Regibus nostris probare, *qui dissolutis & profusis beneficia haud libenter largiuntur*.

Sic nimirum Ferdinandus Consalvus, cùm Ferdinando Hispaniarum regi Catholico, regno Neapolitano sub Gallis recuperando, multis annis egregiam navasset operam; tandem quarundam rerum insimulatus, & regni illius administrati, & tam perceptorum, quàm expensorum rationem reddere jussus, omnibus expensis parvâ quâdam schedâ consignatis, facilè obtinuit, ut & rei bene gestæ, & pecuniæ non malè locatæ memoriâ nihil magis ab ipso exigeretur. Ut enim magno constet, videtur constare modico publica quies, & regni possessio restituta. Sic & aliis interdum modis excusabitur profusio, si ejus constiterit ratio; cujusmodi fiunt ad Regum regnorumq; secretiora indaganda, ad eorum consiliarios corrumpendos, ad fomites bellorum impediendos, ad oppressos sublevandos; & id

tenus ipsi sit progrediendum, & quibus in rebus, & quomodo, & quando fortitudine & *παῤῥησίᾳ* uti debeat. Nonnunquam enim cauta consilia, quàm elata sequi; & parere potiùs necessitati, quàm indulgere appetitui aut perversæ voluntati, præstiterit. Multi enim, inprimis verò Principes, tenellam habent cuticulã, qui aculeatum legati sermonẽ & facillimè sentiunt, & ægerrimè patiuntur. Exarsit aliquando inter Cruciferos & Polonos bellum (*a.C.1410.*) Nicolao Curovio Archiepisco Gnesnensi, apud magistrũ Ordinis legationem his verbis peragente: *Desinas nos bello terrere: si tu arma contra Lituanos ceperis, vicissim arma nostra tua domi habebis*; teste Cromero lib.16.

Et notatus est Caroli V. Cæsaris legatus, Didacus Mendoza, qui Venetiis in senatu, quasi ex abrupto ita peroravit (*an.C.1526.*) Audio, inter Cæsarem meum, & Galliarum regem, vos alere velle bellorũ incensionem, & Galli partes sequi; non est, quòd ejusmodi consilia & molitiones agitetis; vidi ego hodie ante hoc vestrũ proximè palatium alborum lapillorum acre certamen, quibus ova præ invidiâ confestim se immiscuerunt, & minutissima in frusta concisa sunt; cùm illud, quod lapides facere poterant, præstare se posse judicassent. Molestissimè hoc Veneti tulerunt, monentes legatum, *ne istâ loquendi libertate apud eos uteretur; nec dubitaret, eam Rem-*

publicam

publicam, quæ mille stetisset annis, factorum suorum rationem optimè nosse.

Sic & Dominicus Pisanus, Venetus Orator, apud Pontificem Julium secundũ, hoc minante, se Imperium Venetum eversurum, cùm responderet, *Pontificem ipsum, vilem Clericum Venetorum operâ evasurum*; hoc dicto ita commotus fuit Pontifex, ut fœdus cum Cæsare & Gallo Cameraci inierit, quo totum Venetorum Imperium extremè periclitatum fuit; ut author est Egnatius lib. 9. c. 5.

Parum quoque abfuit, cùm Spigneus Cardinalis, Polonorum legatus, Sigismundo, regi Hungariæ, Caroli IV. filio, Budæ quædam exprobraret, quin illorum pœnam capitis periculo exsolverit. *Non enim temere dicendi potestate concessâ abutendum legato, nec in quemquam invehendum; sed si fortè quid liberiùs dicendum, vitia, non homines, notabit.* Vulnera quidem cicatrice obducuntur: at verba in alicujus famam prolata frequenti memoriâ recrudescunt. Quis ergo non improbaret Democharis, ob nimiam & procacem linguam parrhesiastis appellati, rusticitatem? cujus meminit Seneca libr. 3. de irâ cap. 23. Hic inter alios Atheniensium legatos ad Philippum Macedonem, acerbum quidem, sed occultum illorum hostem venerat; qui, auditâ benignè legatione,

Dicite, inquit, mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares; Ut te suspendas. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est; quos Philippus conticescere jussit, & Thersitem istum salvum incolumemque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus, multò superiores esse, qui ista dicta audiunt, quàm qui impunè dicunt. Et haud scio, an etiam probanda sit Popilii ista audacia, qui à senatu quidem Romano literas Antiocho regi Syriæ attulit, quæ eum jubebant exercitum ex Ægypto abducere, neque regnum pupillorum Ptolomæi, vitâ defuncti, usurpare; sed quâ epistolâ lectâ, cùm, deliberatione habitâ, responsurum se rex diceret; eminus eum hic circulo circumscripsit, prohibens inde pedem efferre, priusquam responderit, teste Justino lib. 43.

Est quidē legatis authoritas suorū Principum defendenda, sed tamen sine arrogantiâ & immodestiâ: Et licet libertas loquendi alicubi est necessaria; hac tamen ipsâ, nec peræquè singulis, nec omni loco & tempore, nec sine delectu & freno expedit uti; imò &, *si duriora fuerint legatis injunctæ mandata, prudenti temperamento mitiganda sunt.*

Quantò rectiùs ergo Polycrates, teste Plut. in Lycurgo & in Laconicis, cum cæteris missus orator ad præfectos regios, cùm ab his interrogaretur,

retur, utrùm privatim venissent, an publicè missi? *Si impetramus*, inquit, *publicè; sin minùs, privatim.* Quæ vox pii candoris in patriam fuit index. Etenim si cessisset legatio ex sententiâ, gloriam volebat Reip. cedere; sin minùs, ignominiam repulsæ ad patriam non pertinere.

Rectè quoq; Megacles Messanæ, quæ in Sicilia est, civis fortissimus, Agathocli tyranno, eam invadere conanti, modis omnibus adversatus; cùm à tyranno Messanam oppugnaturo, dedi sibi exposceretur, ultrò se ad tradendum ipsi obtulit, si legatus mitteretur. Decernentibus hæc Messeniis, accedens ille ad Agathoclē; Ego verò, inquit, & legatus civitatis nomine venio, & moriturus; sed antè de legatione cum amicis audias. Concilio convocato, Megacles patria jura percensens, extremum attulit: Si ad exscindendas Syracusas expeditionem Messenii suscepissent, an pro Messeniis omnia faceres? Subridens Agathocles, relicto bello Megaclem incolumem domum remisit, amicitiamque cum Messeniis iniit, ut author est Polyænus lib.5.

Non improbanda quoque est παῤῥησία Democriti Abderitis, qui, cùm pro Atheniensibus apud Philippum Macedonem legatione fungeretur, liberéq; loqueretur, interroganti ipsi, num metueret, ne sibi caput ipse jubeat amputari? Minimè verò, respondit. Nam si hoc mihi abstuleris, patria ipsa mihi immortale pro hoc re-

ponet, ut est apud Maximum serm. 31. Sic & Thercylides Lacedæmonius, à Spartano populo missus ad Pyrrhum regem legatus, cùm eum Pyrrhus gravibus verbis urgeret, ut Lacedæmonii Cleonymum regem, quem expulerant, in regnum reciperent; nullâ illius dignitatis ratione habitâ respondit; Si Deus es, nobis, qui justam causam fovemus, minimè timendus es; sin homo, tantopere nobis à te formidandum non est, teste Plut. in Laconicis.

Germanorum legatos gladium aliquando Alexandro Magno obtulisse, memorat Aventinus lib. 1. annal. quos convivio adhibitos cùm Alexander, quidnam maximè timerent? (ratus, se, dicturos) interrogaret; nihil aliud, Rex præstantissime, responderunt, quàm ne cælum in nos ruat. Marcum Crassum, teste Plut. in ejus vita, contra Parthos proficiscentem, adierunt Arsacis legati hujusmodi oratione; Si missus à populo Romano exercitus esset, gesturum ipsum implacabile & inexpiabile bellum; sin patriâ invitâ, privati quæstus gratiâ, Crassus arma Parthis intulisset, & urbes occupasset; acturum Arsacem moderatè, & Crassi senectutis misertururum, populoque Romano milites, quos obsessos teneat potiùs, quàm in præsidio locatos, remissurum. Ad ea Crasso jactante, Seleuciæ se responsum daturum, ex legatis Vagises, qui cæteros ætate anteibat, ridens, manus supinæ ostensâ volâ; *Hinc priùs*, inquit,

pili,

pili, Crasse, exorientur, quàm tu aspicias Seleuciam. Atque ita ad regem Hieronem discessere Arsacis filii, bellandum esse nunciantes.

Non dissimili ferè modo Scarbicus, Comes Polonus, legatus ad Henricum V. Imperatorem, cùm ei Cæsar ingentem thesaurum monstrasset, subjiciens hic Polonus per jocum, annulo, quem digito gerebat, in thesaurum projecto; *aurum,* inquit, *adjiciamus auro;* stultam scil. Cæsaris jactantiam notans. Hoc scomma Cæsar gratias agendo elusit; (Hab danck/inquiens linguâ Germanicâ.) Inde familiæ nomen mansit, ut Habdanci dicantur, teste Cromero lib. 5.

Ex his & similibus exemplis planum fit, *legatorum παῤῥησίαν nonnunquam tolerari, sed mordaces & contumeliosas linguas semper & ubique coherceri:* ac proinde enixè cavendum esse legato, ne Principis, ad quem missus est, titulis aut juribus, tam dicto, quàm facto, vel tantillum detrahat, sed eum potiùs observet & revereatur; imò & quantascunque ejus injurias non solùm patienter, *sed hilari quoq; fronte perferat.*

Sæpè namque accidit, ut potentior injuriam injuriâ cumulet, quam ubi patienter ferri videt, conscientiâ propriâ victus, beneficio eam oblitterare desiderat. Probè hoc intellexit Franciscus Tandulus, Venetorum orator, in Galliam ad Clementem VII. Pontificem missus, ut eum infestiorem Veneto nomini, propter Ferrariam

receptam placaret; qui, cùm multa & varia secum agitasset consilia, neque à Pontifice iratiore quicquam impetraret, quadrupes effectus, catenâque ferreâ collum nexus, ad Pontificis prandentis pedes canis in morem sese substravit; quo novo spectaculo Pontifex attonitus, illum in gratiam recepit, Venetoque nomini injuriam remisit, teste Egnatio lib. 6. c. 2.

Flos X.

Legati magnanimi ἄδωροι sunt, & liberales.

Corinthiorum legati ad Dionysium seniorem, Syracusanorum tyrannum, missi, cùm ille pro more amplissima eis dona obtulisset, planè recusabant, eò quòd Lex esset apud ipsos, ne legatione fungentes munera acciperent à Principe. Quibus Dionysius respondit; *Rem profectò absurdam facitis, qui, quod unum bonum habent, tyrannis hoc tollitis; dum docetis, etiam beneficium à tyrannis accipere, periculosum esse.* Adeò gravem judicabat Rex esse contumeliam, oblata recusare munera; *cùm hac unicâ re tyranni aliis se commendare possint*, ut scribit Plutarchus in apoph. Idem & apud Athenienses lege interdictum fuit.

Unde & legatus quidam, licet honorificam proba-

probatissimamq; omnibus Atheniensibus cum Artaxerxe Mnemone, Persarum rege, confecerat pacem; (*anno M. 3606.*) quia tamen in legatione munera accepisse visus fuerat, parum absuit, quin occideretur; ut testatur Xenophon lib. 7. rerum Græcarum.

Sic & apud Romanos Cajus Fabricius, honoribus & authoritate omni cive temporibus suis major, censu par unicuique pauperrimo, cum aliis legatus missus ad Pyrrhum de redimendis captivis (*anno Mundi 3692.*) contendente Pyrrho, ut aurum à se acciperet, nullam quidem ob rem turpem, verùm ut esset amicitiæ & hospitii pignus, prorsus abnuit, ut author est Plutarchus in Pyrrho.

Quintus Fabius verò Gurges, Cnei Fabii pictores, & Quintus Ogulnius, legati ad Ptolomæum regem missi (*a. M. 3695.*) munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs, quàm ad senatum legationem referrent, detulerunt; de publico scil. ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes, teste Val. Max. lib. 4. cap. 3.

Idem in Venetorum Rep. *veteri libertatis domicilio, & virtutum omnium armamentario*, observari testatur Hermolaus Barbarus de Rep. Venetorum, & Jovius in Iconibus affirmat, Ducem Moscovitarum, legatis ad se redeuntibus,

auferre ſolere omnia munera. Neque verò hæc carent ratione. Utiq; enim δωροφαγία, maxima Rerumpubl. peſtis, pietatem Deo patriæque debitam, juſtitiam, fidem, magnanimitatē, aliasque pulcherrimas virtutes proſtituit; *nec quicquam turpius, quàm eum, quem non modò facto, ſed nec verbo violare fas eſt, muneribus poſſe corrumpere.* Nam qui ſemel munera acceperit, ſeque largitionibus patitur corrumpi, is jam non poteſt conſtans manere judex publicorum commodorum; quandoquidem ſui ipſius dominum conſtituit, à quo pecuniam accipit. *Non concio,* inquit Æſchines, *manu in ſinum conditâ, habenda; ſed legatio, eâdem manu in ſinu retentâ, potiùs eſt obeunda.* Hæc utut vera ſunt, nihilominus tamen & hîc locum habet Gręcum illud adagium; οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων; *nec omnia, nec quovis tempore, nec omnibus.* Sunt enim quædam, quæ neutiquam decorum ſit accipere; eſt deinde locus & tempus, quo pulchrum ſit, oblatum munus recuſare; ſunt deniq; nonnulli, à quibus inhoneſtum ſit admittere donum. *Diſtinguendum itaq; inter munera lautiora, quæ propterea dantur, ut legati corrumpantur; & inter ea, quæ honoris & benevolentiæ ergo dantur.* Quæ certè ſi quis quodam veluti contemptu aſpernetur, Principique remittat, ruſticitatis notam non levem incurret; quam ut effugiat, pro re & tempore munera legatus quidem accipiet, ſed tum & dona

dona ferentes, & Principes ipsos, si tanti fuerint, rursus alacriter remuneretur. Ita nimirum in ore versabitur omnium, & ad munera crebrò sibi offerenda, vicissitudine humanitatis, invitatum excitabit non neminem. *Sic gratia gratiam parit*, ut Pindarus dixit. Absit tamen semper hîc & ubique inanis profusio. Uti enim, non abuti nostris regiisq́; debemus opibus & muneribus; & cùm domi, tum foris esse continentes; idq́; tam cunctis, quàm inprimis Regibus nostris probare, *qui dissolutis & profusis beneficia haud libenter largiuntur*.

Sic nimirum Ferdinandus Consalvus, cùm Ferdinando Hispaniarum regi Catholico, regno Neapolitano sub Gallis recuperando, multis annis egregiam navasset operam; tandem quarundam rerum insimulatus, & regni illius administrati, & tam perceptorum, quàm expensorum rationem reddere jussus, omnibus expensis parvâ quâdam schedâ consignatis, facilè obtinuit, ut & rei bene gestæ, & pecuniæ non malè locatæ memoriâ nihil magis ab ipso exigeretur. Ut enim magno constet, videtur constare modico publica quies, & regni possessio restituta. Sic & aliis interdum modis excusabitur profusio, si ejus constiterit ratio; cujusmodi fiunt ad Regum regnorumq́; secretiora indaganda, ad eorum consiliarios corrumpendos, ad fomites bellorum impediendos, ad oppressos sublevandos; & id

genus alia, ad divinam gloriam Reiquepub. utilitatem conservandam.

Flos XI.

Legatus spectatæ esto fidei, & verax; nec mandatorum suorum fines perfidè transsiliat.

LEgatus præterea animum in fronte, & candorem gestet in pectore; noritq;, fide in ipso nihil esse præclarius, magisque memoriæ hominum sempiternæ commendatum. *Fides siquidem* juxta vetus illud verbum, *obligat fidem*; omniumque contractuum, fœderum, pactorum, omnis denique societatis & amicitiæ vinculum est arctissimum, ipsiusque justitię fundamentum firmissimum.

Fidem itaq; suo Principi debitam non modò omnibus modis probabit legatus; sed & operam dabit sedulò, ne apud eum quoq; Principem, ad quem missus est, in suspicionem aliquam sinistrę fidei aut levitatis incurrat. Accidit nimirum hoc Morono Cardinali, Gregorii 13. Pontificis Romani, ad Maximilianum II. Imperatorem, in comitiis Ratisponensibus legato; cujus medicus, cùm ibidem Stephani Battorii, Cæsaris æmuli, eodem illo tempore in regem Poloniæ inaugu-

augurati, legatos inviſeret; ilicò non levem ſuſpicionem præbuit, quaſi de omnibus iis, quæ inter Cæſarem & Pontificium legatum acta eſſent, redditi fuiſſent certiores.

Quo nomine quoque cum Morono Cæſar expoſtulavit vehementiùs, & cùm hujus ſuſpicionis ergo, tum quòd ſuum quoque legatum ad Gedanenſes profectum, in Polonia violatum audierat. Stephani Regis legatos Ratisponâ abeūtes juſſerat in itinere detineri; qui tamen, Cæſare vitâ functo, ſtatim ſunt dimiſſi. Non itaque ſolùm rectè facti legato ſuffecerit conſcientia, ſed nec ullam præbeat occaſionem, de ſe ſiniſtrè ſuſpicandi; imò & ut ipſe non falli, ita nec alios fallere velit, qui ſuæ perſonæ atq; authoritati confidunt. Quo ſanè nomine malè audit Johannes Monlucius, à Sigiſmundi Auguſti, regis Poloniæ morte (*a.C.1571.*) Caroli IX. Galliarum regis in Polonia legatus; qui, ut Henricum Valeſium, regis ſui fratrem crearent Regem, aureos montes non modò Ordinibus, ſed & hominibus penè promiſerat univerſis; tandemq́ue cùm Cracoviȩ (*a.C.1573.*) Rex inaugurandus eſſet, nuſquam in regio comitatu inter cæteros proceres comparuit; ideoq́ue cœnobii prȩfectus per jocum & ludibrium à non nemine appellatus eſt. A vanis ergo promiſſis, quȩ præſtare nec poteſt, nec vult, omnino non ſolùm ipſi abſtinendum, ſed & hoc multò magis fideli cavendum legato, ne eos, qui

ſub ſilentii legibus ei ſe crediderint, temere & perfidiosè aliquando prodat, periculisque objiciat. Præterquam enim, quod indigniſſimum fuerit, malam iis referre gratiam, qui de nobis bene mereri cupiunt, *nemo unquam fidit ei amplius, quē novit ſecreta ſibi communicata tam leviter effutire.* Porrò falſa quoque pro veris, incerta pro certis, incognita pro exploratis narrandi conſuetudo, fugienda prudenti & fideli legato; utpote quæ aut intellectus ipſius arguunt imbecillitatem, aut certè malignitatem, quam non ſemper manere impunitam, teſtatur Iſraëlitarum exploratorum duodecim hiſtoria, Num. 13 & 14. Ex quibus cùm decem iſtis mendacibus populus præberet aures, in tantum conjectus eſt periculum, ut non ſolùm neceſſe poſtmodò habuerit, continuos annos 40. in deſerto vagari; ſed & plusquàm ſexies centena hominum millia in eo extincta ſint: nec, prętet Joſuam & Calebum, terram promiſſam quisquam viderit.

Deniq; prudens & fidelis legatus intra mandatorum ſuorum metas & fines ſe contineat, omniaque ad præſcriptum imperiumque ejus, qui mandavit, agat; à παραπρεσβείᾳ verò & falsâ legatione ſummopere abhorreat; utpote quæ cum perfidia utplurimùm conjuncta eſt, quâ nulla Alecto, nec Furia infernalis pernicioſior, quæ perfido non tantùm dedecus, ſed perniciem quoque affert.

Et quis

Et quis enim non execretur Dositheí perfidiam? qui ab Hircano, Herodis regis socero, missus cum literis ad Malchum, regem Arabum, quibus Hircanus fugam meditabatur, literas eas Herodi tradidit, & hujus consilio denuò obsignatas ad Malchum detulit; cúmque Malchus Hircano opem polliceretur, hujus quoque literas Herodi ostendit; qui mox Hircanum socerum, annum agentem octogesimum, interficiendum curavit, teste Josepho libr. 15. Antiquitatum Jud. c. 9.

Quis non improbaret nefarii illius Spadonis perfidiam, qui ab Alexio Angelo, Byzantino Imperatore, à quo Ibancus defecerat, & loca monti Hæmo finitima firmis castellis munierat, ad hunc reconciliandum missus, utque pacta simul & conventa, insuperque neptis suæ nuptias in memoriam ei revocaret, non modò nihil, quod ad rem pertineret, confecit; sed illum quoq; suâ præsentiâ, ut cœpta persequeretur, magis confirmavit; cùm temere effutiisset, Græcos è vestigio illum invasuros, & monuisset, ut campestribus relictis salutem suam & popularium montanis locis committeret; ut Niceta scribit lib. 3. de Imperio Alexii.

Magis verò detestanda Constantini Diogenis perfidia, qui à Constantino Imperatore ad Sermonem, Sirmii dominum, legatus missus, interposito jurejurando affirmavit; cupere seipsum

convenire, ac de rebus necessariis colloqui. Quòd si ipse insidias vereretur, tribus tantùm famulis stipatum se ad ripam profluentis ibi amnis accessurum; idem tamen ipse quoque faceret. Ibi ergo, cùm jam collocuturi essent, Diogenes pugionem, quem in sinu abditum gestabat, subitò in latus Sermonis adegit, eumque occidit, ut Cedrenus scribit.

Franciscus Zabarella Cardinalis, cujus scripta à Jureconsultis summopere probantur, legatus missus à Johanne XXIII. Papâ, ad Concilium Constantiense (*a.C.1477.*) author eis fuit Johannis è statu dejiciendi, eâ spe, ut ipse voluntate Concilii ei succederet; verùm morte præventus, ambitioni simul, & perfidiæ simul satisfecit, teste Garinberto lib. de vitis Pontificum.

Inprimis verò memoratu dignum est supplicium Nicolai de Boo, equitis, apud Cranzium lib. 9. Sax c. 8. Hic legatus Waldemari Marchionis Brandeburgensis, Principis sui nomine Francofurtum ad Romani regis electionem missus; (Imperiū tunc simul ambiebant Fridericus pulcer, Austriæ, & Ludovicus, Bavariæ Dux,) cùm nihil muneris à Friderico, quē Marchio Regem suo suffragio, multis literis diplomate munitis, constituerat, speraret; sed & plurium animos in Ludovicum inclinare animadverteret; abrasâ membranâ, expunctoq; nomine Friderici, Ludovicum contra voluntatē domini sui constituit;

ob quod

ob quod ſcelus Marchio eum diu carcere macceratum fame demũ extinxit. Et meritò. Sic enim Aulus Poſthumius dictator, bello cum Æquis & Volſcis; itẽq; bello Latino, Titus Manlius Torquatus conſul filios ſuos, quia nõ ipſorum juſſu, ſed ſuâ ſponte è præſidio progreſſi hoſtes fuderant, ſecuri percuſſerunt victores; *ſatiùs eſſe judicantes patrem forti filio, quàm patriam carere militari diſciplinâ*, teſte Livio dec.1. libr.4. & 8. & Valer. Max 2. c. 7. Quod de Epaminondâ Thebano quoque memoriæ prodidit Plutarchus in parallelis; Cur, quæſo, legato laxandæ habenæ? illic ſiquidem de re bene geſtâ jam non dubitabatur: hîc vel ſi certus ſpondeatur eventus, non deſit dubitationi locus. Imò quàm malè ceſſerit Romanis legatorum παραπρεσβεία, Alliana ipſorum clades (*an. M. 3584.*) ſatis ſuperq́ue teſtatur apud Livium lib.5 dec.1.

Tres nimirum Fabii, à ſenatu populoq́ue Romano legati ad Gallos miſſi, ut à Cluſinorum eos obſidione verbis amicis dehortarentur, utpote, à quibus nullâ ipſi injuriâ affecti eſſent, ferociore horum reſponſo offenſi, mox mandatorum ſuorum fines transgeſſi, non ſatis habuerunt, ad fortiter reſiſtendum Gallis, exhortari Cluſinos; ſed ſeipſos quoque Duces præbuêre conflictus, in quo, unius ex legatis manu, Gallorum quidam Princeps ferociter in Hetruſcorum ſigna incurſans, proſtratus eſt. Quam injuriam

contra jus gentium Gallis à legatis suis illatam, cùm Romani non modò non punirent, sed hos ipsos quoque præmiis afficerent; hoc facto Galli exasperati, bellum adversus Romanos propalam susceperunt; quibus ad Alliam fluvium non sine maximâ strage, in qua propemodũ flos Romanę juventutis periit, profligatis, subitò urbem universam, solo excepto Capitolio, occuparunt. Multò verò prudentiùs alteri illi Romanorum legati, à senatu Tarentũ ad res repetendas missi, cùm gravissimas ibi injurias accepissent, unus etiam urinâ respersus esset, in theatrum (ut est consuetudo Græcię) introducti, legationem, quibus acceperunt, verbis peregerunt. De his, quæ passi erant, questi nõ sunt, ne quid ultra, ac mandatum esset, loquerentur; ut scribit Valer. Max. lib. 2. c. 2. Et hæc quidem in illis obtinent mandatis, & ceu cancellis quibusdam circumscriptis, in quibus omnis legato adempta licentia. Cæterùm non raro quoque accidit, ut libera agendi facultas pro suo arbitrio legato detur à Principe; quæ res etsi periculo quandoque non caret, pro re tamen & occasione est necessaria. *Multa enim nec opinantibus eveniunt, de quibus nihil prorsus constitui in mandato poterit.* Id quod contigit Maximiliano secundo Cæsari (*a. 1565.*) qui, patre Ferdinando defuncto, paulò tardiùs legationem Constantinopolin misit, pro pacis fœderibus cum Solimanno Turcâ confirmandis, ad quem

& illum

& illum viciſſim ſuam miſiſſe multi crediderunt, ſed cum mandato, ut ſi fortè in itinere Cæſaris legatus fieret obviam, Conſtantinopolin ilicò reverteretur; quo reverſo, res ad illud bellum, in quo Jula & Zigethum à Turcis ſunt captæ, tandem devenit. Contra hanc Barbari monitionem nihil certè committi poterat legato, quo eludi potuiſſent; nec legatus Cæſareus quicquam præſtare potuit, aut debuit.

Quoniam ergo multa nonnunquam præter opinionem eveniunt, ac proinde multa legati credenda ſunt prudentiæ, ejusque poteſtati neceſſariò committenda; memor hic authoritatis ſui Principis, ſuæq; in illum fidei & obſervantiæ, prudenter cavebit, ne quid minùs honorificum illi curetur; & tam à nonnullis, quæ ipſi permittentur, conſultò abſtinebit, Principemque ſuum requiret; quàm & ipſis rurſus finem liberè imponet, quibus nulla videbitur mora interponenda: atque ita in omnibus ſingulisque uno eodemq; utetur candore & ſinceritate.

FLOS XII.

Legatorum nomen apud omnes nationes sanctum inviolatumque. *Cæs. lib.3.de bello Gallico.*

XEnophon lib.8.παιδείας memorat; *Legatos inter res maximi momenti, Cyrum posuisse*, nempe ut absque bello impetraretur id, quod necessitas postularet. *Sunt nempe legati pacis nuncii, & Principis Reiq; publicæ personam gerunt*; ideoq; non solùm in amicorum tectis, sed etiam inter hostium tela tutò versari debent. Ac proinde Principi, ad quem missi sunt, incumbit, non modò cavere, ne à se suoque consilio lædantur; sed & ne ab alio quovis injuriâ ullâ afficiantur; utpote *quorum jus etiam inter exteras gentes sacrum*, teste Tacit.histor.lib.3. Quia verò sub legationum specie multa sæpè perniciosa tractantur; ideo prudentiâ singulari, & dexteritate quâdam opus est in tractandis exterorum legatis. Et principio, meo quidē judicio, (inquit Comineus libr.4.comment.) amicorum legati, de quibus nullam habemus malè suspicandi causam, liberaliter sunt & honestè tractandi; factâ subinde illis potestate conveniendi Principis, ad quem missi sunt, modò sit prudens & honesta species.

Nam

Nam alioquin præſtat, cum vel rariùs conſpici, vel non diu inſiſtere collocutioni.

Cùm autem vel publici vel privati veniunt ab aliquo Principe, parum amico, tametſi periculum eſt in ea re non leve; excipiendi tamen ſunt non incommodè, & deſtinandi aliquot idonei homines, à quibus tractentur. Hoc enim ad honeſtatem pertinet, ac ſimul eò confert, ut quid agant, & quibuscum loquantur; & quos habeant ſibi familiares, cognoſcatur. Nec id modò, verùm etiam ut homines leves atque ſeditioſi non habeant ad ipſos aditum. *In omnibus enim Principum familiis ſemper aliqui exiſtunt, qui mutationem aliquam, & res novas cupiunt.* Et quoniam periculi plenum eſt, habere domi ſuæ hoſtem; ſuaſerim, primo quoq; tempore ejusmodi legatos dimitti. Verùm ita tamen, ne quam habeant occaſionem de inhoſpitalitate conquerendi. Hactenus Comminæus.

Et hunc in modum Totilas quoque Gothorum rex, apud Procopium lib 3. de bello Gothico: *Conſtat*, inquit, *apud Barbaros omnes, id lege cautum eſſe, plurimùm ut hi colant & venerentur oratores & legatos.* Et in Pandectis l. 48. tit 6. quod ad legatos, (inquit lex) oratores, comitésve attinet, ſi quem eorum quis pulſaſſe, & injuriâ affeciſſe arguetur, lege Juliâ de vi publ. tenetor. Nimirum legatum hoſtium pulſaſſe, contra jus gentium peccatum eſſe, ſemper exiſtimatum eſt,

quia sancti habentur legati. Et quoniam utile est hominibus, non immortales esse inimicitias, *ideo inviolabiles quoq; esse oportet eos, per quos de amicitiâ & fœdere tractatur.* Ac proinde eum, qui legatum pulsasset, dedi hostibus, quorum erant legati; *atq; ita publicè ei satisfieri, utilius esse, plerunq; responsum & judicatum est.* Hinc Lucius Minutius, Lucius Myrtillus, & Manlius *(anno M.3785.)* quòd legatos Carthaginensium pulsasse dicebantur, jussu Quinti Terentii prætoris urbis, per fæciales traditi sunt legatis, & Carthaginem advecti.

Sic, cùm legatos ab urbe Apolloniâ Romam missos *(an.M.3706.)* Quintus Fabius & Cneus Apronius, ędiles, ortâ contentione pulsassent, eos senatus continuò per fæciales legatis dedidit, quæstoremque cum his decrevit Brundusium proficisci; ne quam in itinere à cognatis deditorum injuriam acciperent; ut testatur Liv. dec. 4. lib.8. & Val.Max.lib.*6*.c.*6*.

David verò rex, ignominiam suis legatis illatam ab Hannone, Ammonitarũ rege *(an.Mundi 2905.)* æstimavit atrocissimam, &, quæ bello vindicaretur, justissimam, 2.Reg.10.

Pari modo, cùm Romanorum legatos Corinthii injuriosiùs non solùm appellassent, sed sordibus quoq; perfudissent *(a.M.3826.)* eo nomine Corinthus à Lucio Mummio Achaico, solo æquata est, & reliquus usq; ad Macedoniam

tractus

tractus sub Romanorum cessit imperium; ut scribunt Florus lib. 2. c. 16. Justinus lib. 34. & Strabo lib. 8. Geographiæ.

Tarentini quoq; (*a.M.3690.*) cùm Romanorum classem ex occasione adorti hostiliter diripuissent, insuperq; eorũ legatos, ad res de more repetendas, ex urbe missos, scelus sceleri addere ausi, contra jus gentiũ violassent; decennali tandem bello ab iis debellati, imperata facere coacti sunt. De quo lege Polybium lib. 2. Florum lib. 1. c. 18. & Plutarchum in Pyrrho.

Sic & Teucas, Illyriorum Regina (*a.M.3740.*) ferociori responso alterius legati Romanorũ offensa, cùm percussorẽ ipsi subornasset, violati juris gentiũ mox multiplici suorũ strage condignas dedit pœnas, ut author est Bonfinius dec. 1. lib. 6.

Sic & Arabes, (*a M.3941.*) astu superato Herode, Judæorum rege, & Judæâ vehementi terræ motu miserè concussâ, cùm Judæorum legatos pacem poscentes necassent, non multò pòst ab Herode gravissimis affecti cladibus, domitique suæ perfidiæ dignas luerunt pœnas, teste Josepho lib. 15. Antiquitatum, c. 8.

Orætes, Sardium præfectus, (*a. M. 3451.*) cùm quendam è Darii legatis, qui parum jucunda ipsi nunciarat, in itinere trucidandum curasset, & eum ipso equo occultandum; submisso Pagæo, Regis operâ interfectus est, teste Herodoto lib. 3.

Ejusdem Darii, Persarum regis, legatos, terram & aquam petentes, (*a.M.3479.*) cùm Athenienses & Spartani partim in barathrum, partim in puteum dejecissent, jubentes illic terram & aquam petere; Lacedæmonii quidem duos suorum civium ad expiandum facinus miserunt, quos tamen Xerxes lædere noluit, ne ipse faceret, quod aliis exprobraret: Athenienses verò, cùm de expiatione parum solliciti essent, totam Atticam depopulari à Persis viderunt (*a.Mundi 3492.*) & ipsâ quoque urbe tandem sunt exuti; eodem teste Herodoto lib.6.7.& 8.

Alexandri Magni caduceatores, qui Tyrios ad pacem hortarentur, cùm hi contra jus gentium interfecissent, & corpora eorum in pelagus projecissent; hac Macedo injuriâ irritatus, quia navibus carebat, perpetuo aggere Tyrum continentem reddere, est adortus; (*a.M.3640.*) & tandem crudelissimè expugnavit, ut author est Sabellicus Enneadis 4.lib.4. ex Curtii libr.4. & Arriani lib.2.

Hasmundus, Norvajorum rex, cùm Fritlevi, Daniæ regis legatos, filiam ejus Regi suo in uxorem petentes, odio gentis interfecisset, bello petitus, violati gentium juris pœnas & ipse morte dedit; ut scribit Crantzius lib.1. Norvvegiæ c.21.

De Manuele Comneno, Græcorum Imperatore, memoriæ proditum est à Volaterrano lib.4. Geographiæ, & Sabellico lib.5. Enneadis 9. eum, postea-

posteaquam famâ comperit, Venetam civitatem gravi pestilentiâ affectam; Henrico Tandulo, uni ex legatis, quos Vitalis Michaël Princeps, Græciâ decedens, ad eũ miserat, per speciem colloquii in secretum abducto, æream objecisse tabulam, priùs igni admotam, cujus aspectu propemodum luce ille privatus sit. Hanc ob injuriam, ut & ob alteram illam, quâ (*an.C.1148.*) farinam gypso mixtam vendidit Principibus Christianis, ab expeditione in Palęstinã domum revertentibus, à Venetis, & Rogerio, rege Siciliç, oppugnatus, Gręciâ vastatâ, Corcyram, Thebas, Corinthum & Chalcidem amisit. Quid multa? haud facilè invenire datur in omnibus historiis, impunè violatos fuisse legatos. Vigilat nimirum sempiternus justitiæ oculus, ultricesque diræ sunt legatorum, quorum corpora sunt sancta, & sanctum nomen apud omnes nationes, & jus sanctissimum etiam apud efferatissimas gentes.

Sed de Darii, Persarum regis, legatis quid dicemus, in Macedoniam, ad Amyntam regem missis, petitum ab eo aquam & terram (*an.M. 3466.*) cujus in aula crudeliter sunt jugulati in ipso convivio, teste Herodoto lib.5: Jure nempe eos ab Alexandro Amyntæ filio esse interfectos, quòd turpiter lascivientes Regis filias ad concubitum sollicitassent. *Debet enim legatus sanctimonia & castitatis esse speculum; non artifex libidinis, aut inhonesta alicujus voluptatis.* Et quia

legatorum corpora habentur ſacroſancta, ideo & legationem ipſam innocentiâ decet eſſe tectam, non ſtupris aut maleficio publico coopertam. Hinc rectè Procopius libr.1. de bello Gothico: Magna quidem (inquit) & inclyta oratorum dignitas eſt, & apud omnes mortales alioquin honorabilis; *ſed tam diu id in ſe muneris retinent, quoad ipſi ſuæ legationis officium ſervent*. Nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tum quidem & jure pro humanis legibus licet; cùm Regem videbitur contumeliâ affeciſſe, vel ſi adulterium commiſerit.

Ad eundem modum Stephanus, Walachiæ Princeps (*a.C.1476.*) centum Tartaros Præcopitas, ad repetendum Regis filium miſſos, occidit; quòd ſoli æquationem Walachię minitarentur, ut author eſt Bodinus lib.5. de Rep. c. ult.

Pro coronide & hoc quæritur; ſítne licitum hoſtium legatos ad alium Principem euntes intercipere? Factum nimirum hoc (*an. M. 3757.*) à Romanis, qui ſecundi belli Punici anno quarto Hannibalis legatos, ad Philippum Macedoniæ regem potentiſſimum miſſos, ceperunt. Ad hoc reſpondemus; *uſitatum hoc & licitum eſſe, legatos hoſtium, perferentes mandata patriæ ſuæ nocitura, intercipere*. Etſi enim legati ſancti ſunt & inviolabiles, de iis tamen ſolum hoc verum eſt, qui non moliuntur hoſtilia. Quoniam ergo Macedones & Carthaginenſes fœdus tunc erant

facturi

facturi contra Romanos, quis Hannibalis legatos justè ab his esse captos & occisos, inficiabitur?

Simile exemplum extat quoque apud Herodotum lib. 7. & Thucydidem lib 2. de Lacedæmoniorum legatis, altero belli Peloponnesiaci anno, ne non omnia ad Atticas opes evertendas experirentur, (*an. M. 3542.*) in Asiam ad Artaxerxem, Persarum regem, missis, à quo & societatem, & pecuniam in belli usum petituri erant; quos per Thraciam iter facientes, cujus Regem Sitalcem similiter ab Atheniensium abducere societate moliebantur; Sadocus, Sitalcæ filius, suasu Atheniensium legatorum, qui tum fortè aderant, oppressit, & in Atticam misit; ubi publico decreto similiter interfecti sunt, & in foveas dejecti.

Pari modo superiori seculo, Cæsar Fregosus Genuensis, & Antonius Rincko Hispanus (*anno Christi 1541.*) missi à Francisco primo, Gallorum rege, ad Turcam legati; cùm Padum navigarent, ituri Venetias, à Cæsarianis & Hispanis capti sunt & trucidati. Quâ re offensus Gallus, venientem tunc ex Hispaniis Georgium Austriacum, Maximiliani primi Cęsaris nothum, Episcopum Valentinum, Lugduni in vincula conjecit; & ut Lascum, Ferdinandi legatum, comprehenderet; Solimanno author fuit; bello insuper injuriam hanc prosecutus est, teste Sleidano lib. 14.

Flos XIII.

Functioni suæ quemque idoneum præficere, prudentis habetur Principis.

QUoniam *Regnũ*, ut ait Isocrates in oratione ad Nicoclem, *omnium rerum humanarum maximum est, & quod maximam curam providentiamq; desiderat*; ac proinde Princeps suâ scientiâ cuncta non potest complecti; ideo gravissimi labores, quibus orbem terræ compescit, magnis egent adminiculis, secundùm Tacitum Annal. libr.3. & 12. *Multis igitur ille opus habet oculis, & multis auribus*, h.e. administris, quorum operâ vel publicè, vel privatim uti necesse habet; cujusmodi sunt præfecti, præsides, quæstores, judices, & ceteri magistratus inferiores. In his legendis ante omnia sequatur salutare illud Jethronis consilium, Mosi genero datum, Exod. cap.18. *ut sibi viros adjungat pios, sapientes, veritatis amantes & incorruptos*; quò faciliùs & quietiùs onus administrationis sustineat, & singulorum commodis magis consulat. Sic & Plato lib.3. de Rep. & lib.6. de ll. requirit; ut, *qui quærendi sint judices ac magistratus, probitatis testimonium per singulas ætates habeant*. Nec immeritò. *Non enim regnant, sed sæviunt qui mali sunt*. Et ut oculi

oculi vitio aliquo laborantes perperam cernunt; *ita malè imperat anima, quæ mala est*, ut idem loquitur Plato lib.1.de Repub. *Pervertit enim intellectum malitia, nec nisi à viro bono bona proficisci possunt*, teste Aristotele lib 6.cap.12. Virtutibus ergo præditum magistratum esse oportet, & inprimis pietate. *Est enim præcipua magistratus pars religio*, sine qua nec prudens, nec justus esse potest; *quia facilè deviare solet à justitiâ, qui in causis non Deũ, sed homines pertimescit.* Vicina pietati est justitia, cuivis magistratui summè necessaria. Etenim ut ignis, quęcunq; admoventur, calefaciens, ipse primùm innatâ vi calet; nix contrà suapte naturâ frigida, & alia frigida reddit; sic judex & magistratus ipse plenus justitiâ esse debet, si aliis jus administraturus est, ut author est Simanca lib.5. de Rep.c.6. ex Philone. Unde & sacræ literæ maximè justitiam in magistratu requirunt; *Diligite*, inquit Sap.cap.1. *justitiam, qui judicatis terram:* & Prov.19. *qui judicat in veritate pauperes, ejus thronus in æterno firmabitur.* Justitiæ verò conjuncta esse debet prudentia, ut rectè monet Cicero 2.Offic. *ut justitia*, inquit, *sine prudentiâ nihil prodest; sic sine justitiâ nihil valet prudentia.* Ut igitur magna & necessaria virtus justitia est, ita magistratuum proprium est prudentia; quippe *qui civitatis oculus est & spiritus vitalis.* Quemadmodũ igitur obscuratis oculis partes reliquæ non vident, nec

ſuis ritè fungi poſſunt officiis; *ita ſubditi non bene vivunt, quando ſtultis utuntur magiſtratibus*, inquit Ariſtoteles lib.3. Polit.c.3. Sic & magiſtratum, tanquam ſpiritum vitalem, multa millia trahunt; nihil ipſi per ſe futura, niſi onus ac præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur, ut Seneca loquitur de clement. c.4. Unde & eadem ſacra pagina Proverb.4. *in omni poſſeſſione acquirere jubet & arripere prudentiam*; utpote quæ capiti det augmenta gratiarum & coronâ inclytâ protegat, *& ſapientē populi eſſe ſtabilimentum*, aſſerit Sap.cap.6. Ad prudentiam fortitudo ut accedat, neceſſe eſt, quandoquidem animus propter formidinem cōſilio privatur & turbatur, flectiturq; precibus, aut miſericordiâ, aut pœnitentiâ, ut inde minimè in improbos animadvertat. Unde & Sir.c.7. non niſi fortem vult eſſe judicem, *ne potentis faciem extimeſcat*. Has ergo & ſimiles virtutes in eo, cui demandandus eſt aliquis magiſtratus, prudens Princeps magis expendat, quàm genus, corporis formam, & divitias; quæ tamen & ipſa magnum ad dignitatem momentum habent. Quia verò ex omni memoriâ inventus eſt nemo, cujus virtutes, quantumvis eæ magnæ, nullo vitiorū confinio læderentur; (uſq; adeò enim, teſte Polybio lib.4. *natura hominum non ſolùm corpora, ſed etiam animos diſſimiles ſui finxit*, ut ſæpenumero unus idemq́ue vir, non modò in rebus diverſis, hîc quidem fortiter, illic

ſegniter

segniter se gerat; sed in simillimis quoque negotiis, nunc inauditam quandam celeritatem, nunc incredibilem ignaviam ostendat; & aliquando quidem fortissimus, nonnunquam verò timidissimus videatur. Exemplo sit instar omnium Aratus Sicyonius, qui, cùm in tolerandis laboribus & periculis singulari esset audaciâ, sicubi tamen acie dimicare cogebatur, in consiliis segnis, in subeundis periculis timidus erat & abjectus; teste Plut. in ejus vita.) Ideo magnæ prudentiæ est, quemvis cuique functioni pro indole suâ admovere, ne inde magnæ rerum confusiones oriantur. Alexander Severus Imperator, teste Lampridio, ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, h. e. rationales, ordinare, nomina eorum proponebat; hortans populum, ut, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, pœnam capitis subiret; dicebatque grave esse, cùm id Christiani Judæique facerent in prędicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, *quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Constantius quoque Imperator in magistratibus & conferendis dignitatibus diligens ęstimator fuit; quandoquidem neminem in senatum legebat, nisi bonis esset disciplinis honestè institutus, teste Cuspiniano in Cæsaribus. Optimum igitur fuerit, non nisi honestos & bonæ famæ viros,

ad honores admittere. Quibus eos quoque annumeramus, qui,etsi prudentiæ & probitatis famam teneant, à publicis tamen muneribus abhorrere magis,quàm ultrò appetere videntur. Sic nimirum idem Alexander Severus Imperator, honores ambitiosis aut quærentibus minimè dedit,sed modestis, quos potiùs rogare oporteret; ut ex Lampridio author est Volaterranus libr.23 ἀνθρωπολογίας. Etenim cùm aliquando præfectum prætorio designasset, isque ne fieret, sese occultasset; Imperator retractum à fugâ, quamvis vehementer reluctantem, eâ dignitate ornavit; *Invitos*,inquiens,*non ambientes Reipub. præficiendos esse.* Nescio enim,quomodo majore plerunque fide & industriâ officio defunguntur, qui tardè & quodammodo nolentes,magistratus adeunt, quàm qui ambitu & largitione eos emercantur. Etenim qui officia publica ambiunt, plerunque authoritatem suam,quam habere apud populum poterant,prostituunt,& in gubernatione infelices sunt; utpote qui negotiorum publicorum, quæ per jocum & ludum tractarunt,difficultatem tandem cum dolore & dedecore experiuntur. Præterea, ut est in Mæcenatis oratione ad Augustum apud Dionem libr.52. *Verè hi novandis, quàm gerendis rebus aptiores sunt*; quandoquidem ubi præclarum aliquod facinus in re militari civilique fecêre,contemptor ille spiritus amentiâ & stoliditate completus, secundâ

cundâ se aurâ sustollit, nec patitur eodem apud se loci modestiam & potentiam esse; sed ubi se clientelis præsidiisq; amicorum satis munitum conspicit, palàm jam insurgit in salutis suæ authorem, aut quidvis, prout collibitum est, exprimere ab eo conatur. Unde Plut. in Agide (qui fuit Rex Lacedæmoniorum) cum Ixione, quem poëtę cum Nebulâ pro Junone concubuisse, atq; ita Centauros procreasse fingunt, ambitiosos comparat; quòd, *dum cælum sese digito attingere opinantur, plerunq; facinora adulterina & exilia edant, monstrosos & centauricos habeant impetus;* multa denique propter imperandi cupiditatem injustè agant. Exemplo sunt Pompejus & Cæsar, itemque Themistocles & Aristides, quorum neuter cum altero in eâdem urbe vivere potuit. Sic & Joab metuens, ne Abnerus illi præferretur, & ipse deteriori esse conditione inciperet, ne præfecturâ copiarum privaretur, Abnerum perfidiosè transfodit, 2. Reg. 3. Multò igitur rectiùs Reipublicæ consulitur, si ad clavum boni & sapientes sedeant. *Quorum ea natura est & conditio, quòd quiescere atq; obedire, quàm aliis imperare malunt; nec honorum cupidine flagrant,* qui vi potiùs legum audiendi, quàm impetu contumelioso ad officia publica raptandi sunt, nisi excusationem mereatur ætas, professio, corporis imbecillitas, egestas; *alioquin magistratus & officia publica recusare, non videtur esse boni viri.* Neq;

enim sibi quisquam nascitur, sed ortus nostri partem præcipuam patria sibi vendicat. Ideoque quemadmodum navis omniũ manibus officioq; habet opus, ne evertatur; sed ut in portum tutissimum sese recipiat: ita quoque omnium & singulorum consilia, opes atque actiones eò sunt dirigendę, ut Resp. non modò servetur, sed indies quoque feliciter augeatur. Præterea, *quemadmodum nihil quicquam ilicò natura producit, ita nec aliis in rebus summa officia antè cuiquam sunt demandanda, quàm in inferioribus ac mediis data documenta fuerint.* Sic nec in re nauticâ naves actuariæ aut cataphractæ cuiquam committuntur, nisi antè remos duxerit, & in celocibus (navis exigui genus) limbis & cymbis se exercuerit; nec in bello subitò quis aut Ordinum ductor, aut equitum magister, aut polemarchus evadit, nisi tyro antè, & miles triarius veteranusque extiterit, & intermedios gesserit honores. Sic & in togatâ Rep. omnium officia & magistratus lento quodam gradu & ordine bonis viris à Principe sunt conferenda, ita, ut à minoribus ad honestiora & graviora, & tandem ad summa & altissima munia conscendant; id quod & leges civiles præcipiunt lib. 14. Digest. tit. 4. Sic nimirum prudentiores modestioresque, & magis idonei, ad unumquodvis eorum rectè promoventur. Quod & Romanâ in Rep. accuratissimè observatum, in qua nemini licuit, transscensis mediis honoribus,

ribus, tribunatu plebis, præturâ, ædilitate, ad consulatum statim tendere; Tito Flaminio, P. Scipione Africano, Q. Metello, Augusto Cæsare, & paucis aliis exceptis, quibus hoc singulari exemplo contigit. Estque memoratu dignum, quod Plut. refert in Flaminio, Fulvium & Manlium, tribunos plebis, cùm Flaminium consulatum petentem impedire conarentur, demonstrasse: *Rem mali exempli esse, juvenem nondum Reip. quasi primis sacris & mysteriis initiatum, ad summum honorem contra leges perrumpere*. Sed nec virum bonum pudeat, ullã ac ne minimam quidem delati officii partem recusare, modò authoritati & gratiæ parandæ prosit; *Memor, quòd non solùm magistratus virum, sed etiam vir magistratum ostendat*; quod Epaminondam, Ducem Thebanorum fortissimum, olim dixisse, cùm cives eum contemptu quodam & invidiâ Tetrarchum (cujus officium erat, curare, ut sordes ex angiportis ejicerentur, aquæ rectè derivarentur, viæ sternerentur, plateæ mundę essent,) creassent; author est Plutarchus in præceptis regendę Reip. Ad summos autem hic honores pervenit, cùm Pamenem Ducem amaret & coleret. Nec minùs sensim & gradatim apud Athenienses, ad summos in Repub. honores ascenderunt Aristides & Phocion, obscuris orti natalibus; cùm ille Clistheni se adjungeret, hic Gabriam sequeretur; apud Romanos M. Cato cum Q. Fabio Ma-

ximo adhæreret; itemque Ventidius Bassus, qui puer bello sociali, quo Cn. Pompejus Strabo Asculanos subegit, captus; inter cæteros, ante Imperatoris currum matris sinu vectus; ubi adolevit, victum sibi satis ægrè quæsierat, quem & sordidè reperisse fricandis & tergendis muris, testatur Cic. Tusc. 1. Inde cum Cajo Cæsare in Gallias profectus, ejus amicitiam captavit, à quo Tribunus plebis primùm, deinde prætor creatus est. Eo interfecto, hostis quidem ipse cum M. Antonio à senatu judicatus; pòst tamen conjunctis partibus, non modò pristinam dignitatem recuperavit, sed & pontificatum, ac exinde consulatum est adeptus; teste Val. Max. lib. 6. cap. 10. & Gellio, lib. 15. c. 4. Noctium Atticarum.

Nimirum quemadmodum hederæ solæ relictæ in altum non evehuntur; validas autem celsasque arbores amplexæ, unà crescunt & attolluntur; ita quoq; juvenes & obscuri ad honores & dignitates ascendunt, ubi prudentibus, magnis & claris viris se adjungunt; utpote quorum authoritate crescunt, & velut radices in Republica agunt, ut Plutarchus scribit in pręceptis politicis. Sic & Jacobus Parisatus, obscuro loco natus, dum puer adhuc nauticæ rei vacarat, paulatim per omnes dignitatis gradus in maritimis rebus evectus, à Petro Mozenico, rei maritimæ Venetorum Imperatore, in summum principemque locũ advocatus, quem Arabico verbo Admiralium

lium appellamus, ita se gessit, ut nullius post Imperatorem ipsum clarius illustriusq; nomen in totâ classe haberetur.

Hujus forti feliciq́ue operâ Mozenicus Imperator semper usus, Caramanicâ expeditione contra Turcas sic excelluit, ut hujus potissimùm ductu, Corcyros, urbs Ciliciæ, primùm, mox Seleucia è Turcarum manibus erepta sit, cum ipsa Sichino, aliisq́ue aliquot castellis, ut Egnatius scribit libr 3. cap. 4.

Pari modo Jacobus Mutius Attendulus, qui postea magnus Sfortia appellatus, Sfortianæ genti primus nomen dedit, tenui vico, Æmiliâ viâ, inter Faventiam Ravennamq́ue, urbes, ortus patre Johanne agrorum cultore, castra secutus, prima militiæ rudimenta sub Boldrino celebri Duce, inter lixas calonesq́ue posuit, virtuteq́ue ad eum conscendit locum, ut Johannæ secundæ, Neapolis Reginæ, omnium militarium copiarum Dux esset, & post obitum Boldrini Magni Connestabilis honorem gesserit, multorum populorum in eo regno imperiũ assecutus; eodem teste Egnatio lib. 6. cap. 9. & Fulgoso lib. 3. cap. 4. Quod & de Nicolao Picinino ibidem memoriæ proditum.

Cæterùm diligenter cavebit prudens Princeps, ne uni magistratus plures cõmittat, quòd hoc modo via præcludatur viris idoneis, conscendendi ad honores, atque ita Principi boni &

ſtrenui depereant, qui, dum eum in unum ſolum honores conferre vident, aliò ſeſe conferunt. Adde, quòd & rectiùs ac meliùs negotia à pluribus, quàm ab uno conficiantur; non aliter ac manus multos in digitos diviſa, ad negotia peragenda celerem magis expeditumque habet uſum, teſte Plut. in præceptis gerendæ Reipubl. Et quamvis quis interdum ſagacem habeat animum, duas tamen res, magnas præſertim, non modò uno tempore nō agere, ſed ne cogitando quidem explicare unquam poteſt. Ut mala taceamus & incommoda publica, quæ hinc oriuntur, plurima; quandoquidem officia negliguntur, corrumpuntur judicia, *& multi vicarii introducuntur, qui peſtes ſunt Rerumpubl.* ut Ariſtoteles ſcribit lib.2. Polit. c.9. & Simanca lib.9. de Rep. cap.30. Non igitur absque ratione laudatur Ludovicus, Ungariæ rex, qui à Caſimiro Magno, Polonorum rege, in regni ſucceſſorem adoptatus (*a.C.1370.*) petentibus Polonorum legatis, & Ungarorum proceribus, ut regnum ſusciperet, (quanquam poſtea, victus ab oratoribus, annuit;) *non ſatis intelligere,* reſpondit, *neq; hos, qui ſuadeant, nec illos qui petant:* E neutrorum enim re id fore: Quemadmodū nec duobus gregibus expediat, unū habere paſtorem; ſic vix duas Reſpublicas ſine alterutrius, aut etiam utriusque, malo atque incommodo, ab uno poſſe adminiſtrari, ut author eſt Cromerus lib.13. Quid? quòd nec hujusmodi

jusmodi πολυπράγμονες immunes ſunt ab aliorum reprehenſionibus. Planum hoc fecit Corrozetus de dictis memorabilibus; exemplo Grebanni, Principis cujusdam Galliæ; qui, cùm Ludovicus XI. Rex, Balvo Eruſiorũ Epiſcopo poteſtatem dediſſet Pariſiis recenſendorũ militum, ægrè id ferens, à Rege cenſoriam petiit poteſtatem animadvertendi in Canonicos Eruſios. Rege verò reſpondente, *alienam à meſſe falcem eſſe cohibendam*; Minimè verò, dixit. *Nam cùm Epiſcopus noſtrã meſſem fecerit ſuam, ſupereſt, ut nos ipſius noſtram eſſe ducamus*. Diligenter item providendum bono Principi, ne cui, qui graviore aliquâ injuriâ affectus eſt, aut ſaltem ſe affectum eſſe exiſtimat, magni momenti res committatur. *Tanta enim cupiditas eſt in animis hominum ulciſcendi, ut in omnes temporũ occaſiones excubent; eâq; oblatâ, occultatam diu iram effundant*. Documento eſt apud Juſtinum lib. 1. & Herod lib. 1. Harpagus, cujus filium in ultionem Cyri ſenioris interfecit Aſtyages, rex Medorum, eumque patri epulandũ appoſuit. Hic, dolore ad præſens tempus diſſimulato, odium Regis in vindictæ occaſionem differens, cum Cyro, ubi adolevit, clàm conjuravit, eumque ad bellum ſtimulavit. Aſtyages, meriti in Harpago oblitus, belli huic ſummam committit, qui traditum ſibi exercitum ilicò Cyro dedidit, Regisq; ita crudelitatem perfidiâ defectionis eſt ultus.

Sic & Conradus, Dux Glogoviensis, bellum adversus Henricũ Lignicensem animo versans, cùm se illi viribus imparem esse intelligeret, ut incautum dolis circumveniret Luticum unum de familiaribus & consiliariis Henrici, gente Habdancum, donis ac promissis ad proditionẽ Heri induxit. Hujus patrem Pacoslaum, gratiâ & favore Principis insolescentem, Henricus olim capite plecti jusserat, quòd is homicidii reus crimen, frustra dissuadente judice, gloriabundus fateretur. Hunc tamen Lutici dolorem lenierat postea Henricus, plurimis & magnis in eum collatis beneficiis; sed cùm faces Lutici animo subderet Conradus, effecit, ut plus apud eum valeret vetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Oderã haud longè ab arce Vladislaviensi, corpus curabat Henricus, *(an.C.1295.)* advolat eò Luticus cum armatis, & Henricum nihil tale suspicantem, nudum è balneo extrahit, viliq́ue pallio tectum, atque equo impositum, continuato nocte dieque cursu, Sanvoëthum, quod in ditione Conradi erat, asportat. Inde miser Henricus vinctus, Glogoviam perductus, in angustum vas ferreum est conclusus, in quo duo erant foramina parva; alterum, quo cibum sumeret, alterum, quo alvum purgaret. In eo sex totos menses asservatus, nec jacere, neque sedere potuit; ad extremum eò miseriarum redactus est, ut jam tabescente corpore, sanies & vermes

de sca-

de ſcapulis & femoribus ejus ſcaturirent; quibus malis victum, duriſſimis tandem conditionibus Conradus dimiſit, ut author eſt Cromerus lib. 10.

Minimè verò omnium à Principe proſtitui debent, & divendi magiſtratus, quod ab Heliogabalo factum ſcribit Lampridius, qui honores & dignitates tam per ſe, quàm per omnes ſervos vendidit.

Nec enim plus divitiis, quàm virtuti tribuendum, ſecundùm Platonem lib 5. de Rep.

Reſpublicæ quoque amittunt ſplendorem ſuum, populo pecuniâ & donis corrupto, & ipſa magiſtratus dignitas atque authoritas vileſcit; quandoquidem, ut Gregorius ait epiſt. 116. *Nemo fœneratur id, quod venditur. Nemo enim vile eſſe putat, quod emit.*

Adhæc *cùm jure venditur, quod priùs emptum fuerat*, fit, ut dominetur pecunia, non prudentia quæſtus, non virtus; cui aſſueſcere probabile eſt Magiſtratus, qui emerunt dignitates. Unde rectè Alexander Severus Imperator, teſte Lampridio, ejusmodi nundinationes prohibens, *neceſſe eſſe* dixit, *ut qui emit, vendat, & qui rem familiarem emendis dignitatibus exhauſerint, aliunde lacunas ſuas expleant.* Quem in modum & Ludovicum XII. Galliarum regem dicere ſolitum ajunt; *eos, quòd averſi me emiſſent, ſingillatim poſtea vendere.* Utique enim fieri non poteſt, ut qui

ſimilia officia adminiſtrant, puris putentur manibus, & à prædâ abstineant, niſi quoque ipſi gratuita officia acceperint, ut Juſtinianus ait novellâ Conſtitutione 8.

Peſſimè igitur cum eo regno agitur, in quo præſides, præfecti, judices non ad beneficium, ſed pretii magnitudinem leguntur; ſiquidem hoc modo improbi ferè ad clavum ſedebunt, & honeſta paupertas ab omni dignitate civitatis excludetur. Eſtque turpiſſimum audire, quod de Româ Jugurtha olim dixit: *O urbem venalem, & citò perituram, ſi emptorem invenerit!* ut eſt apud Saluſt. Quantò verò laudabilius Alexii Angeli illud factum, qui ſuſcepto Imperio (*anno Chriſti 1203.*) proclamari juſſit; *Magiſtratus ſeſe non venditurum, ſed delectu ex optimis habito, gratuitò mandaturum*, teſte Nicetâ lib. 2.

Quò ſpectat quoque illa conſtitutio, in publico regni Galliæ Concilio (*anno Chriſti 1561.*) ſub Carolo IX. Aureliæ habito, facta; quâ vetitum fuit, ne officia venalia eſſent, ſed conferrentur à Rege (nominatione factâ ab ampliſſimis cujusque loci civibus) ſpectatæ probitatis & doctrinæ viris; de quorum ſcientiâ ac peritiâ extemporale examen fieret, priusquam admitti poſſent; ut author eſt Antimachiavellus libr. 3. theorem. 24. Sed & judicum atque magiſtratuum, qui juri dicundo præſint, prudens Princeps cavebit multitudinem; utpote quam Rei-

publicæ

publicæ minùs commodam atque utilem esse, modicum verò numerum salubrem, vel ipsius naturæ judicio facilè intelligi potest. Etenim si quæstio, in judicium quæ venit, ardua non est, quorsum, quæso, opus pluribus judicibus, cujus expediendæ unus sufficerit, integritate, innocentiâ & mediocri doctrinâ præditus? Deinde Princeps, qui juri reddendo multos magistratus instituet, vel multiplices judicum gradus sive ordines, vel multos eodem gradu & pari dignitate juridicos statuat, necesse est; si multos gradus judicum fecerit, judicia haud dubiè longiora & perturbatiora erunt, non sine litigantium jacturâ; quippe quos per longos circuitus circumduci, & variorum judicum tribunalibus adeundis, per multiplices instantias, veluti gradatim ascendendo, fatigari oportet. Si multos eodem gradu & dignitate legerit, (quod ante statutũ illud Concilium Aureliæ habitum, in Gallia factum, scribit Antimachiavellus, ubi præsidiales sedes fuerant institutæ, veteribus consiliariis in Parlamentis asscripti novi; multi denique præpositi, aliique juris ministri creati) tantum abest, ut tanta judicum turba jus meliùs atque promptiùs reddat; ut etiam longiorem litium seriem, majoresque sumptus afferat. Nam ut plures unum in locum conveniant, & sententias ordine dicant, multum temporis consumi necesse est; imò &, secundùm poëtam,

Segniùs expediunt commissa negotia plures.

Postremò non satis est, ut bonorum judicum delectum habeat Princeps, sed etiam operam dabit, ut συνέδριον judiciale ex diversis ordinibus salubri & concordi temperamento sit mixtum & conflatum; quo Romanos quondam in creandis magistratibus usos fuisse legimus, qui non tantùm nobiles & patricios, sed equites quoque & plebejos ad honores promiscuè admittebant, *ne pars una civitatis ab alterâ fastidiri videretur; ipsiq; magistratus nec summis, nec infimis suspecti essent.* Quod ex Marci Valerii, prudentissimi senatoris, & fortissimi Ducis patet oratione, apud Dionysium Halicarnassæum lib.7. Vix aliud, inquit, utilius est ad salutem Reip. tuendamque libertatem, quàm assumi plebem ad res gerendas, & Reipubl. administrationem ita temperari, ut nec penes solos optimates, nec solos plebejos sit, sed utrinque mixta. Sic enim potentiores senatores, novatis rebus, in prudenti civitate dominationem tyrannicam non inferent. Quandoquidem, si quis in senatu aliquam factionem paraverit, die per tribunos dictâ, cogetur rationem factorum & inceptorum plebi reddere; & quò major terror legum transgressoribus, morumque corruptoribus propositus fuerit, superbis & avaris hominibus multos adhibendo observatores & custodes; tantò meliùs constitutam habebimus Remp.

Sic & Josaphatus, rex Judæorum, per omnes urbes

urbes & oppida regni ſui, lectos conſtituiſſet judices, Hieroſolymis συνέδριον, ſeu Parlamentum quoddam inſtituit, ex præcipuarum regni familiarum Principibus compoſitum; qui ſupremæ jurisdictionis gradum tenerent, & cognoſcendi de cauſis appellationum, à ſententiis inferiorum judicum, litiumque ſine provocatione finiendarum, ſummum jus haberent, 2. Paral. 19. & apud Joſeph. lib. 9. Antiq. c. 1.

Flos XIV.

Judex templum eſto innocentiæ, ara juſtitiæ, ſacrarium temperantiæ, promptuarium prudentiæ.

THeodoricus Veronenſis, Italiæ rex, apud Caſſiodorum lib. 1. ep. 12. judicem ſuum ſic inſtruit: Eſto innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara juſtitiæ; abſit à judiciariis mentibus aliquid profanum. Quod præceptum non diſſentit à Jethronis, Moſis ſoceri, conſilio, de legendis in magiſtratus viris, Dei timentibus, veritatis amantibus, & qui avaritiam odiſſent, Exod. 18. Primùm ergo neceſſe eſt, judicem virum eſſe bonũ, & omni virtute, inprimis verò pietate, inſtructum. *Judex enim Dei metuens, eumq́ ſeriò*

cordis affectu amans, proximum quoq; tanquam seipsum diliget; cavebitque sedulò, ne in functione muneris sui quicquam adversus ipsum committat, quod in se factum nolit; insuperque actiones suas, velut in tabellas referet, tanquam earum rationem summo illi Principi ac domino redditurus. *Nec enim hominis, sed Dei exercet judicium*, 2. Paralipom. 19. *qui rationem ab ipso exiget*, juxta Salomonis Sapientiam cap. 6. Et idem Salomon Proverb. 28. *Viri mali*, inquit, *non cogitant judicium; qui autem inquirunt Dominum, advertunt omnia*. Imò & pietate sublatâ, fides, quæ justitiæ fundamentum, tollitur, secundùm Ciceronem lib. 2. de naturâ deorum, & Offic. 1. Unde non sine causâ veteres olim, teste Platone libr. 6. de ll. forum judiciale templis volebant esse vicinum. *Nam & templum sanctum Deo est, mens pii, & altare optimum, cor mundum, & sine peccato*, inquit Xystus Pythagoricus in Enchiridio. Debet igitur *vir bonus* (quo nomine à veteribus sæpè non alius, quàm judex intelligitur,) proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere; *ne, dum delectatur loco gloriæ, fiat subditis author ruinæ*; & qui gravatur pondere suarum, velit fieri judex alienarum culparum. *Durum enim est, ut, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat alienæ*, ut pulchrè scribit Gre-

gorius

gorius in Ecclesiast. cap.7. Cui & divus Ambrosius suffragatur sermone 20. *Judicet*, ait, *ille de alterius errore, qui non habet in seipso, quod condemnet*; judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putavit punienda; ne, cùm de alio judicat, in se ferat sententiam. *Nec enim potest ullam authoritatem habere sententia, ubi, qui damnandus est, damnat*, inquit Seneca lib. de remediis fortuitorum: Et hoc ipsum quoque judicis parit contemptum, quo nihil studiosiùs fugiendum judici. Si enim non patimur verrucas nostras ab iis, qui ulceribus scatent, reprehendi; quantò minùs vitia à similibus condemnari? Unde rectè Athenienses, in Areopagum ascensuros, triplici priùs δοκιμασίᾳ probarunt, ne quid vitiorum in iis maneret. Verè igitur

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cùm judex, alios quod monet, ipse facit.

ut Ovidius canit Fastorum libr. 6. & Epictetus apud Stobæum sermone 9. *Minimè in judiciis*, inquit, *delinques, si ipse in vita tua delicta caveris.*

Quemadmodum autem vera trutina neque à bonâ & concinnâ corrigitur, neque per falsam examinatur; *sic etiam justus judex neque à justis castigatur, neque apud injustos judicatur.* Quocirca sicut ignem oportet esse calidum, ut urat, ita & judicem justitiâ

oportet esse indutum, ut eam reddere queat aliis, authore Philone in lib. de judicibus. Hæc enim virtus animæ est, & quasi spiritus judiciorum, ab ipso Deo severè mandata judicibus, Deut. cap 17. *Judices*, inquiente, *& magistros constitues in omnibus portis tuis, qui judicent populum justo judicio, nec jus inflectant.* Et in Salomonis Sap. cap. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Et Proverb. 17. *Abominabilis coram Domino, qui justificat impium, & condemnat justum.* Sic & Ægyptiis Regibus, ex præscripto legis antiquæ, moris fuit, judices mox futuros jurejurando adigere; *ne si rex quidem injusti quippiam injunxisset, à virtutis medio declinaturos; nec lineam omnino, quod dicitur, moturos*, teste Plut. in Catone minore. Et rectè. Judici enim conscientiæ religio & muneris sui fides Regis sui gratiâ charior esse debet. Documento sit Helpidius præfectus urbis Constantinopolitanæ; cui, cùm coram innocentem quendam torquere Constantius Imperator præcepisset; *nō magis æquo, quàm magno animo* abrogari sibi potestatem oravit; & hæc potioribus aliis ex sententiâ Principis agenda permitti, teste Ammiano Marcellino lib. 21. Omnino enim, etiamsi reus plurium testimoniis convincatur, judex verò sciat, rem aliter se habere; *potiùs personam & officium suum debet deponere, & pro veritate testimonium dicere*, ne quis innocens aut indefensus opprimatur. Siquidem

sacra

ſacra pagina, *etiam muti cauſam agendam eſſe*, docet Prov. 31. Extra talem tamen caſum, *judex juxta allegata & probata judicare tenetur.* Idem Plut. lib de vitiosâ taciturnitate teſtatur, fabulam de Bochoro, Ægyptiorum rege, jactatam fuiſſe; quòd, cùm eſſet naturâ gravis & auſterus, Iſis illi aſpidem immittere ſolita ſit, quæ capiti circumvoluta ſupernè hominem inumbraret, ut oſtento eo territus, niſi de causâ jam compertâ, & certis argumentis deprehensâ, rectè judicaret. *Tam diu autem judex dicitur, quamdiu & juſtus putatur*, inquit Caſſiodorus in epiſt. *quia nomen, quod ab æquitate ſumitur, per ſuperbiam non tenetur.* Unde & apud Ariſtotelem lib. 5. Eth. c. 4. *ad judicem ire, nihil aliud eſt, quàm ad jus ire.* Sunt autem juſtitiæ in judice, quę requiritur, ſeptem potiſſimùm quaſi propagines.

Ac primò quidem veracem eum eſſe oportet, & cùm omne mendacium odiſſe, tum verò maximè ſycophantarum calumniis & aſſentationibus aures occluſas habere. Quod Deus ipſe apud Prophetas ſeveriſſimè præcipit, Zach. 7. *Judicium verum judicate:* & iterum cap. 8. *Veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris:* & Jerem. 21. *Judicate manè judicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis. Judicis ergo eſt, ſemper in cauſis verum ſequi;* ait Cicero Offic. 2. Apud Ægyptios ex ejus collo, qui inter judices primarium obtinebat locum, numinis imago

pendebat, è gemmis & auro confecta; quod Numen ipsi veritatem nuncupabant, innuere volentes, *judicis cordi oriq; veritatem inesse semper debere*, teste Æliano lib.14. & Diodoro libro 1. capite 6. Qui eodem lib.1. cap.4. narrat, in Simandii, regis Ægyptiorum, sepulchro, ab unâ muri parte, judicum stetisse signa triginta numero absque manibus, eorumque Principem ita constitutum, ab ejus ut collo suspensa propenderet veritas, ipse autem esset oculis subclausis, librorum cumulo circumjecto, ceu veritas modò sit inspectanda. Deinde *æqualiter utraque pars est audienda.* Sic enim, teste Senecâ lib.2. de irâ, cap.29. *magis veritas elucet, quò sæpiùs ad manum venit.* Etenim, ut Plato scribit, *quo pacto quispiam aut jus rectè dicere, aut homines decenter judicare poterit, qui non utrumq; litigatorem audierit? Sermones enim, ut purpura & aurum, meliùs dijudicantur, si invicem conferas.*

Nam quam ob causam aliam vel dicendi tempus utrique conceditur adversario, aut cur judex utrumque se similiter auditurum jurat, nisi existimaret legislator, causas hoc modo justiùs & meliùs à judice disceptari posse. Unde & Siracides in Ecclesiastico cap.11. *Antequam scruteris*, ait, *ne reprehendas; intellige priùs, & tunc increpa; antequam audieris, ne respondeas.*

Etenim

Etenim ut eleganter & appositè Lysias dixit, si quidem fieri posset, ut, quod justum, aut justitiæ consentaneum est, ex priori sive præcedente oratione cognosceretur; utique nihil opus esset, reos causam suam ipsos dicere, sed indictâ causâ supplicia subeundo mori: veruntamen quandoquidem nonnunquam ita contingere atque usuvenire potest, ut accusatores sepositâ veritate mendacia dicant, sanè convenit, ut auditâ utrâque parte ita demum justitiæ feramus suffragium.

Utiq; enim, juxta Ammianum Marcellinum libr. 15. *nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum est.* Respondendi itaque altercandique potestas patet, inquit Tertullianus in Apologetico, quando nec liceat inauditos & indefensos omnino damnari. Hinc rectè Seneca in Medea:

Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Quocirca in utraque parte audiendâ judex fidem & diligentiam præstet, exemplo Alexandri Magni, qui, cùm in causis, præsertim capitalibus, sederet judex, accusatori aurem occludebat alteram, ut reo eam conservaret integram, teste Plutarcho in ejus vita.

Apud Athenienses etiam, Heliastæ judices, ita jurabant: Audiemus æquè accusatorem

& reum, teste Demosthene in Timocratem. Juramentum item magistratuum & judicum extat in Justiniani Imperatoris Constitutione, Novella 9. *Æquum me utriq; parti, tam in disceptandis cõtroversiis, quàm tuendâ disciplinâ publicâ, præbebo; neutri parti præter jus & fas addictus ero. Quòd si hæc non observavero, omnibus incommodis ero expositus, tam hic, quàm in futuro seculo, in horrendo judicio magni Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi; habeboq; partem cum Judâ, & lepram Giezi, & tremorem Cain; insuperq; pœnis, quæ lege continentur, ero subjectus.* In duodecim quoque tabulis, teste Gellio libr. 13. c. 2. lex extat; *Ante meridiem causam conscito, cùm perorant ambo præsentes; post meridiem præsenti litem addicito, si ambo præsentes; sol occasus suprema tempestas esto.*

Δωροφαγίαν quoque justus judex fugiat, & avaritiam omnium malorum matrem & radicem, quâ nullum vitium tetrius est in judice, cæterisque Remp. gubernantibus. Quoniam *habere quæstui Rempublicam, non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium*, inquit Cic. Off. 2. *Sed nec ullum officium tam sanctum est atque solenne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat*; ut idem loquitur in oratione pro Quintio; utpote *quæ sola*, ut in veteri est oraculo apud Suidam, *perdit Spartam, non ornat*; & non modò singulos homines, sed universas quoque familias

familias evertit, totamque labefactat Rempubl. Unde non absque ratione sacra pagina judicem munera accipere prohibet; utpote *quæ oculos sapientum excæcant, & causas justorum judiciique semitas pervertunt*, Exod.23. Deut. 17. & Prov. 17. vel, ut Cic. loquitur Verrinâ secundâ, *judiciorum religionem veritatemq; perfringunt*; imò & dira illis minatur, qui pro muneribus impium justificant, & pauperes in judicio opprimunt, Esa. 5. & 10. Quòd si qui rectè judicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat; *quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit*, ut Isidorus ait libro 3. de summo bono, c. 58. Quantò magis judices nequam & pravi, qui cupiditatis causâ aut differunt, aut pervertunt judicium, quo usque marsupia eorum, qui causantur, exhauriant. Cujusmodi pravi & avari judices fuerunt Ophnis & Phineas, Samuelis filii, qui muneribus corrupti, perverterunt judicium, 1. Reg. 8. Callistratus item in Atheniensium Rep. quem judiciarias exactiones supra modũ auxisse, tradit Aristoteles, citante Suidâ. Et Romani illi judices, quibus Publius Clodius, ut incæsti crimine, in Bonę deæ sacris commissi, nocens, reus absolveretur; noctes, matronarum & adolescentium nobilium magnâ summâ emptas, mercedis loco erogavit; ut author est Valerius Maximus lib. 9. c. 1. Statenus senator, qui cùm judex esset, in eodem judicio ab

reo pecuniam accepit, quam judicibus divisit; & ab accusatore, ut reum damnaret; teste Cic. Orat.2. in Verrem: Felix deniq; Judææ præses, qui, cùm Paulum Apostolũ in vinculis captivũ haberet, magnũ aliquod mun' ab eo sperans, frequẽnter ad se vocabat: sed cùm pecunia nulla offerretur, Festo successori suo vinctũ reliquit, Act.24.

Rectè igitur hujusmodi judices corruptos lege Juliâ repetundarũ teneri, Marcellinus JCtus respondit, & Imperatores Gratianus & Valentinianus rescripserunt, l.3.ff.ad l.Jul.repetund. & l. omnes.C.eod. *Judicium .n.simile esse debet castæ virgini, ideoq; longè hinc amovendæ corruptelæ & largitiones*, secundùm Platon.lib.12.de ll. *Gladius namq; conditur, ubi aurum suscipitur*; scribit Cassiodor.lib.2.ep.1. Atq; ita consequenter crescit peccantiũ libido, ubi redimendi spes datur, *& facilè ad culpã itur, ubi venalis est innocentium gratia*, inquit Arnobius lib.3.adversus gentes. Apud Thebanos olim publicæ judicũ statuæ fingebantur absq; manib. & clausis oculis, quòd nec munera recipere, nec oculos in cujusquam gratiam deflectere debeant, teste Plut.in libello de Iside.

Nam & à judice προσωποληψίαν procul abesse præcipit Deus Deut.1.& 16.& ut eruat vi oppressum de manu calumniantis, Deuter.18. & Jer.21. Unde rectè Archytas; *Judicem & Arã idem esse*, dixit: *ad utrumq; siquidem confugiunt, qui injuriâ afficiũtur*; sentiens, tales oportere esse judices, qui

oppres-

oppreſſis ſint præſidio, ut Ariſt. refert Rhet. lib. 3.

Ita namq; cõparatum eſt, ut dives citò corrũpat judiciũ, pauper a. dũ non habet quod offerat, nõ ſolũm audiri contemnatur, ſed etiã contra veritatem opprimatur, quod Iſidor. ſcribit lib. 3. de ſummo bono. Quemadmodũ igitur ſol nõ alius eſt pauperi, quàm diviti, ſed omnib. cõmunis: ita & judex nõ perſonã, ſed rem ſpectare debet, ſi ritè ſuo fungi velit officio. *Tamdiu n. judex dicitur, quãdiu & juſtus putatur.* Iniqui v. judices errant à veritate ſententiæ, dũ intendunt qualitatẽ perſonæ, & juſtos ſępè exulcerant, dum improbè defendunt iniquos, ut ibid. ſcribit Iſidor. Quiſquis igitur es judex, juxta fidele cõſiliũ à Hieronymo datũ Damaſo, alienũ te à perſonis omniũ redde in judicio, ac ꝓpter juſtitiã in judicio pauperem defendas, nec propter gratiã diviti indecenter asſiſtas; aut ſi non potes facere, cognitionem reſpue cauſarum. Quemadmodũ n. ſol ad animũ libertatis ſtudioſum cõparari poteſt, ſic homo alienꝰ ab avaritiâ, nec ulli rei mancipatus, ſed ingenuus neminis perſonã acceptat; non excelſo loco conſpicuos metuit, neminẽ formidat; dixeris eũ eſſe volucrem aquilã, celerẽ, ſublimia petentẽ, nullis reb. terrenis addictam. Sic ſi purã habeas mentẽ, & lucri ſuperiorem, ſi donorũ captione animum non ſordidaveris; Reges non formidabis, plebem non revereberis, non eximios, & magnâ potentiâ præditos metues; ſcribit Conſtantinus Manaſſes in Annalibus ſuis, pag. 91.

Quatuor nempe modis, eodem teste Isidoro, dicto loco, judicium humanum pervertitur; timore, dum metu potestatis alicujus veritatem loqui pertimescimus; cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus; odio, dum contra quemlibet adversa molimur; amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus. Quàm verò grave sit, vel odio, vel amicitiâ, vel metu, vel munere, vel quolibet modo, judicium pervertere; testatur divus Hieronymus in Amos cap. 6. his verbis: Quicunq; aut consanguinitate, aut amicitiâ; & econtrà, vel hostili odio, vel inimicitiâ, in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia; & fructum illius vertit in amaritudinem. Et divus Augustinus ad Casulanum; Quisquis, inquit, cujuslibet potestatis metu veritatem occultat, iram Dei super se provocat: quia magis timet hominem, quàm Deum. Quoniam ergo affectus justitiæ maximè obsistunt; siquidē juxta Senecam epist. 60. rem consilio & cogitatione videre non sinunt; (quemadmodum enim arquatis & veternosis omnia lutea videntur, & febricitantibus amara, quæ dulcia; aliterq; omnibus de rebus ebrii, aliter sobrii judicant; idem quoq; putandum evenire iis, quorum animus affectu quodam occupatus est, ut Muretus scribit ex Varrone in oratione de judicandi munere:) ideo omnes oportet affectus in tribunalis vestibulo exui; & ideo quoque solent

judices

judices ſedere,ut tranquillitatis animi admoneantur. Hanc eandem ob cauſam Areopagitæ, litium controverſias non interdiu, ſed noctu & obſcurâ luce judicabant,ut procul ab omni affectu,qui animos in diverſum agit,ferre poſſent judicium.

Non enim ignorabant,hominis aſpectu,cultu,veſtitu,geſtibus item moveri interdum judicem, ut à juſtitiæ & æquitatis tramite decedere cogatur. Lege item apud eos cautum fuit, ut, qui cauſam diceret, nec prœmio uteretur, nec ad miſerationem aut invidiam judices adduceret, *ne cui plus in miſericordiâ,quàm in causâ ſpei eſſet*; ut ex Luciani Hermotimo, & Anacharſide hæc refert Alexander ab Alexandro lib.3.dierum genialium c.5.

Inprimis autem ab irâ ſibi caveant,quorum judicandi munus eſt,utpote cum quâ nihil rectè fieri,nihil conſideratè poteſt. *Quæ enim cum aliquâ perturbatione fiunt, nec conſtanter fieri poſſunt;nec ab iis,qui adſunt,probari*, inquit Cicero Offic.1. Et iterum: *Prohibenda eſt maximè ira in puniendo.* Nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit,qui eſt inter nimium & parum. Cavendum eſt igitur, *ne major ſit pœna,quàm culpa*;ex Sen.lib.1.de irâ cap.16.

Malè vitæ necisque poteſtas, & ferrum irato committitur; nullus ſiquidem affectus vindi-

candi cupidior est, quàm ira, ut idem scribit eodem libro cap. 12. Rectè itaque præcipiunt, qui judices ita sententias volunt dicere, ut illi, qui aliis medentur, pharmaça adhibent, & interim ægroto non irascuntur; aut ut leges, quæ ad leges non iracundiâ, sed æquitate ducuntur; ut iidem scribunt authores dictis locis.

Amor quoque, gratia & benevolentia, pestes sunt & venena judiciorum. Quemadmodum n. authore Quintiliano lib. 6. c. 3. *Amantes de formis nihil possunt judicare, quòd oculorũ sensum premat amor; ita amanti*, secundùm Aristot. lib. 2. Rhet. c. 1. *is, quo de judicatur, aut nihil, aut parũ injustè videtur agere*. Rectè ergo Publius Rutilius, cùm amici cujusdã injustæ petitioni resisteret, atq; is per summam indignationem dixisset; *quid ergo mihi opus est amicitiâ tuâ, si, quod rogo, non facis?* respondit, *imò, quid mihi tuâ, si propter te aliquid inhonestè facturus sum*, ut author est Valer. Max. lib. 6. c. 4. Sic & Themistocles, oratus à Simonide poëta, ut amicum, non adeò justam causam habentem, quàm commendatissimum haberet, respondit; nec Simonidem fore bonũ poëtam, nisi mensuram modumq; in canendis carminibus, quæ scribebat, curaret; neq; se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac justitię alicujus gratiam præponeret, teste Plut. in apoph. Hinc & Cicero Offic. 3. Neque contra Rempub. inquit, neque contra jusjurandum ac fidem, in amici causâ vir

bonus

bonus faciet, ne, si judex quidem erit, de ipso amico. *Ponit enim personam amici, cùm induit judicis.* Nam si omnia facienda sint, quæ amici velint, *non amicitiæ tales, sed conjurationes putandæ sunt.* Et pro Planco: Semper iniquus est judex, qui aut invidet, aut favet; *debetq; in judicio imbecillis esse invidia.*

Deniq; & metus à judiciis est submovendus, utpote qui vacuitatem rationis habet segnem, otiosam & perplexam; mentes oculosq; obtundit, animumq; perturbat, & alligat territum; unde & metum δεῖμα, h. e. ligamentum Græci dixerunt, teste Plut. in libello de superstit. Unde & metus tempore ratio omnis & consilium deest; teste Xiphilino in Pompejo. Et, secundùm Curtium lib. 4. *Meticulosi ad deteriora credenda sunt proni, & opprimit leges timor*; quod Seneca dixit in Hercule furente.

Præterea, quia justitia nihil est aliud, quàm τὸ νόμιμον καὶ ἴσον, hoc est, legale & æquale secundùm Aristotelem lib. 1. Eth. c. 1. Ideo secundùm leges judicem judicare convenit. Bonus judex (inquit divus Ambrosius sermone 20.) nihil ex arbitrio suo facit, & domesticę voluntatis proposito, sed juxta leges & jura pronunciat; statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; nihil paratum & meditatum domo defert, sed sicut audit, ita judicat; & sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur legibus, non

adversatur; examinat causæ merita, non mutat. Quemadmodum ergo architectus normam habet, ad quam dirigit ædificationis laborem, & rectum à non recto discernit: sic in judiciis oportet esse scriptas leges, tanquam normas immotas justi & injusti, quibus & regantur homines, & controversiæ dirimantur; ut est in oratione Æschinis contra Ctesiphontem. Alioquin certè, ipsâ experientiâ teste, nullus unquam controversiarum foret finis, *nisi legum authoritas, velut Gorgonis caput, litigantibus objiceretur.* Ubi igitur lex sine dubitatione plana est, non tantùm injuria fit legi, si judex velit eâ prudentior esse; sed etiam in majestatem peccatur, quia inferior potestas nequit abrogare superiores leges; ex quibus sententiam ferre ipse jurejurando tenetur.

Memoratu digna Biantis Prienæi in judicando integritas, qui damnaturus quendam ad mortem, lachrymatus est miseriam hominis, & meritò deplorandam fortunam. Quodam verò dicente; quid est, quòd defleas, cùm in tuo sit arbitrio, condemnare aut liberare hominem? respondit, *necessarium quidem esse, naturæ condolere, à lege autem & justitiæ regulâ discedere, magis perniciosum esse,* teste Strabone libr. 9. Geographiæ c. 14. & Stobæo serm. 44.

Quoniam verò *omnia legibus comprehendi nequeunt,* quod eruditè monet Aristoteles lib. 5. Ethic. c. 10. ideo ad mentem legislatoris est atten-

den-

dendum,& ad omnes circumſtantias,quæ commodam legis ſubminiſtrant interpretationem; an exaſperanda ſit,an mitiganda; & inprimis cavendum, *ne ſummum jus ſumma ſit injuria.* Quod & Cicero monet in oratione pro Cęcinnâ: *Scriptum ſequi*, inquit, *calumniatoris eſt; boni verò judicis, voluntatem ſcriptoris authoritatemq́ue defendere.*

Quę lex enim,quod ſenatusconſultum,quod magiſtratus edictum, quod teſtamentum non infirmari aut convelli poteſt,ſi ad verba rem deflectere velimus; conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem & authoritatem relinquamus?

Non enim ex verbis totum pendet jus, ſed verba ſerviunt hominum conſiliis & authoritatibus; nec verba veniunt in judicium, ſed ea res, cujus causâ verba in leges conjecta ſunt. *Æquitas igitur aſſumenda, ubi probabilis eſt ratio mitigationis*; veluti, ſi ex caſu & errore peccatum, ſi ex communi hominum imbecillitate, ſi ſemel tantùm,ſi inculpabilis anteacta vita,ſi publica tranquillitas privata commoda negligi poſtulet. Tunc enim non audiendi ſunt ἀκριβοδίκαιοι,qui ſtrictum jus æquitati præferunt, ſed ſemper facienda interpretatio in benigniorem partem, quæ ſcil. tendit ad liberandum, non ad obligandum; quod & Salomon præcipit Prov.30. *Noli nimiùm juſtus eſſe, ne pereas in juſtitiâ; qui enim nimiùm*

emungit nares, elicit sanguinem. Unde &, secundùm Heliodorum lib.10. *judicem legitimum definimus eum, qui æquitatis patronus ac defensor.*

Illustratur hoc exemplo Jacobi Carrariensis, Principis Patavini, sicut à Bernardino Scardeonio recẽsetur lib.3. classe 13. descriptionis Patavii. Hoc, inquit, tanti viri postremũ facinus minimè tacendum est, quod in novissimo penè spiritu dignum memoratu fecisse perhibetur. Nam factâ sui potestate omnibus, quicunq; queri de se vellent, laxatis forib. liber aditus patebat; ut, si fortè aliquâ in re quempiam defraudasset, præsens ipse indicaret, redditurus quicquid injustè acceperat. Interim cùm omnes ejus dicta factaq; maximè approbassent; quidam arroganter petiit, pecuniam ob remissam sibi capitis damnationem restitui, tanquam indebitè solutam. Cui Jacobus generoso spiritu, sed exili voce: (animam enim exiguâ vitæ spe jam trahebat) Si tunc justitia in te reddita fuisset, respondit, nunc quod injustè facis, queri de me non posses. Nam capitalis criminis reus eras factus, & ejus pœna in pecuniã, non in tuam, neq; in meam, sed in Reip. gratiam cõmutata est. Quare abi bone vir, & qui hactenꝰ malus fuisti, mutatis in melius moribus, vir bonus esto: *Cùm, si pecunia reddatur tibi, tu quoq; caput (quod æquũ est) pariter reddas, necesse sit;* id n. eâ pecuniâ redemisti. Nullius ego mihi peccati propterea malè conscius sum, nisi

fortè

fortè quòd mitiùs, quàm merueras, multatus fueris.

Pari modo, cùm Carolus, Dux Burgundiæ (*a. C.1467.*) pace cum Leodiensibus confectâ, ab iis obsides accepisset, eâ cõditione, ut, si quid contra pactiones facerent, integrũ esset ipsi supplicium de illis sumere: Leodienses a. furente populo (ut est levis & inconstans,) immemores fidei datæ, violatâ pace, Carolũ rursus ad arma concitassent; deliberatum fuit, quid de obsidibus statuendum esset? Multi putabant eos necandos, inter quos fuit Condęus, vir maximę authoritatis apud Carolum; obtinuissetq; tam crudelis sententia, nisi Imbercortus Ambianus Carolum ad mitiorem sententiam, quæ à majori parte consiliariorum, & quidẽ non immeritò, approbata fuit, flexisset. Cùm Condæus tam atrociter dixisset in obsides, qui simpliciter persuasi, & suorum fidem secuti, pro salute patriæ in eas angustias & discrimen devenerant; Ex nostris (inquit Cominæus lib.2. de rebus gestis Ludovici XI.) quidã ad me tacitè; Vides, ait, Condæum, licet ætate sit gravis, firmâ adhuc esse valetudine; sed ausim affirmare, quandoquidem adeò crudeliter sententiã dixit, intra annum esse moriturum. Atq; ita quidem accidit. Meritò a. in hoc mitior obtinuit sententia, quia absurdum est, innocentes condemnari; leges autem præcipiunt, quòd pœnæ suos tenere debeant authores, *l.sancimus.C.de pœnis.*

Denique judicum quoque sententiæ mandandæ sunt executioni; *alioquin enim satius esset, non proferri leges, quàm prolatis non obtemperari,* inquit Aristoteles lib.3.Polit. c.8. Nec ullus Reip. est usus, quæ non habet nervos adversus delinquentes. Hinc enim oritur legum contemptus, despicientia magistratus, civium petulantia, rebellio & defectio; *cùm deteriores omnes simus licentiâ.* Imò, ut scelera puniantur, legis divinæ interest; *Dei siquidem est judicium*, Deut.2. Unde Lactantius lib. de irâ Dei; *Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ; Deus autem potest, quia est suæ dispensator atque judex.*

Et dignum est memoratu, ex Annalibus Galliæ, insigne Ludovici IX. regis Galliæ facinus, qui, cùm forte aliquando ex Psalmis Davidis preces ad Deum conciperet; & quidam, qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, intervenisset, & Rex, quasi aliud agens, annuisset; mox verò in versiculum Psalmi 106. *Beati, qui faciunt justitiam omni tempore,* incidisset; protinus revocari jussit eum, cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit, memorabili editâ sententiâ; *Principem, qui punire potest crimen, nec punit, non minùs coram Deo reum esse, quàm si id ipse perpetrasset: pietatis esse opus, non sævitiæ, justitiam facere.* Utique enim, *qui parcit malis, nocet bonis; & qui improbè defendit iniquos, sæpè justos exul-*

exulcerat. Et qui injustè judicat, Dei justissimi judicis iram & indignationem in se concitat; qui ut justos judices adjuvat atq; protegit, ita injustos severè punit.

Pilatus, (ut hinc ordiamur,) Hierosolymorum præses, *non justum, sed ipsam damnavit justitiam.* Nec imprudens fecisse videri potest, quia, nisi injustè & impiè se facere sensisset, nunquam lotis manibus nefarii istius judicii expers credi voluisset; ceu quisquam, sibi sceleris conscius, aliquâ sui parte mundus esse possit. Sed dum Cæsaris timet offensionem, iram supremi Numinis sibi attraxit gravissimam, nefariæque in Christum sententiæ meritas dedit pœnas (*an. Christi 40.*) ex sceleris conscientiâ violentas sibi manus inferens.

Sisamnes cùm, pecuniâ atque largitione corruptus, iniquè judicasset; eum Cambyses, rex Persarum, faucibus strangulari, ac vellicato cadavere, pellem, quo sederat, tribunali intendi ac consterni jussit: Quam in sedem postea ejus filium Othanem collocans; Memento, ait, quo ex loco judices, teste Herodoto libr. 4. Sic & Diodorus lib. 15. author est, sub Artaxerxe rege, judices quosdam injustos, similiter vivos excoriatos fuisse, & cute circum subsellia expansâ, judices eis insidentes, sententias dixisse; quò recens semper ante oculos supplicii exemplum extaret eorum, qui injustè judicassent.

Sandacem, Æolidis pręfectum, quòd pecuniâ corruptus injustè judicasset, Darius cruci affixit, ut author est Alexander ab Alexandro lib.3. dierum genial.c.5.

Capito, cùm ab eo jus dicente reus provocasset, statim in sellam excelsiorem transsiliens, ita edixit: Age, dic causam apud Cæsarem; eumque, causâ denuò cognitâ, damnavit. Hujus insolentiæ atq; iniquitatis accusatus apud Galbam Imperatorem, pœnas luit. Etenim *à minore magistratu personam Cæsaris, summæq; potestatis nomen, & prærogativam usurpari, non leve est crimen*, scribit Xiphilinus in Galba.

Apud Leonem Armenum Imperatorem, teste Cedreno, conquestus quidam, suã sibi uxorem à senatore quodam raptam, idq; facinoris se ad urbis pręfectum detulisse, neq; tamen suũ consecutum. Leo statim imperavit sibi sisti actorem, tum reum tam atrocis flagitii, & urbis præfectũ. Quo facto, actorem suam proponere causam, jussit; reum dehinc probationibus convictum, scelusq; professum, ex legibus puniendũ dedit; pręfectum deniq; interrogatum, cur flagitium dignâ pœnâ ultus non esset? cùm hic inops excusationis obmutesceret, munere suo exuit.

Andreas Isernius in c.1. tit. quæ sunt regalia, narrat, Carolum primũ, regem Neapolitanum, jussisse, ut suspenderetur judex, qui certo occisori pœnam hanc solùm indixerat, ut ei pręscindere-

deretur manus; ut Bodinus ſcribit Dæmonomaniæ c.5.

Dominicus Polanus, Candiani filius, triumvir, ex advocatis Reip. Venetę, à collegâ ſuo Antonio Pulduo (*a.C.1494.*) accuſatus acceptæ eo in magiſtratu à reis & litigatoribus pecuniæ; cùm ſenatus Venetus eum comprehendi, & ex vinculis cauſam dicere juſſiſſet; ipſe verò fugâ ſe judicio eripuiſſet; abſens damnatus eſt, ut intra menſem ſe carceri dederet, Caniam Cretæ oppidum exulatum deportandum; quod ſi non faceret, comprehenſo cervices abſcinderentur, bonaq; publicarentur; magnis propoſitis præmiis iis, qui eum aut vivum magiſtratibus tradidiſſent, aut ipſi occidiſſent, ut Bembus ſcribit lib.2. hiſt. Venetæ.

Strigelius denique in oratione de Joſaphato, author eſt, præſidem Hiſpanicum, in quodam agri Mediolanenſis oppido, mulieri promiſiſſe, redditurum ſe ipſi maritum, quem captivum tenebat, ſi cum ipſo concumberet; ac poſtea deceptæ mulieri reddidiſſe interfectum; Gonzagam verò, ſummum gubernatorem Ducatus Mediolanenſis, de hoc cruento ſophiſtâ juſtum ſumpſiſſe ſupplicium.

Porrò ſummum quoq; juſtitiæ aculeum clementiæ melle temperare juſtus judex meminerit; nec ad pertinacem & temerariam propenſus ſit ſævitiam; ſed ad æquitatem reſpiciat, *ne major ſit pœna, quàm culpa. Ubi enim fervida eſt vindicta, ibi non eſt temperata juſtitia.*

Parvis itaque peccatis veniam, magnis severitatem commodabit; *nec pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus esse volet*; quod Tacitus scribit in Agricola. Præsertim *in re dubiâ sanctius esse decet, nocentem dimittere, quàm innocentem condemnare*; quod Marcellus JCtus scribit in l. ea quæ. ff. de regulis juris. & l. absentem. ff. de pœnis. Cui & Antiphon suffragatur; *Si peccatum est*, inquit, *in judicando, præstat sontes injustè absolvere, quàm præter fas quemquam perdere. Illud enim ἁμάρτημα, hoc ἀσέβεια*, ut est apud Stobæum serm. 44.

Sic & Augustus Cæsar, testibus Dione & Suetonio, *jus dixit non modò diligentiâ summâ, sed & lenitate*. Siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi hac pœnâ afficiebantur, ita fertur interrogasse; Certè patrem tuum non occidisti? Et cùm de falso testamento ageretur, omnesque signatores l. Corneliâ tenerentur; nõ tantùm duas tabellas, damnatoriam & absolutoriam, simul cognoscentibus dedit; sed tertiam quoque, quâ ignosceretur iis, quos fraude ad signandum, vel errore inductos constitisset. Nimirũ Regis omnia debent comparata esse ad benevolentiam & clementiam; *qua*, teste Salomone Proverb. 30. *thronum ejus stabilit*.

Postremò prudentes quoque sint judices, & rerum, de quibus sententiæ ferendæ, periti.

Pro-

Professionem nimirum constat esse justitiæ, ait Cassiodorus libr.8.ep.18. legum peritos judices ordinare, *quia vix potest negligere, qui novit æquitatem: nec facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgaverit* Hinc rectè Ægyptii justitiæ picturam circumdabant libris, ut indicarent, se doctrinam in judice requirere, teste Diodoro Siculo lib.5. *Felices igitur artes, de quibus artifices judicant*; & felices Respublicæ, in quibus à prudentissimis quibusque judicia exercentur.

Est autem sapientis judicis, (inquit Cicero pro Cluentio) *meminisse se hominem*, & cogitare, sibi tantum esse permissum, quantum commissum sit & creditum; & non solùm sibi soli potestatem esse datam, verùm etiã fidem habitam esse, meminisse posse, quem oderit, absolvere, quem non oderit, condemnare; animadvertere, quâ lege reus citetur, de quo reò cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cùm hæc sunt videnda, tum illud est hominis magni judicii atque sapientis, *habere in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem*; libidinem autẽ & invidiam, metum, cupiditates omnes amovere; maximi æstimare conscientiam mentis suæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis divelli non potest.

Hujusmodi sapientissimi judicis exemplar proponunt nobis sacræ literæ 3.Reg.3. in Salomone (*anño Mundi 2933.*) controversiam dirimente duarum mulierculatum, quarum altera

filium suum dormiens oppresserat, & sociæ suæ filiolum vivum suffurata, mortuum in viventis locum reposuerat. Hæc controversia, ad tribunal Regis disceptata, cùm non posset dirimi testimonio hominum; pro suâ sapientiâ Salomon accurrit ad testimonium operis divini, naturalem nempe στοργὴν, quâ mater liberos suos amplectitur: Gladio itaq; dissecari superstitem præcipit, & partes matribus distribui; non quidem, ut illo infans occidatur, sed ut maternus affectus effodiatur; quo foris se exerente, necem sobolis deprecando, retractavit sententiam; imò verò non retractavit, sed puerum matri suæ vivum adjudicavit; omnibus qui circumstabant admirantibus, quòd latentem veritatem prudenter inquisivisset & protulisset.

Similis ferè prudentiæ forensis exemplum à quibusdam memoratur in barbaro quodã Rege, qui tribus fratribus, de regni successionibus contendentib. quod sibi & virtute, & patris defuncti benevolentiâ deberi pro se quisq; asserebat, consilium dedit, ut patris cadaver ex sepulchro erutum arbori alligaretur, arcuq; contenderent, ut, qui parentis cor sagittâ transfixisset, verus regni heres judicaretur. Major mediusq; natu, directis arcubus, ille quidem guttur, hic verò pectus medium, illæso adhuc corde, transfixit. Natu minimus, etsi spes adhuc scopũ attingendi superesset, crudelitatem tamen & impietatem tantã detesta-

tus,

ius, *regno se fratribus cedere malle*, dixit, *quàm in patris cadaver impiè sævire.* Hoc audito, Rex ille barbarus dignum esse judicavit, qui solus patri in regno succederet; cùm & virtute, & paternâ benevolentiâ cæteris duobus se superiorem esse, hoc ipso manifestè ostendisset.

Similis prudentiæ forensis à naturali στοργῇ ductę, exemplum recitant Cicero pro Sext. Rosc. & Val. Max. lib. 8. c. 1. Quòd, cùm Romæ parricidii causam duo fratres Clœlii dicerent, splendido Tarracinæ loco nati, quorum pater Titus Clœlius in cubiculo quiescens, à filiis altero lecto cubantib. erat interemptus; neq; servus quisquam aut liber inveniretur, ad quem suspicio cędis pertineret; hoc uno nomine absoluti sunt, quòd judicibus planum factum erat, illos aperto ostio inventos esse dormientes. Hic somnus, innoxię securitatis certissimus index, miseris opem tulit. Judicatum est enim, rerum naturam non recipere, ut occiso patre supra vulnera & cruorem ejus quietem capere potuerint.

Sic & Claudius Cæsar, teste Suetonio, fœminam non agnoscentem filiũ suum, dubiâ utrinq; argumentorum fide ad confessionem compulit, indicto juvenis matrimonio.

Pari modo in Italia, cùm mulier, defunctò marito, secundas nuptias amatori spopondisset, & conditionem addidisset, filiũ se domo ejecturam; questus est filius de matre apud Theodori-

cum, regem Gothorum. Negabat constanter mulier, eum suum esse filium; suppositititium dicebat. Multis hinc atque illinc argumentis cùm contenderetur; Rex ingenio sagax, Claudii Imperatoris imitatione, ut veritatē erueret: Atqui, inquit, ô mulier potes, si me audis, facilè te istâ molestiâ liberare; quin tu juvenem istum, qui filium tuum se facit, maritum accipe; minor est ætate, & facie liberaliore. Mulier omnino commota primùm substitit, quid responderet; cùm aliquandiu se collegisset, multis cavillationibus eam rem subterfugere, neq; sibi constare cœpit, sed omnia ambagibus involvere. Theodorico major orta est suspitio; itaque finxit, se pœnam addere, nisi consentiret. Tunc adacta mulier, sceleris horrore, suum esse filium confessa est, ut author est Johannes Magnus lib. 9. c. 29. ex Justiniano Veneto.

Sic & Alphonso adhuc adolescente, regnorum Siciliæ & Hispaniæ gubernacula (*anno C. 1416.*) in Arragoniâ suscipiente, accidit, ut cujusdā servula ex domino prægnans facta, mox pariens ad libertatem proclamaret, ex lege Hispaniensi, sive Catalaunēsi; (quæ est: *Serva, quæ ex domino liberos suscepit, libera est.*) Dominus autem veritus servam amittere, negabat ex se filium procreatum; ratus, se hoc pacto servam non amissurum, & filium simul habiturum. At illâ acriùs instante, & natum ex domino conceptum asseverante;

rante,cùm ejus rei difficilis probatio,& veritatis periculosa conjectura esset in ancipiti; Alphonsus pro suâ prudentiâ, quæ jam inde ab adolescentiâ statim resplenduit,decrevit,ut infans sub licitatore venundaretur. Cúmque uni,qui majus precium attulisset, infans traderetur; pater pietate victus,à lachrymis temperare nequiit,& suum esse filium,fassus est. Quare Rex & patri filium,& servæ libertatem non cunctanter adjudicavit, teste Panormitâ libr.1.de rebus ejus gestis,& Fulgoso lib.7.c.3.Bodinus lib.4.dæmonomanię c.4.scribit,Alphonsum mandasse,ut mercatori Afro filius venundaretur, & tum filium à patre fuisse receptum.

Similis prudentiæ forensis exemplum recitat Æneas Sylvius libr.2.comment. de rebus gestis Alphonsi,in Friderico III.Imperatore; ad quem cùm rusticus venisset, conquestus, equorum alterum in cauponâ ex bigâ subtractum esse furto; Imperator reum sibi indicari jussit, rusticus cùm hoc nequiret; Miror, inquit Fridericus, cùm etiam alterum non amiseris. Multi enim sunt in hac urbe equites,qui equis indigent. Tum agricola,equa est altera,ô Cæsar,quę belligerantibus nulli est usui. Tu ergo,ait Fridericus,equæ insideto,atque in omnes urbis vicos discurrito; subtractus equus in aliquo stabulo latitat, qui,cùm jugalem equam senserit, mox hinnitum dabit. Paruit homo,eoque pacto furtum compertum

est; rusticus, quod suum erat, recuperavit, & fur pœnas dedit.

Non multùm dissimilem historiam recenset Johannes Paulus in Jocoseriis, de mercatore Germano, circa annum Christi millesimũ quadringentesimum sextum, ad mercatum Francofurtensem profecto; qui vino madidus, hippoperam, octingentis aureis onustam, in itinere amiserat; hic die festo pro concione jacturam istam proclamari fecit, & indici centum aureos se daturũ promisit. Tum faber lignarius, pauper quidẽ, sed integræ vitæ, mercatorem adiit, & à se repertam hippoperam affirmavit: Lætus mercator certis indiciis suã illam esse ostendit. Cúmq; ea coram testibus in medium prolata esset, mercator astu fabrum circumvenire studens, octingentis aureis numeratis, quinq; honorarii causâ ei obtulit; centum clàm ab illo suppressos dictitans, cùm nongenti in hippopera inclusi fuissent. Re ad judices delatâ, cùm mercatoris versutiam perspicerent; jurejurando utrique dato, cùm alter octingentos tantùm se reperisse, alter nongentos se amisisse, Deo teste advocato, profiteretur; decrevêre, ut faber octingentos illos servaret, quoad is, qui eos amisisset, repeteret; nongentos verò mercator ab eo peteret, qui se nongentos reperisse aliquando fassurus esset. Et meritò. *Jus enim exigit, sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis*, inquit Cassio-

Caſſiodorus libr. 5. epiſt. & Siracides in Eccleſ. c. 27: *Qui lapidem in ſublime ejaculatur, capiti ſuo periculum accerſit; & qui foveam alteri fodit, in eam ipſe incidet.*

Sic & Alexander Medices, Dux Florentinus, cùm quidam, amiſsâ bursâ cum 40. aureis, promiſiſſet, ſe duos aureos indici daturum; at ruſtico burſam afferenti quicquam dare negaſſet, quòd duo coronati de ſummâ deeſſent; (42. enim in burſa fuiſſe, nunc 40. tantùm reperiri,) improbitate hominis cognitâ, burſam cum 40. ruſtico reſtitui juſſit; & alterum, qui amiſerat, expectare, donec veniret, qui burſam cum 42. illi offerret. Hanc n. quæ 40. tantùm contineret, illius nõ eſſe.

Præter hæc prudentiæ forenſis exempla, deſumpta partim à teſtimonio operis divini, naturalis nempe στοργῆς & conſcientiæ; (quippe cujus magna vis eſt in utramq; partẽ, *ut neq; timeant, qui nil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint*, ut eſt apud Ciceronem pro Milone;) partim à lege naturæ (quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:) prudens quoq; judex attendat ad circumſtantias, in vulgato iſto verſiculo comprehenſas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Sic in judicando minùs errabit; unde & Ovidius lib. 1. Faſtorum,

Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
Quærere; quæſito tempore, tutus erit.

Hujusq; præcepti elegantiſſimum habemus exemplum in Daniele etiamnum puero, qui, ſeverè objurgatis Iſraëlitis, quòd nullâ quæſtione habitâ inſontem morte plectere cogitarent, permiſſu illorum tribunal conſcendit, & ſingillatim de ſenioribus, qui Suſannam caſtiſſimam ad ſtuprum ſollicitarant, eamque repugnantem, tanquam in adulterio cum juvene comprehenſam, in judicium protractam condemnarant, quæſtionem habuit; cúmque alter ſub lentiſco, alter ſub ilice Suſannam ſe cum juvene adulterantem conſpexiſſe dixiſſet, perfidiâ illorum cognitâ, populo lapidibus obruendos tradidit.

Boni præterea judicis eſt diſpenſare, non tantùm quis damnandus ſit, ſed quatenus. Apud Perſas lex erat humanitatis plena; *ut, ſi quis de crimine aliquo convictus eſſet, non priùs condemnaretur, quàm tota ejus reliqua vita probè à judicibus eſſet expenſa.* Nam ſi cætera probus, in hoc tantùm facinore peccaſſet, humanæ fragilitati veniam dabant, & quamvis noxium, abſolvebant. Sin verò multis aliis vitiis vita ejus obnoxia foret, omnium calculo damnabatur; quòd non caſu, ſed habitu, deditâque operâ malus eſſe videretur.

Magnum item ad rectum judicium momentum afferet prudens judex, ſi ſententiam non præcipitaverit; ſed ad res conſiderandas ſatis temporis & diligentiæ adhibuerit. Nihil enim

tam

tam contrarium eſt judicio, quàm ſubitò ſine judicio decernere; &, ut Seneca in proverbiis ait, *ad pœnitendum properat, citò qui judicat*: & lib. 2. de irâ, c. 23. *poteſt pœna dilata exigi, non poteſt exacta revocari.* Hinc rectè Anaxandridas, Leonis filius, interrogatus; cur, cùm de vitâ anquiritur in judicio, cauſa à ſenioribus per complures dies disceptetur, *& qui abſolvitur, nihilominus reus maneat?* ita reſpondit: Plures dies judicio impendi; quòd ſi in re capitali titubent, non ſit ad pœnitentiam regreſſus; interim reum teneri legibus, *quòd hac lege liceat rectius aliquid de eo decernere*, teſte Plutarcho in Laconicis. Hoc nimirum temperamento proviſum eſt, *ne vel innocens occidatur, vel nocens effugiat*; qui, quamvis errore judicum ſit abſolutus, poteſt eâdem lege denuò conveniri, & pœnas dare legibus.

Cùm Nonius, homo Auguſto Cæſari perneceſſarius, veneficii cauſam diceret, dubitaſſe dicitur Cæſar, quæ eſſent ſuæ partes; veritus, ne, ſi reo ſupereſſet ſua authoritas, legibus reum eriperet: Contrà, ne à ſe deſtitutum prædamnare videretur, amicis ita conſentientibus, ſedit in ſubſelliis aliquot horas, verùm tacitus, *ne judiciali quidem laudatione uſus, ne Princeps plus velle videretur, quàm civitatis jura poſtularent*, ut ex Suetonio hoc annotavit Sabellicus lib. 4. c. 4.

Sic & Antoninus philoſophus Imperator, teſte Dione, etiam minimis in rebus diem con-

ſumpſit; ratus, *non oportere Imperatorem quicquam properè agere.* Et Theodoſius Imperator, (*a.C.390.*) cùm per iram omnes Theſſalonicenſes damnaſſet, monitu divi Ambroſii legem tulit, ut ſupplicia capitalia poſt Imperatoris reſcriptum per triginta dies ſuspenderentur, ut habetur l.20 Cod.de pœnis. Et apud Nicephorum lib.12.c.41. Neq; id absq; ratione. Nam ſi fortè ex affectu, aut ſiniſtrâ criminatione exacerbato animo lata fuerit ſententia, cauſa exactiùs cognoſci, & affectus ſedatior magiſtratus ad clementiorem ſententiam flecti poterit.

Poſtremò, quoniam jus gentium & naturalis æquitas quemquam indictâ causâ, & inauditum condemnari vetant; ideo prudens judex cauſæ veritatẽ priùs ſedulò inquiret, quàm ſententiam ferat. Hujus rei elegans exemplum proponit Dionyſius Halicarnaſſæus lib.5.in Servio Sulpitio conſule, qui, conjuratione de reducendo Tarquinio, rege exule (*a.M.3473.*) indicio duorum fratrum, Marci & Publii Laurentinorum, patefactâ, in tanto ſcelere tot & tantis civibus deprehenſis, nihil per ſe agere ſtatuit; nec in conjuratos temere vindicare. Re itaque ad ſenatum delatâ, cùm ab hoc poteſtatem accepiſſet inquirendi in conjurationis populares, compertosq́; plectendi, & non mediocrem imminere ſibi invidiam cerneret, ſi in tam potentes conjuratos, nobilitate multorumq́ue affinitatibus ſubnixos,

haud

haud ſatis perſpicuis argumentis convictos, animadverteret; rem omnem in tam apertam lucem protrahere, indiciisque tam evidentibus probare ſtatuit, ut nullus dubitationi & calumniæ locus eſſet. Et quia conjuratorum intellexerat conſilium, ut nimirū conjurationis principes noctu arces & munitiora urbis loca occuparent; ſervi oppreſſos ſomno dominos interficerent, & ubi hæc occupata, clamore ex compoſito edito, ſenſiſſent, ſimul improvisâ cæde & tumultu perculſis omnibus, portas Tarquiniis aperirent; Ejuſcemodi excogitavit conſilium, delectis è ſenatorum numero, qui ætate & viribus valerent, negotium dedit; ut cùm fidiſſimis amicorum & clientum munita urbis loca occuparent; collegæ Tullio Longo Fidenas tùm obſidenti ſignificat, ut initio noctis è caſtris ad urbem profectus cum majore exercitus parte, in valle quâdam mœnibus proximâ, ſubſideret; equites circa forum præſidii causâ cum telis & armis, quàm occultiſſimè fieri potuit, collocavit. His ita præparatis, indices juſſit conjurationis ducibus edicere, Tarquinios eâ nocte ad urbem venturos; itaque circa medium noctis in forum venirent cum ſuis, eo loco accepturi ordinem rei gerendæ, & ſuum quisque negotium executuri. Hoc facto, ſimul atque conjurationis principes in forum concurrerant, ſigno dato ſenatores armati loca urbis editiora occuparunt; equites


circumfusi, ne quis elaberetur, conjuratos coronâ circumdedere; consul Longus eodem tempore à Fidenis cum copiis advenit; simul ac illuxit, consules in sedem suam processêre, deprehensique & convicti sunt conjurationis populares, cùm in re tam apertâ nihil dissimulare aut inficiari possent. Omnibus itaque approbantibus, & Sulpicii consulis diligentiam atque fidem laudantibus, de noxiis supplicium sumptum est. Pro coronide & hoc notandum; *omnino licere judicibus de re judicandâ disceptare, sibiq; invicem contradicere*. Alioquin enim *de præteritis rectè nemo judicare potest, nisi contrariæ rationes inter se conferantur*; teste Isocr. in orat. de pace. Quemadmodum enim aurum per se discerni nequit, cum alio verò comparatum rectè dignoscitur: ita quoque nisi diversæ sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, secundùm Herodotum lib. 7.

Exemplo sit gravissima illa apud Salustium senatus deliberatio de modo pœnæ, conjurationis Catilinariæ sociis irrogandæ, de qua egimus in hac Coronâ tertiâ Flore 6. Sed tamen hoc ipsum fieri debet modestè & amicè, non iracundè & contumeliosè; nec reprehendenda sunt omnia, sed fiat distinctio sententiarum, & laudentur, quæ rectè facta, *nec aliorum authoritati & honori invideatur*, ut est apud Plutarch. in præceptis gerendæ Reipublicæ.

Porrò

Porrò ita res agatur, ut non animorum, ſed judiciorum tantùm appareat disſenſio.

Denique non tantùm reprehendantur aliena, ſed etiam noſtra afferatur ſententia; ne malum quidem prohibere, ſed bonum quoq; conficere videamur. Quemadmodum autem integrâ re disſentire fas eſt, ita peractâ re, id quod pluribus placuit, cunctis eſt tuendum.



FLORUM HORTULI HISTORICO-POLITICI

Corona quarta.

De ſubditis & miniſtris aulicis.

FLOS I.

Deum time, Regem honora, *1. Pet. c. 2.*

MUtuatus hunc videtur aphoriſmum Petrus Apoſtolus ex Salomonis regis ſapientisſimi Proverbiis cap. 24. *Time Deum ac Regem.* Quo utroque aphoriſmo præcipitur, ut Deum, à quo omnia, per quem omnia, & in quo ſunt omnia, ante omnia timeamus & revereamur. Ba-

sis enim omnis felicitatis & virtutis est θεοσέβεια, & mater sapientiæ, omnisque virtutis est, timere Deum, secundùm Jobum c.28. vel ut Siracid. in suo Eccles. c.1. multis verbis ejusdem effectus recenset; timor Domini est decus & gloria, lætitia & pulcherrima corona, gaudio & lætitiâ perfundens cor; radices agens sapientię in cordibus credentium, quæ donis suis universam domum repleat, & omnia receptacula thesauris suis; imò corona est sapientiæ, uberrimam pacem & salutem afferens, amplissimâque gloriâ eos ornans, & ad summum authoritatis fastigium evehens; insuperque prudentiam largè in eos effundens, à quibus diligitur, ut videre est in Josepho, Daniele, Esdra & Nehemia, qui magnis ex periculis divinitus liberati, & magnis in Imperiis evecti, res maximas sapienter & feliciter gubernarunt. Quemadmodũ enim navis naucleri manu regitur, ne maris tempestate pereat; ita timor Domini, gubernaculis vitæ nostræ assistens, docet, quâ ratione futura nobis pericula sint vitanda. Et quemadmodum in immensum mare decidens brevis scintilla, facilè deletur; sic, quantacunq; timenti Deum illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur & perduntur, ut in homiliis eleganter loquitur Chrysostomus.

Secundùm autẽ Deum honorandus est Rex, qui Dei in terris gerit imaginem & vices; ab ipsoque

ipsoque Deo in regio solio est collocatus, & divinâ majestate atque potestate armatus, ut legis divinæ sit custos, bonos defendat atque ornet, sceleratos verò gladio puniat; atque ita pacem tueatur, in qua vera de Deo doctrina latè spargi, ipsique æterna colligi queat Ecclesia; quem idcirco quoque passim honorifico suo nomine Deum indigitat; ut norint subditi, regium nomen apprimè sanctum, præcipuæque venerationis esse debere; omninoq; eos decere, ut externis quoque gestibus suam erga magistratum declarent reverentiam; idque exemplo Nathanis & Bethsabæ, quos submisso in terrã vultu adorasse Davidem, (*anno M.2930.*) sacra testatur pagina, 3. Reg. 1. v. 23. & 31. Quem Reges adorandi morem apud Persas quoque, Medos & Indos usitatum fuisse, testantur Herodotus libr. 7. Justinus lib. 6. Valerius Max. lib. 7. c. 3. Plutarch. in Alcib. & Philostratus in vita Apollon. Idem Plutarchus in Quinto Fabio Maximo scribit, proavum ejus Fabium Rullum sive Rutilianum, qui sine controversiâ maximâ gloriâ Romæ atq; authoritate floruerat, quinquies fuerat consul, clarissimos triumphos ex clarissimis bellis duxerat, cum filio Consule in provinciam profectum legatum, in ejus deinde triumpho (*a. M. 3759.*) cum curru ille quadrijugo inveheretur, equo ipsum incedentem, cum reliquis secutum fuisse; gloriantem, quòd, qui in potestate filium haberet, legi-

bus se & magistratui subjiceret. Maximâ quoq; diligentiâ Romani hunc retinuerunt morem, ne quis se inter consulem & lictorem proximum, quamvis officii causâ unà progrederetur, interponeret; filio duntaxat eique puero ante patrem consulem ambulandi jus erat. Qui mos adeò pertinaciter retentus est, ut Q. Fabius Maximus quinquies consul, vir etiam pridem summæ authoritatis, & tunc ultimæ senectutis, à filio consule invitatus, ut inter se & lictorem procederet; ne hostium Samnitum turbâ, ad quorum colloquium descendebant, elideretur, id facere noluerit; ut author est Valerius Maximus libr.2.cap.2. itemque Gellius lib.2. Noct. Attic. c.2. Ubi quoq; memorat, apud Romanos lictorũ munus fuisse, ut comitantes magistratus populum de viâ discedere juberent, ne quisquam magistratuum pedes offenderet, vel ullâ ex parte impediret. Si eques obviam veniret, ab equo descendere juberent; idque magni honoris loco habitum fuisse. Idem Valerius Maximus libr.2.cap.4. refert, per quingentos quinquaginta octo annos ab urbe conditâ, promiscuũ senatui Romano & populo spectandorum ludorum locum fuisse; nunquam tamen quemquam ex plebe in theatro ante patres conscriptos spectare sustinuisse. Adeò circumspecta Romanæ civitatis verecundia fuit. Quibus ex exemplis patet, majestatis Imperii observantiam consistere potissimùm in eorundem

dem adoratione, comitatu honorifico, occursu & προεδρίᾳ, sive loci dignitate. Ægyptios quoq; suos Reges summo honore atque veneratione, ceu deos, observasse, scribit Diodorus Siculus libr.1.c.7. quippe quos non absque divino numine tantum imperium assecutos, crediderunt; & optimè de mortalibus meritos, propter res egregiè gestas, divinæ naturæ participes esse arbitrati sunt. Non secus apud Gallorum gentem, consuetudine inveteratâ, venerabilis atque augusta est Regis sui majestas, quàm natura illa suprema, numénve divinum; authore Guicciardino lib.22. Sed tamen meminerint ipsi Reges, se infra Deum esse, & ab hoc omnē accepisse, quâ fruuntur, majestatem atque potestatem. Hinc rectè Fridericus III. Imperator interrogatus, *quinam sibi charissimi essent?* respondit; *qui me non magis, quàm Deum timent*, teste Johanne Peregrino, Petro Selano in convivalib. quæst.

Subditi quoque sciant Imperia & principatus summo cum generis humani bono, à Deo Opt. Max. esse instituta, sine quibus, ut Cicero loquitur, lib.3. de ll. nec civitates, nec gens, nec humanum genus universum stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest; ac proinde sine gravissimo scelere, certissimisq; pœnis violari nō posse. Deum igitur timeant, qui super omnes est, & suo magistratui debitum tribuant honorem; proq; eo, ex præcepto Apostoli 1. ad Tim.2.

& Jerem. cap. 29. orent, ut in illorum pace, & sub ipsorum umbrâ ipsi quoque fruantur pace; ei denique felicissima quæque precentur, exemplo subditorum Saulis, Salomonis, Joæ, 1. Regum 10. 3. Reg. 1. & 4. Reg. 11. Itemque satraparum regis Nabuchodonosoris & Darii, ipsiusque Danielis, cap. 3. & 6. Sic Deus deorum securitatem publicam ipsis benignè indulgebit, eosque sanctorum angelorũ custodiâ proteget, Psal. 34. & 91. quod est scutum supra septemplicem Ajacis clypeum, ab Homero celebratum: ut & Siracides in suo Ecclesiast. c. 10. ait: *Qui Deum timent, honorant Principem; ideoq; divinitus proteguntur.*

F L O S II.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esto: *ad Rom. 13.*

ΠΕιθαρχίαν, obtemperandique alacritatem hoc flosculo Paulus Apostolus suis Romanis commendat, quos potestatibus vult esse subditos; utpote quæ à Deo, fonte & origine omnis boni, sint ordinatæ; ac proinde qui potestati resistunt, ipsius Dei ordinationi resistant, sibique damnationem acquirant. Quod idem præceptum Titum suis inculcare auditoribus jubet, ita ad eum scribens c. 3. *Admone illos, Principibus & potestatibus esse subditos, dicto obedire, & ad omne*

omne bonum esse paratos. Quam in sententiam & Petrus Apostolus scribit ad Christi fideles advenas in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia dispersos: *Subjecti estote omni humanæ ordinationi propter Deum, tam Regi, tanquam supremo, quàm Ducibus, tanquam illius legatis, ad improborum flagitia vindicanda, & bonorum salutem procurandam missis.* Hoc quoque præceptum apud Isoc. suis injungit subditis Nicocles, Cypri Salaminiæ Rex: Nihil penitus à me mandatum gravatim facitote. Nam quò quisq; vestrûm pluribus utilitatib. meis inservierit, eò majores fructus inde privatim percipiet. Et iterum: Verba mea pro legibus habete, operamq́; date, ut eis obtemperetis; ac scitote fore, ut eis, qui maximè voluntati meæ satisfacere studuerint, vivere liceat, ut ipsi volunt. Sic verè, secundùm Æschilum, *πειθαρχία procreatrix est felicitatis:* &, ut Xenoph. ait lib. 8. Cyropæd. Principi obedire, maximum videtur esse bonum, ad bona adipiscenda atq; conservanda. Fit nimirum fato quodam, & sorte nascendi, ut, quantò quis obsequio apud Principes promptior appareat, tantò honoribus & opibus extollatur; teste Tac. annal. lib. 1. Neque verò in aula solùm, sed in liberâ quoque Repub. magnum ad honores & divitias parandas afferre adjumentum, obsequium, docent Dio & Plut. exēplo Julii Cæsaris, cujus perpetuum fuit institutum, ut promptissimum se

exhiberet ad quemvis etiam vilissimum hominem demerendum, *dummodò potentiam ex eâ sibi pararet humilitate.* Igitur inter quos primus fieri discupiebat, hisce ultrò tantâ dexteritate se submittebat, ut juvenis adhuc, neque ullo antea gesto magistratu, in Pontificatus petitione, multis pręclaris viris, inprimis verò Catullo, qui tunc princeps senatus habebatur, fuerit prælatus. Hinc rectè idem Nicocles subditis quoque suis præcipit, *ut liberos suos doceant parêre regio Imperio; qui ubi parêre didicerint, multò rectius postea sint imperaturi, & Reip. saluti consulturi.*

Theopompus, rex Spartanorum, cùm diceret ei quidam, *per Reges stare Lacedæmonem imperandi gnaros: Imò verò,* inquit, *per cives Principibus obtemperare doctos,* teste Plut. in Lyc. Imperii nimirum vis omnis in consensu est obedientium; *idq; longè firmissimum est Imperium, quo obedientes gaudent,* inquit Livius dec. 1. libr. 2. & 8. *Obsequio siquidem,* secundùm Curtium lib. 8. *mitigantur imperia.* Ubi verò reverentia excessit animis, & summa imis confunduntur; vi opus est, ut vis repellatur, & in ordinem immodestia subditorum redigatur.

Debent igitur subditi tam cives, quàm milites magistratui suo obedire juxta leges, & alacriter citra omnem molestiam atque difficultatem facere ea, quæ à magistratu rectè mandata fuerunt; *gloriosumq; sibi ducere,* juxta Platonis illud

lib. 5.

lib.5. de ll. *reliquos cives obedientiâ erga leges, quàm olympico certamine, vincere.* Et quænam enim urbs hostilis (inquit Chrysantas apud Xenoph. libr.8. Cyropædiæ) ab iis capi potest, qui non dicto audientes? Quæ verò amica urbs conservari à non obedientibus? quis exercitus hominum non morigerorum victoriâ potietur? quidnam aliud rei præclaræ perfici ab iis potest, qui superioribus non parent? quæ urbes legitimè administrari, quæ domus servari queunt? Nos ipsi ea bona, quæ non possidemus, quânam aliâ ratione magis comparabimus, quàm magistratibus obediendo? Unde eundem Chrysantam ibidem collaudat Cyrus, quòd hostem interfecturus, jam elatum in cædem gladiū revocasset, quia receptui cani interim inaudisset. Roganti verò cuidam, cur hostem, quem in potestate habuerat, non occidisset? *Quoniam* (inquit) *rectius est, parere Imperatori, quàm occidere.* Quod idem de Lacone quodam tradit Plut. in Laconicis. Et in historia Absolonis, 2. Reg. 18. miles iste Joabi prædicatur, qui videns Absolonem, cæsarie suâ ramulis patulę quercus plexâ, hærere, interficere noluerit; cùm, quòd Regis erat filius, tum, quòd Rex omnibus suis præceperat, ut ipsi parcerent. Publius Scipio Africanus Major percontanti cuidam, quânam re fretus classem educere pararet in Africam? trecentos ostendit Romanos, armatos sese exercentes; turrimque excelsam mari

exhiberet ad quemvis etiam vilissimum hominem demerendum, *dummodò potentiam ex eâ sibi pararet humilitate.* Igitur inter quos primus fieri discupiebat, hisce ultrò tantâ dexteritate se submittebat, ut juvenis adhuc, neque ullo antea gesto magistratu, in Pontificatus petitione, multis præclaris viris, inprimis verò Catullo, qui tunc princeps senatus habebatur, fuerit prælatus. Hinc rectè idem Nicocles subditis quoque suis præcipit, *ut liberos suos doceant parêre regio Imperio; qui ubi parêre didicerint, multò rectiùs postea sint imperaturi, & Reip. saluti consulturi.*

Theopompus, rex Spartanorum, cùm diceret ei quidam, *per Reges stare Lacedæmonem imperandi gnaros: Imò verò,* inquit, *per cives Principibus obtemperare doctos,* teste Plut. in Lyc. Imperii nimirum vis omnis in consensu est obedientium; *idq; longè firmissimum est Imperium, quo obedientes gaudent,* inquit Livius dec. 1. libr. 2. & 8.

Obsequio siquidem, secundùm Curtium lib. 8. *mitigantur imperia.* Ubi verò reverentia excessit animis, & summa imis confunduntur; vi opus est, ut vis repellatur, & in ordinem immodestia subditorum redigatur.

Debent igitur subditi tam cives, quàm milites magistratui suo obedire juxta leges, & alacriter citra omnem molestiam atque difficultatem facere ea, quæ à magistratu rectè mandata fuerunt; *gloriosumq; sibi ducere,* juxta Platonis illud

lib. 5.

lib.5. de ll. *reliquos cives obedientiâ erga leges, quàm olympico certamine, vincere.* Et quænam enim urbs hostilis (inquit Chrysantas apud Xenoph. libr. 8. Cyropædiæ) ab iis capi potest, qui non dicto audientes? Quæ verò amica urbs conservari à non obedientibus? quis exercitus hominum non morigerorum victoriâ potietur? quidnam aliud rei præclaræ perfici ab iis potest, qui superioribus non parent? quæ urbes legitimè administrari, quæ domus servari queunt? Nos ipsi ea bona, quæ non possidemus, quânam aliâ ratione magis comparabimus, quàm magistratibus obediendo? Unde eundem Chrysantam ibidem collaudat Cyrus, quòd hostem interfecturus, jam elatum in cædem gladiũ revocasset, quia receptui cani interim inaudisset. Roganti verò cuidam, cur hostem, quem in potestate habuerat, non occidisset? *Quoniam* (inquit) *rectius est, parere Imperatori, quàm occidere.* Quod idem de Lacone quodam tradit Plut. in Laconicis. Et in historia Absolonis, 2. Reg. 18. miles iste Joabi prædicatur, qui videns Absolonem, cæsarie suâ ramulis patulę quercus plexâ, hærere, interficere noluerit; cùm, quòd Regis erat filius, tum, quòd Rex omnibus suis præceperat, ut ipsi parcerent. Publius Scipio Africanus Major percontanti cuidam, quânam re fretus classem educere pararet in Africam? trecentos ostendit Romanos, armatos sese exercentes; turrimque excelsam mari

imminentem, asserens; *nullum horum esse, qui nõ conscensâ turri, semet in mare præcipitatur⁹ sit, si ipse jubeat*; sentiens, non perinde referre, quàm numerosam educas multitudinem; modò fortis Dux educat exercitatos, & dicto audientes, teste Plut. in Rom. apoph. Et profectò nullus unquam gubernator aut domi suam Spartam ornare, aut foris arma gerere potuit, aspernantibus subditis perscriptas ab ipso leges. Habuit sub signis suis Hannibal, cùm bellum in Italia gessit, Afros, Numidas, Mauros, Hispanos, Baleares, Gallos, Ligures, & Italici nominis numerum ingentem; tanta tamen horum omnium fuit in Ducem pietas, ut nullus in tantâ hominum colluvie, tam longo bello, tam variis eventibus, contra Hannibalem insurrexerit, ut scribit Sabellicus lib. 6. c. 8.

Quàm felix fuerit Alexander ille Magnus, cùm magni exercitus hunc juvenem sequerentur, notum est ex ejus historiâ. Non disjunctissimæ terræ citiùs cujusquam passibus potuerunt peragrari, quàm hujus, non dico, cursibus, sed victoriis illustratæ sunt. Quemadmodum enim torrens, auctus hybernis nivibus, aggeres objectos perrumpit, & pontes labefactat: ita huic Duci prælianti omnia cesserunt, omnia prona fuerunt. Has tamen res nunquam gessisset, nisi milites sponte suâ obtemperantes in exercitu habuisset. Sic Athenæ, Sparta & aliæ Respubl. tantisper floruerunt, donec cives summam glo-

riam duxerunt esse, non triumphos, non ullas victorias, sed vincere alios diligentiâ obediendi legibus. Postquam autem Alcibiades, Hyperides & horum similes intolerabili petulantiâ, & diuturnâ impietate leges violarunt; Resp. Atheniensis de suo gradu dejecta, in exilium ruere cœpit.

Unde rectè Sophocles; *Inobedientiâ*, inquit, *nullum majus malum est; hæc urbes perdit, & domos vastat.* Unde non immeritò apud omnes gentes inobedientia erga leges & magistratus graviter punita fuit. Apud Josuam c.1. Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manassis, mortis supplicio ex suis eos devinciunt, qui ori Josuæ contradixerint, nec cunctis ipsius mandatis obedierint. Athenienses olim damnabant reos, non quidem, si totam tantùm legem, sed si unicam syllabam transgressi fuissent; teste Alex. ab Alex. genialium dierum c.5. libr.3. Apud Thebanos, qui ultra legum præscriptum honores gesserant, ceu cõspirationis rei, capite luebant; eodem teste Alexandro lib.4. cap.6. ex Probo in vita Epaminondæ. Lacedæmonii Isadam puerum, quem lex nondum ad pugnam vocabat, quoniam exsiliens gymnasio strenuum se præstiterat, coronâ donarunt. Quoniam verò nondum ætate postulante, & insolitis etiam armis in hostes irruerat, pœnâ affecerunt; ut author est Ælianus lib.6. var. hist. In Romana militia extra ordinem ad-

versus provocatorem citra Imperium nemini licuisse pugnare, patet ex pluribus Livianæ historiæ locis; exemplis nempe Titi Manlii Torquati, & Marci Valerii Corvini, libr.7. decad.1. Claudii Asellii decad.3.lib.3. & Titi Quintii Crispini, dec.3.lib.5. Qui, nisi ejus rei potestate impetratâ, in monomachiā cum hoste nō descenderunt. Hinc Modestinus l.3. §.15.ff.de re militari; *In bello*, inquit, *qui rem prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite privator, etiamsi res bene gesserit.* Quod ejusdem Titi Manlii Torquati exemplo docet Livius lib.8.dec.1. Qui bello Latino provocatus à Genutio, sive (ut Val. Max.lib.2.c.7.) à Geminio Methio, Tusculanorum equitum præfecto, oblitus edicti consularis conflixerat, & provocatorem hastâ confoderat. Hic ubi comitante turmâ, ac quasi ovante, spoliis ornatus, ad patrem consulem tenderet; ille mox in conspectu omnium filium, quòd extra ordinem pugnasset, ad palum deligari, deinde virgis ex more cædi, postremò securi feriri jussit; *salubri quidem in posterum exemplo, sed in præsentia nimiùm invidioso, consuli.* Sic & Aulus Posthumius dictator, & Epaminondas Thebanus Dux, filios suos, quòd non ipsorum jussu, sed suâ sponte è præsidio progressi, hostes fuderant, victores securi percusserunt; *satiùs esse judicantes, patrem forti filio, quàm patriam militari carere disciplinâ*; eodem teste Val.Max.lib.2. cap.7. & Plut.

Plut. in parall. Sic & Publius Crassus Mutianus architectum, ob Imperium ipsius, licet cum ratione spretum, (non enim majorem, quàm jussus erat, sed quem esse magis idoneum aptioremq; faciendo arieti, faciliorem que portatu existimabat, minorem malum miserat,) virgis cecidit, ut author est Gellius lib.1.cap.13. Quintus Cæso, Lucii Quintii Cincinnati filius, à Tribunis falsò accusatus, tanquam ab eo Marcus Volusius, vir plebejus, vapulasset, atque verberibus Lucium interemisset; etsi penè exploratum habebatur, accusationem illam calumniosam esse; tamen quia plebis judicium sprevit, & citatus judicio adesse nunquam voluit; ob eas contentiones, quæ inter senatum & plebem erant exilio, atque ære multatus est, teste Fulgoso lib.8.c.1.

Valentinianus Imperator Rhodano eunucho, qui Berenicem viduam injuriis affecerat, muliere de illo conquerente, judicem dederat Salustium præfectum prætorio, à quo condemnatus præpositus, cùm hujus judicium nihili faceret, ab Imperatore in Hippico crematus est; omnibus archi-eunuchi bonis viduæ assignatis, ut scribit Suidas.

Sic & Theophilus Imperator, teste Zonarâ, Petronam, Augustæ fratrem, qui ædibus in altum educendis, mulieris in vicinia habitantis luminibus obstruxerat, & ad Imperatoris mandatum, damnum ei resarcire detrectabat; vestibus

direptis, & in tergo & in pectore verberari jussit; &, quæ in fraudem mulieris struxerat, destrui; materiamque & solum ipsum mulieri attribuit.

His exemplis punitæ inobedientiæ subditi deterriti, debitam magistratibus suis, etiam duris & asperis, præstent obedientiam, dummodò nihil impium præcipiant, quod divinæ legi adversetur, & cum pietate ac charitate pugnet. Quibus duabus metis, veluti septis & cancellis quibusdam, magistratuum omnium, quantumvis magnâ potentiâ præditorum, authoritas est conclusa; quas si transsilire ipsis cõtigerit, meminisse juvabit Apostolici istius dicti, Act. 5. *Præstat Deo, quàm hominibus obedire.* Rectè itaque factum ab obstetricibus Ægyptiacis, quæ impium Pharaonis edictum de pueris masculis Hebræorum occidendis mendacio pio eluserunt, fingentes, Hebræas mulieres ante obstetricũ accessum párere, Exod. 1. Rectè item ab Obadja, qui non solùm prophetas Dei contra impium Achabi & Jezabelis mandatum non interemit, sed & in speluncâ abditos aluit & servavit, 3. Reg. 18. Rectè denique à Papiniano JCto, qui, etsi Christianus non erat, maluit tamen à tyranno Bassiano Caracallâ occidi, quàm ejus fratricidium vel probare, vel patrocinio suo defendere, teste Herodiano lib. 4. Malè econtrà factum à satellitibus Herodis, qui ad mandatum sui Regis infantes Bethlehemiticos bimulos crudeliter jugularunt, Matth. 2.

Matth.2. Unde quoq; rectè Michæas propheta c.6 Dei voce omnes, qui impiis Regum parent mandatis, execratur, & diris devovet. Econtrà Danielis socii impio regis Nabuchodonosoris edicto, de aureâ statuâ adorandâ, obtemperare nolentes, pietatis & constantiæ suæ approbatorem, Deum ipsum habuêre; idque manifesto miraculo ignis, nec corporis ipsorum capillos, nec fila vestimentorum lædentis.

Sic &, cùm Principes sacerdotum Evangelii prædicationem suis minis prohibere conarentur; tantum abest, ut ipsis Christus, aut post eum Apostoli, morem gesserint, ut ille quidem sępiùs publicè, ipsis in templo invitis, concionaretur, Joh 9. hi verò apertè responderint; *Satiùs esse, Deo obsequi, quàm hominibus*, Actor.5.

Quoniam enim *Reges Dei tantùm sunt vicarii*, vicariis verò non nisi eorum, quorum personam gerunt, causâ deferri consuevit honos; sequitur, Regibus propter Deum, non adversus Deum; Deo servientibus, non adversantibus; Dei jura tuentibus, non invadentibus, esse obtemperandum.

Sed quid porrò faciendum subditis, si Rex ad impia sacra eos adigere velit? Si, qui ab universo populo authoritatem accepêre, regni optimates, aut sui saltem magistratus sese ejusmodi tyranno opponant, quod omnino ipsis incumbere, fusiùs suprà probavimus in Coronæ secundæ flore

tertio. Utique subditi illis pareant, omnique conatu atque industriâ, tanquam Deo ipsi militantes, pios illorum conatus adjuvent; exemplo centurionum & militum, qui Principibus tribus Judæ, Jojathæ summi sacerdotis hortatu, Ecclesiam ab idololatriâ, regnumque à tyrannide Athaliæ vindicantibus, paruerunt, 4. Reg. 11.

Exemplo item Modinensium, qui Mathathiâ authore, ceu optimatum uno, cæteris partim conniventibus, partim colludentibus, impia sacra ab Antiocho imperata, nō solùm à suis mœnibus fortiter repulerunt, sed & eidem justissimis armis restiterunt, 1. Maccab. 1. & 2. Maccab. 5. *(an. M. 3806.)* Sin optimates & magistratus furioso Regi applaudunt, aut saltem resistere nolunt; nequaquam subditis, quibuscunque etiam malorum iliadibus pressis, ad arma idcirco prosilire licebit; utpote quibus ipsi divinitus non sunt accincti; imò, quæ cùm gravissima potiùs supplicii interminatione eis ab ipsomet Christo sunt interdicta, qui & ipse angelicas ideo legiones exautoravit, exarmavit, prohibuit, ne obedientiam illam, in qua nasci voluit, vel tantillum turbarent, vel impedirent.

Quid ergo ipsis faciendum? Primùm omnium, qui corda Regum in sua habet manu, pro Rege suo precibus strenuè interpellent; ut pro suâ immensâ misericordiâ sereno suo vultu eos irradiet; quò & ipsi viam, quam populo suo

ſuo patefecit, amplectantur. Dehinc ſupplices Regem ſuum demulcere ſtudeant, ne verbi divini pabulo ſe defraudet, ſed liberum ejus exercitium ſibi relinquat. Quòd ſi ne ſic quippiam aſſecuti fuerint, præſtò eſt conſilium Chriſti, Matth. 10. aliam in civitatem ſe ut recipiant, & antiquius ſibi ducant, Chriſtum, cujus ſanguine ſunt redempti, retinere; quàm ob tenues quasdam facultates cum regni Dei dispendio, ſe ſub hujus tyrannide detineri. Sic nimirum olim pii Iſraëlitæ cultu divino per Jeroboamum ſublato, univerſis proceribus conniventibus, ad Regem Judaicum, verum veri Dei cultorem, ſe contulerunt, 2. Paral. 11.

Sic quoque Athanaſius, Juliano apoſtatâ in Chriſtianos perſecutionem movente, (*a. C. 362.*) amicos ſuos his allocutus verbis; *Secedamus ad tempus, amici: Eſt enim nubecula, quæ citò evaneſcet;* fugam adornavit, & conſcensâ navi in Ægyptum trajecit, teſte Socrate lib. 3. hiſtor. Eccleſ. c. 12. Quòd ſi aliò fugere non datur, *vitâ potiùs, quàm Deo renuncient, & cum Chriſto malint crucifigi, quàm Chriſtum denuò crucifigere*; ut Apoſtolus loquitur ad Hebræos c. 6. Idque exemplo piorum Martyrum, quorum non rarò integras legiones ob Chriſtiani nominis profeſſionem, duriſſima ſubiiſſe ſupplicia, quàm armis obſiſtere tyrannis, maluiſſe legimus.

FLOS III.

Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei, Deo. *Matth. 22.*

QUemadmodum hodie in plerisque Regnis, Principatibus, Rebuspub. in quibus certæ à ſubditis exiguntur penſitationes, capitationes, centeſimæ, telonia, & alia, uſu receptum & præſcriptum eſt, easdem in certo pecuniæ genere, quod exigenti maximè placuerit, deponi; ut non ſufficiat valorem & quantitatem ipſam dari, niſi in eâ ſpecie expreſſa detur: ita quoque veteres Romani, & præſertim Cæſares, callidiſſimi gubernandi artifices, devictis gentibus, omnibusq; provinciis ſuis non tantùm tributa imperarunt; ſed ea etiam in certo monetæ genere, & quidem argenteo plerunque, eoq́ue Romano, in ſignum ſubjectionis, & recognitionis dominatus ſui, fiſco inferri voluerunt. Hujusmodi autem monetæ ſolebant Romani non tantùm magiſtratuum ſuorum titulos, ſed illas ipſas quoque expeditiones ſuas, & victorias inſcribere, ut paſſim apud Fulvium Urſinum in Familiis Rom. videre eſt; & nominatim pag. 200. ubi habetur nummi pictura Auli Plauti, Pompeji in Aſia legati, & proquæſtoris; & in adverſâ facie Bachii Judæi, Arabiæ reguli, qui ſupplicum ritu, dextro genu nixus,

nixus, camelum tenet; & olivæ ramum paci impetrandæ dextrâ prætendit.

Porrò hoc tributum, à Cæsaribus quoq; postea petitum, primus Judæis, antea Romanorum fœderatis sociis, nunc autem à se debellatis, jure victoriæ imposuit Cneus Pompejus Magnus (*a. M.3909.*) Ducemque eis statuit, & Judææ fines determinavit, teste Egesippo lib.1.c.17. & Sulpitio Severo lib.2. Quod deinde Cæsar Augustus, cùm Triumviris sublatis solus rerum potiretur (*an.M.3942.*) in generali illâ orbis descriptione, cùm per omnes subactas provincias censum ageret, in Judæa quoque revocavit (*a.M.3970.*) & ad certam summam taxavit.

Pharisæi itaque (ut ad Evangelicam hanc historiam progrediamur,) inito consilio, ut quæstione ancipiti, de tributo Cæsari dando propositâ, Christum in sermone caperent, missis ad eum de sectâ scholâq; suâ discipulis, ex cōposito adjunxerant Herodianos; in speciem quidem, ut, cùm ipsi inter se diversarū essent partium, hi exigerent, illi inviti persolverent tributum; dominū, quasi incorruptum judicem hujus controversiæ, compellarent, velutique arbitrum eligerent; sed re verâ, ut haberent negati tributi paratam non tantùm probationem, densâ populi catervâ astante, sed etiam executionem; atq; ita captū in sermone confestim per hos potestati præsidis Pilati traderent. Mellitissimorum igitur verborum

palpo ipsum delinientes emissarii, dum Doctorem salutant, ejusq; libertatem ἀπροσωπόληπτον prædicant, bicornem hanc ipsi quæstionem resolvendam proponunt, rati, utriusvis partis rationes probaturus sit, alterius offensam eum incursurum; hinc patriæ & civium suorum, si impiis Cæsaribus adulatus tributum dandum affirmaret; illinc Romanorum, à quibus Judæi erant subacti, si negaret; à quibus, ceu Cæsaris hostis, & tuba seditionis, ad præsentissimum rapi posset supplicium; quemadmodum ab alteris illis tumultu fortassis populari opprimi. Verùm *Dominus, adversus quem nullum valet consilium aut sapientia*, Prov. 21. *& cui ludus est, astutos in astutiâ suâ deprehendere*, Esa. 44. ut ante omnia ostendat, se non fallere insidiosam illorum blandiloquentiam, & quò res tendat; cognitâ penitus illorum nequitiâ, (inquit Evangelista) consultores suos primùm intentionis suæ coarguit; Quid me tentatis, hypocritæ? hypocritas eos vocans, quòd rationes divinas cum humanis confundant, dum de censu solvendo, tanquam de præcepti alicujus divini violatione, agunt. Dehinc jubet sibi exhiberi, non siclum illum templarium, unâ parte, virgâ Aaronis perpetuò virente, insignitum; cum hoc lemmate, *Jeruschalaim Rodschah*, Latinè *sancta Jerusalem*; alterâ, urnâ illâ sacrâ recondendæ mannæ cum literis *Schekel Israël, siclus Israëliticus*, cujus dimidium singuli Judæi

Judæi majores 20. annis, in templum quotannis ferre jussi erant, pro Deo propitiando suiq; redemptione, & in tutelam ædis ipsius vel tabernaculi, Exod 30. Sed nec simpliciter exhiberi sibi requirit ipsorum numisma, quo in commerciis promiscuè utebantur; (nam præter siclos suos habuisse quoque denarios, didrachmas, stateres sive argenteos, ex evangelicâ constat historia) sed numisma census, h.e. genus monetæ huic functioni proprium, quo defungerentur censu suæ provinciæ indicto; nempe denarium Romanum, ut Marcus & Lucas hanc rem numerant; ac ne hunc quidem paulò antiquiorem, sed sui ævi Tiberiani Imperii vultu & nomine Cæsareo insignitum. Modestum planè & tolerabile hoc erat tributũ; denarius siquidem, ut apud Matthæum c.20. videre est, erat merces dîurna unius operarii, & stipendium diurnum unius militis, ut ex Tacito discimus. Hoc nummo conspecto, quasi parum agnosceret, Christus istiusmodi literas atque imaginem quærit, cujus ista sit imago & superscriptio? idq; ideo, ut, qui ipsum illaqueaturi verbis suis venerant, eos ipse caperet, captosque ipsorummet verbis teneret: Respondent ipsi, quod res erat, Cæsaris. Tiberius nempe Cæsar in denario isto censuali, divi instar erat formatus; *Os humerosq; Deo similis*, cæsarie radiatâ, & lauru redimitâ, cum ejusmodi inscriptione; *Tibèrius Cæsar D. Aug. F. Imperator*; & in adversâ

parte; *Pontifex maximus*: qui titulus ab omnibus Imperatoribus ad Constantinum usq; Magnum fuit affectatus. Hinc aptissimè infert Dominus, quasi causâ bene cognitâ, re ipsâ oculis subjectâ, confessione partium auditâ; *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & Deo, quæ sunt Dei*; hoc aphorismo docens, censualis istius denarii solutionem Deum non tangere, nec pietatem lædere; sed deberi Cæsari, tanquam victori, legumque & monetæ conditori; & qui non petat violari religionem, sacra deseri, idola adorari; sed ex communi monetâ reddi sibi numisma, in usum promiscuũ cusum, & merè Romanum; tributum nimirum ad Reip. administrationem, & redhostimentum patrocinii atque defensionis. At verò animæ tributum, pietatisque censum, vota & oblationes, Deo soli reddi oportere; ejus item templo didrachmum illud propheticæ virgulæ, & mysticæ supellectilis figurâ signatum esse persolvendum; decimas præterea, primitias & donaria alia ministerio sacerdotii destinata, solvenda: talentum denique ingenii, legis naturæ, judicii, sensus communis, conscientiæ, aliorumque donorum ad gloriam datoris bene collocandum, & cum fœnore fructibusque fideliter reddendum. Hoc aphorismo Christus non tantùm summæ potestatis apicem atque majestatem, sed omnium aliorum magistratuũ authoritatem confirmavit; & voce pariter, factoque ipso solvens staterem exacto-

exactoribus didrachmi Matth.17.docuit, se non venisse, ut evertat politias & ordinem Rerump. sed ut stabiliat; quas ideo quoque *Dei ordinationem esse* Apostolus ad Rom.13.pronunciat. Subditi ergo, juxta ejusdem præceptum, cuivis quod debent, reddant; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; cui amorem, amorem. Magistratibus nimirum, sub quorum tutelâ corpora & facultates subditorum defenduntur, jure debentur tributa, telonia, vectigalia & exactiones, quæ tanquam nervi sunt Reip. sine quibus præsidiis sustineri nequeunt Imperia. Bono quidem Principi pluris esse debet subditorum opulentia & medela, quàm reditus, qui inde inferuntur Imperii fisco; *thesaurosq; suos apud subditos habere* cum Alexandro Magno laudi sibi ducat; & cum Cyro, Constantio Chloro, & Ptolomæo, Lagi filio, (de quibus in flore 5. Coronæ secundæ dictum,) horum potissimùm commodis atque divitiis studeat, *ne sua privatis crescant æraria damnis.* Quo nomine rectè laudat Honorium Imperatorem Claudianus; quo nomine quoque Stenonem juniorem, Suecorum regem, commendat Joh.Mag.libr.24.cap.2. quòd admodum popularis fuerit, & quidem ita, ut olim patri Svvantoui, cùm populũ tributis oneraret, ad genua procubuerit, & tributorum laxationem impetrarit. Quocirca jam in Principem assumptus,

non modò tributa à benevolis subditis, sed ipsam eorum vitam pro suâ salute, in mille mortis pericula paratam & promptam expertus est. Sic & Alexander Magnus, ut Macedonas magis haberet obsequentes, tributa iis remisit; teste Justino lib.15. Romani item, cùm Cappadociam, mortuo rege Archelao, redegissent in provinciã, quędam ex regiis tributis diminuerunt; *quò mitiùs Romanum Imperium speraretur*, inquit Tacitus Annal.2. Utique enim *atrum sordidumq; est aurum, quod ex lachrymis oritur*, quod Apollonium Thianeum dixisse scribit Philostratus lib.5. Quia tamen interdum necessitas omnino tributorum exactionem flagitat, danda est opera, ut omnes intelligant, *si salvi esse velint, necessitati esse parendum*. Post interfectum Julium in senatu, cùm urbs ob tot bellorum incõmoda penè exhausta esset pecuniis, & in tantâ Antonii cum Octavio Augusto contentione, & cæteris bellicis rumoribus opus esset magnâ pecuniâ; cives Romani omnes suarum facultatum quintam & vicesimam partem contribuêre; senatores verò in singulos lateres, quot habebant in ædibus urbanis, non suis solùm, sed etiam alienis, in quibus habitabant, quatuor obulos persolverunt; insuperq; ditissimi quique separatim alia multa contulerunt, prætereaq́ue arma, & cætera militibus necessaria, multę civitates, multiq; privati homines gratis & suâ sponte suppeditarunt; teste Dione in Augusto.

Sic

Sic olim Joas, rex Judæorum, cùm ruinoſum eſſet Domini templum, tributum à Moſe in deſerto inſtitutum, Exod.30. omnib. Judæis indixit, ut honorarium quisq; afferret, 4. Reg.12. & 2. Paral.24.

Cùm Phul Belochus, Aſſyriæ rex, Iſraëlitas infeſtaret (*a.M.3185.*) Manahemus Iſraëlitarum tyrannus, viritim Iſraëlitarũ potentiſſimis quinquagenos argenti ſiclos imperavit, & mille talentis argenti pacem ab Aſſyrio emit, 4. Reg.15.

Leo III. Imperator, terræ motu quaſſatâ Conſtantinopoli (*a.C.740.*) ad mœnia reparanda novum vectigal indixit, edicens, ut in ſingula numiſmata 24. obulos ęrario Principis inferrent, ad reſtituendos muros, quod deinde in multa ſecula ſervatum eſt.

Eduardus IV. Anglorum rex blandum exactionis excogitavit genus, quod *benevolentiam* appellavit. Egit enim cum amicis, ut ſponte in ſumptus belli pecuniam corrogarent, quòd ipſe ex ſuâ re benevolentiam ſingulorum menſurus eſſet, ut, qui plus daret, plus diligere ſe cenſeret. Eodem exactionis genere Henricus VII. Anglię rex, bello Gallico uſus, magnam pecuniæ vim collegit; teſte Polydoro lib.24. & 26.

Secundo bello Punico (*anno M.3770.*) victi à Romanis Carthaginenſes annuum ſtipendium populo Romano uſque ad certum tempus ſolvere tenebantur. Cùm veniſſet dies, in qua

prima pensio Romanis conferenda erat, & ingemiscerent omnes ad vocem tributi; ferunt Hannibalem, commotum inutili lamentatione Pœnorum risum effudisse, & increpitum ab Astrubale Heduo, quòd in communi totius civitatis mœstitiâ tam effusè lætaretur, respondisse; non lætantis hominis illum esse risum, sed illorum inanes lachrymas deridentis, quæ eo tempore in leviore malo quod cujusque privati civis pecuniam tangeret, potiùs manarent, quàm antea, cùm Romani ad Zamam victores, classem, arma & amplissimarum victoriarum spolia Carthaginensibus detrahebant, victisque leges imponebant. *Tempori igitur cedere, id est, necessitati parére, semper sapientis est habitum*; ideo quoque *in rebus arduis & afflictis non tam speciosa dictu, quàm usu necessaria & utilia sequenda esse*, rectè docet Quintus Curtius lib. 3. Quanquam enim optandum sit, utrumque posse consequi; tamen, si optionem nobis amarissima & truculentissima necessitatis imperia imponant, *honestati salus & utilitas, ut res magis necessaria generi humano, præferenda est*, secundùm Dionysium Halicarnassæum lib. 6. Postquam verò necessitas superata est, tributique causa evanuit, meminerit bonus Princeps, tollendum quoque esse tributum. Sic Romanis tributum remissum est, quàm primùm L. Æmilius Paulus Macedonicis opibus, rege Perse devicto, ærarium satiavit; teste Valer.

Max.

Max.lib 4 c.3. Sic Philippus Longus, rex Franciæ, cùm exiguum salis vectigal imperasset, propalàm testatus est, se id, quamprimùm fieri possit, sublaturum. Quem in modum Philippus Valesius rex, cùm gravissimo bello coactus vectigal illud salarium duplicasset, promisit, se daturum operam, ut primo quoque tempore sustolleretur, ut Bodinus memorat lib.6.de Repub. c.2. Æquum enim est, *quod belli calamitas intrusit, hoc pacis lenitas sopiat;* ait Justinian. l.unicâ, in princ. Cod.de caduc.tollend. Debet enim Rex esse *μὴ σφετεριστὴς, ἀλλὰ ἐπίτροπος; non extortor bonorum, sed tutor,* ut Aristoteles præcipit lib.5.Polit.

FLOS IV.

Subditorum in Principem amor esto sincerus & candidus.

QUod Siracides in Ecclesiastico suo c.3. præceptum liberis injungit de parentibus, sermone, opere & patientiâ honorandis; idem etiam jure optimo subditis congruit, quos Princeps bonus, non secus ac liberos & propinquos, affectu paterno gubernans, eorum utilitatem sic tuetur, ut quicquid agit, ad eam referat, oblitus commodorum suorum, ipsamque Remp. tanquam paternam domum administrat; ob quam

paternam curam meritò à subditis suis honorandus est pius Princeps, & quivis magistratus sermone, opere, h. e. opibus & operâ & patientiâ, ut nimirum grato animo agnoscant, Deum esse authorem hujus ordinis; ac proinde propter Deum eis se haud gravatim subjiciant, & in externis officiis sine contumaciâ obtemperent; eorum insuper infirmitates ἐπιεικείᾳ tolerent, commoda provehant, & pericula declinent; nec pecunias saltem & opes, sed & vitam ipsam pro salute ipsorum, si sit opus, profundant.

Hujus rei memorabile nobis exemplum suppeditat Davidis historia, qui regno pulsus ab Absalone filio (*a.M.2920.*) cùm in urbem Mahanaim trans Jordanem cum 40. millibus suorum fugisset, persequente eum Absolone, exercitum in tres divisit partes: unam Joabo, alterã Abisæo, tertiam Ithæo Gadæo tribuens, se unà cum militibus ad bellum hoc profecturum dixit. Verùm milites, ut vitæ ejus consulerent, noluerunt; sed ut in urbe maneret, subsidii loco coëgerunt, affirmantes, si in bello ipse caderet, Absalonem victoriâ esse potiturum; Sin in urbe se contineret, quamvis amisso eo exercitu, nihilominus eum novum exercitum comparandi facultatem habiturum, 2. Reg. 18. Idem in conflictu cum Palæstinis (*an.M.2925.*) defatigatus, à JisbiBenoco gigante oppressus fuisset, nisi Abisæus succedens gigantem peremisset; quo facto, Davidis milites

milites juramento se invicem obstrinxerunt, Regem se deinceps in pugnam non admissuros, 2. Sam. c. 21.

Sic & Cornelius Lentulus videns in prælio Cannensi (*an. M. 3756.*) Lucium Æmilium Paulum consulem vulnere confectum, extra viam, quanquā hostes insequerentur, pudore motus, properè juxta illum ab equo descendit, atq; eum Æmilio obtulit, obtestatus multis verbis, ne morte suâ graviorem populo Romano cladem facere vellet; etenim se juvenem corporis robore adjutum pedibus salutem inventurum; quòd si alterutri moriendum esset, referre ad Reip. salutem, ut ipse potiùs, quàm consul moreretur. At Æmilium puduit, alterius civis morte suam servare vitam; & prorsus recusans equum, juvenem, ut in tutum se locum reciperet, hortatus, mandata magni momenti, quæ ad senatum, populumque Romanum perferret, dedit; nec multò pòst ab hostibus oppressus interiit, teste Fulgoso lib. 4. c. 5. ex Livii dec. 3 lib. 2.

Anno Christi 835. Theophilus Imperator Cōstantinopolitanus, à Saracenis circumventus, penè in manus hostium venerat. Id Manuelus sentiens, Dux exercitus, animis suorum oratione recollectis, audacter discrimen adiit; cúmque ad Imperatorem perrupisset, fatigatum jam, & de salute desperantem, & tamen fugâ se suosque prodere nolle causantem; hortatus est, ut se se-

quereretur præeuntem, iterque aperientem; quem postquam erumpentem Imperator è vestigio subsecutus non est, denuò, & cùm ne sic quidem Theophilus sequeretur, tertiùm reversus mortem ei, nisi comitaretur, minatus, vix tandem præsenti periculo eripuit. Ideo honoribus cum donisque dignis Imperator remuneratus est, benefactorem ac servatorem fassus, ut author est Cedrenus.

Eâdem pietate, sed dissimili fortunâ, Joannem Capuanum, Andreæ Altavillæ fratrem, Regis sui Ferdinandi Arragonii vitæ cõsuluisse interitu suo, memorant Jovius lib.3. histor. & Guicciardinus lib.2. Ferdinandus nimirum regnum Neapolitanum recuperaturus (*a. C. 1498.*) ad Semernariam prælio inito, cùm hostium multitudine obrueretur, in fugam se conjecerat; quem fugientem cristis auratisque armis conspicuũ, multi sunt persecuti; sed nemine ejus cursum adæquante, lapsu equi in arctas concisæ viæ angustias est præcipitatus; cui desuper, equo resupinato, stapetis ac lunatis ephippii cornibus implicito, summoque in vitæ periculo laboranti (Galli enim non multum inde aberant;) Johannes Altavilla auxilio supervenit, & memorabili charitate equum obtulit, quo ipse pernicissimo ad salutem utebatur, in quem Ferdinandus rex insiliens, ipse quidem è manibus hostium evolavit; at Altavilla in pedes destitutus, paulò pòst ab hostibus est interfectus.

Pari

Pari modo bello Turcico (*anno C.1544.*) ad Peſtam oppidum, cùm caſtris quodam die Mauritius Saxoniæ Dux progreſſus, uno duntaxat comitatus ſatellite, in Turcas aliquot incidiſſet, manuq; conſertâ equo confoſſo in terram effuſus eſſet; ibi famulus Germanus, genere nobilis, corpore toto ſuperincumbens, jacentem protexit, & tantiſper hoſtes remoratus ſuſtinuit, donec equites ſupervenêre, qui Principem eriperent, atq; ita vitam ei ſervavit; ipſe verò multis acceptis vulneribus, in caſtra relatus, non multò pôſt interiit; teſte Sleidano lib.15.

Sic & Johannes Smitiſtheus inter Bohemos nobili genere natus, (*an.C.1452.*) dum Ladislai, Ungariæ & Bohemiæ regis vitæ conſulit, ſuam amiſit; quippe qui (ut author eſt Bonfinius dec.3. lib.7.) ad Ladislaum Bohemiam ingreſſurum ita ſcripſiſſe dicitur; Venturum te quamprimùm in regnum tuum probo, *ſi modò veneris imperaturus, & non periturus.* Inermem impotemque te intrare non laudo, niſi bicipitem te mater fortè pepererit; ut ex duobus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum dubiæ Bohemorũ fidei caput temere credas. Vale.

Hæc epiſtola Ulrico, Giliæ Comiti, Auſtriæ gubernatori, reddita perlectaque, ad Georgium Bodibracium, Bohemiæ gubernatorem, extemplo eſt remiſſa; qui coacto ſenatu, præſente Johanne, literas has recitavit, deq; eo repentè extremum ſumpſit ſupplicium.

Memoratu quoque dignum eſt, quod in Julii Cæſaris vita ſcribit Plutarchus, ſtudium erga ſe militum, & promptitudinem eum habuiſſe tantam, ut, qui cæteris nihil aliis in expeditionibus præcellebant, invicti atq; intolerabiles in omne diſcrimen pro Cæſaris gloriâ ruerent. Qualis fuit hinc Acilius (*a.M.3923.*) qui in prælio navali apud Maſſiliam, cùm in hoſtilem navim transſiliiſſet, detruncatâ gladio dextrâ, retinuit ſiniſtrâ ſcutum, quo pulſans hoſtium ora omnes avertit, naviq́ue eſt potitus. Illinc Caſſius Scæva, qui (*a.M.3924.*) in pugna ad Dyrrhachium excuſſo ſagittâ oculo, humero pilo uno, & femore altero trajecto, ſcuto telorum triginta, ſupra centum ictibus exceptis, tanquam deditturus ſe, vocavit hoſtes; duobus accurrentibus, alterius humerũ gladio deſecuit, alterius ſauciavit faciem, eumq́ue in fugam vertit; ipſe amicorum præſidio evaſit incolumis.

Idem Plutarchus in Bruto commendat ſingularem fidem Lucilii militis Bruti domeſtici, qui apud Philippos (*a.M.3930.*) inclinatam jam aciem videns, ſe pro Bruto obtulit, ut ſpatium ei fugiendi daret, quem pro Bruto ad M. Antonium ductum, ubi fraus apparuit, collaudatũ ob fidem ipſe apud ſe retinuit, eumq́ue non minùs poſtea ſibi fidelem ſenſit, atque Bruto fuerat.

Sic & capto ab Anglis (*an.C.1356.*) Johanne, Francorum rege, Carolus Sapiens Delphinus, civitates

vitates circumiens, opemque rebus suis afflictis, & patri petens, apud singulas perfecit, quod apud universas nequiverat.

Occitani namque in provincia Narbonensi, authore Armeniaco Comite, non expectatis Delphini precibus, aurũ matronarum, & omnia ornamenta pro ejus redemptione contulere, legem etiam sumptuariam, & de mundo muliebri repetiêre; octo millia denique bellatorum armaturos se, tutaturosque professi sunt, quoad domum Rex restitueretur. Horum pietatem Campani mox secuti sunt, ut author est Æmilius lib. 9.

Digna quoque est Brixia, Cisalpinæ Galliæ urbs præcipua, quæ servatæ fidei nomine multum laudis & gloriæ præter cæteras dotes mereatur; ut scribunt Egnatius lib. 6. c. 6. & Sabellicus lib. 3. dec. 3. Nam cùm à Philippo, Vice-comite Mediolanensi Principe, diutiùs obsideretur, fame quoq; & peste intus laboraretur, prætore Francisco Barbaro, & præfecto Christophoro Donato, constantissimè sese & urbem tuentibus tantum abfuit, ut de urbe dedendâ Brixienses unquam ipsi cogitarent, ut omnibus obsessi malis, urbem tamen tutati sint, donec Catta Melita Imperator cum summâ rerum omnium difficultate obsidionem solverit.

Ad eundem modum toto regno Neapolitano, à Carolo VIII. Galliæ rege subacto (*anno*

Christi 1496.) Brundusina arx, una omnium totius regni, postea in Arragoniorum fide permansit, teste Jovio lib. 2. hist.

Sic & (*a. C. 1503.*) cùm reliquæ omnes Italiæ civitates, & Principum ditiones, quas Cęsar Borgias, Dux Valentinus, vi occuparat, mortuo patre Alexandro Sexto Papâ, priores dominos reciperent: sola Æmilia, etsi Venetorum, qui Ravennæ magnas copias comparabant, metu non careret, in Valentini fide pacata permansit; *Præstabilius arbitrata, licet iniquum, certum tamen, eundemq; liberalem & potentẽ habere dominũ, quàm ephemeris tyrannis, ut reliquæ urbes, indies opprimi;* ut author est Guicciardinus lib. 6.

Rarum quoque fidei exemplum recitat Fulgosus lib. 4. c. 7. de Alphonso Petro Gusmanno, Dariffæ urbi Sanctii IV. Castulonensis regis nomine præfecto; in qua, cùm arctâ Maurorum, & Johannis Sanctii fratris hostisque obsidione premeretur, nunquam aut pretio, aut precibus ad deditionem faciendam flecti potuit. Cùm autem Johannes ejus filium, quo in obsequio utebatur, ad muros deduxisset, fretus spe, filii periculo patrem motum iri; non modò id pater neglexit, verùm etiam à muris gladium porrexit, dicens; *nolle se, ut ei modus ad occidendum filium deesset.* Quo autem vultu de muris ensem dejecit, eodem occidi filium, nihil ab eo mutatus, inspexit.

Alia

Alia quoq; memoratu dignissima in historiis passim illorum reperiuntur exempla, qui à suis Principibus deficere noluerunt, aut contra eos conspirare.

David rex, cùm ab Absalone filio regno pelleretur *(anno M.2920.)* omnes Crethæi & Plethæi, itemq; Gitthitæ sexcenti milites fortissimi in exilium eum comitati sunt; ex quibus Ithæus Gitthita, vel invito Regi se comitem & vitæ & mortis futurum constanter asseruit; Zadocus item & Abjathar Pontifices, & Levitæ omnes cum arcâ Domini; sed sacerdotes cum arcâ in urbem redire jussit, ut & Husæum Architam, consiliarium suum fidissimum, qui, defectione ad Absalonem simulatâ, Achitophelis consiliis se opponeret, 2. Sam. 15. Non multò pòst *(a. M. 2922.)* Israëlitis cæteris ad Sebam Bichri filium deficientibus, Judaica tribus sola Davidi, in regnum vix restituto, constanter adhęsit, 2. Reg. 20.

Marco Antonio, qui ad Actium ab Octavio victus, turpissimè fugam cœperat, novendecim peditum integrorum legionibus, & duodecim millibus equitum relictis, milites tantam præstiterunt fidem, ut fugâ ejus patefactâ diebus 7. cohæserint, missosque ad se Cæsaris legatos repudiaverint, donec Dux Canidius castris relictis noctu profugit; ubi ab omnibus derelicti, & à Ducibus suis proditi, aggregarunt se ad victorem; teste Plut. in Antonio.

Corbulonem, qui à Nerone Cæsare Dux contra Barbaros factus (*anno C.59.*) Vulogesum, Parthorum regem, atque Teriditem, Armeniæ Principem, suo adventu perterruit, præ cæteris Romanis commendat Xiphilinus in Nerone, quòd Neroni fidem servarit.

Aquilejenses tantâ fide contra Maximinum pro senatu Romano fuerunt (*a.C.238.*) ut funes de mulierum capillis necterent, quibus sagittas excuterent penuriâ nervorum, teste Herodiano lib.7.

Basilienses (*a.C.1325.*) à Pontifice proscripti, quòd Ludovici Bavari Imperatoris partes sequerentur, legatum Apostolicum dirarum Imperatoris præconem è summo templo præcipitem in Rhenum dedêre, & natando ferè elapsum naviculis insecuti, trucidavêre. Minoritas quoq; & Dominicanos, ob Papæ edicta cessantes, ad sacra peragenda, exilii pœnâ coëgêre, his verbis; **Sie solten lesen und singen/ oder auß der statt springen/** ut scribit Stumphius in Chron. Helvetiæ.

Cùm civitates Imperii (*an.C.1040.*) dejecto Wenceslao Imperatore, rege Bohemiæ, novare sacramenta Palatino, novo Regi, juberentur; soli Norinbergenses adhærebant Wenceslao pertinaciter, asserentes, se vivente Rege suo, nisi jussu ejus, alteri non juraturos. Cúmque graviùs urgerentur, misêre oratores, qui super eâ re sententiam

tentiam & nutum Regis acciperent, offerentes aureorum 20. millia, si eos absolveret. Ille contempto auro, mox absolvit, jubens, ut optimi vini Rhenani, quod Baccharacense vocant, aliquot plausta sibi mitterent. Ita summa illi de vino cura fuit, ut Crantzius scribit libr. 10. Vandal. c. 1. & Æneas Sylvius lib. 2. Bohem.

Sigismundus Quinq; ecclesiensis Episcopus, à Maximiliano Primo Imperatore, per literas promisso in defectionis præmium Salisburgensi Archiepiscopatu, ut ipsius se partibus adjungeret, sollicitatus, respondit; *datam semel Ladislao fidem fallere, nefas esse se existimare*, quam antistitis integritatem laudavit Maximilianus, teste Bonfinio dec. 5. lib. 1.

Sic & Michaël Orscha, Ungariæ Palatinus, cùm reliqui proceres Matthiam de regno dejicere cogitarent, illud non minùs in corde, quàm in ore versasse dicitur; *quemcunq; sanctâ coronâ coronatum videris, etiam si bos fuerit, adorato; & pro sacrosancto Rege ducito, & observato*, ut idem scribit Bonfinius lib. 3. dec. 4. Nimirum subditis in conspectu semper esse debet Plautinum illud in Captivis; *Fac fideli, sis fidelis; cave, fluxam fidem geras.* Utique enim perfidia, ut Nicocles ait Isocraticus, res est omnium miserrima, quæ in perpetuâ trepidatione motuque rerum omnium, amicis non plus habet fidei, quàm inimicis. Etenim ut Silius Italicus canit lib. 13.

——————Dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet amici,
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Unquam expers luctus lachrymæq; agat æquore semper,
Aut tellure premens, aget agrum nocte dieque
Despecta ac violata fides.

Et quis verò non detestetur perfidiam, quâ nulla Furia infernalis perniciosior est; utpote quæ jus & æquum pervertit, sacra omnia profanat, pietatem omnem & justitiam pellit, omnem amicitiam patriæq; & sanguinis respectum tollit; Ordinem politicum, leges, jura omnia abrogat & convellit; pacem & fœdera turbat, regnorum opes comminuit, omnium cladium florentissimis regnis, nobilissimis civitatibus, populis potentissimis initarum causam præbuit; ad avaritiam, sævitiam, & mala omnia, dux & quasi magistra est, & perfido ipsi non tantùm dedecus, sed & perniciem affert. Hujusmodi siquidem homines perfrictæ frontis, infamiam negligentes; humanâ quidem sunt formâ, sed beluinis animis, quia longè deteriores sunt ipsis manifestis hostibus, (Nam facilè est cuivis, inquit Dionysius Halicarnassæus lib. 5. ab istorum insidiis sibi cavere, & hostiliter congressos quivis repellere potest; sed ab amicis, qui hostiliter se gerunt, illi qui jam sunt præventi, nec facilè sibi cavere, nec propulsare eos valent;) longè graviori pœnâ dignos

dignos esse multis comprobat exemplis Alexander ab Alexandro lib.2 genial.dier.c.13. Quorum aliis pollices, aliis dextra manus amputata est; alii crucibus affixi, alii securi percussi, alii denique bestiis sunt objecti. Sic & Histiæus Milesius, cùm à rege Dario defecisset, ab Artapherne Sardis in crucem est actus, teste Herodoto lib.5. & 6. Apud Romanos Hostilius, Rex, Methii Suffetii, Albanorum Ducis, qui inter Fidenatã Romanamque rem, animum gesserat ancipitem, corpus bigis diversas in partes distrahi mandavit, ut author est Livius lib.1.dec.1.& Florus lib.1. cap.3.

Pipinus, Francorum rex, Ramistanum, Vagisari, Aquitani Ducis rebellis, patruum comprehensum resti suspendit; quòd à Vagifato ad se, ab se ad Vagifarum transiisset, infirmâ semper fide, teste Æmilio lib.2.

Ludovicus II. Imperator post multa prælia, Rastricem, Principem Sclavorum, captum, propter violatam fidem oculis privavit, ut scribunt Sigebertus & Regino lib.2.

Theobaldus Brussatus, qui Spirę militari baltheo à Cæsare donatus, ejusque beneficio in patriam receptus erat ab exilio; quòd Brixianos ad defectionem sollicitasset, & in rebellione detinuisset; Brixiâ tandem ab Henrico VII. Imperatore (*a.C.1311.*) post longam obsidionem fame, ferro, flammisq; perdomitâ; inter cadavera sau-

cius repertus,(mortuum autem se simulabat,ut hostium manus elaberetur,)ad Cæsaremq; perductus; postquam ei Cæsar acerbissimis verbis proditionem exprobravit,equo alligatus,per exercitum raptatus, & tandē in quatuor partes est dissectus,quatuor item Brixiani capti,bobus alligati,similiter sunt dilacerati, teste Cuspiniano in Cæsaribus.

Andreâ,rege Apulo,tertio post initū regnum anno,cognatorum factione,consentiente uxore Johannâ Aversæ,serico laqueo necato, conjurationis Principes Corradum Cattanchium, & Gensam militem, cum nonnullis aliis, Comes novellus, Andreæ necessarius, cepit; & per omnes comitatus sui vicos circumferri,candentibus forcipibus discerpi, demum quatripartitò discindi jussit, ut Bonfinius scribit libr. 10. dec. 2. Sic & Johannes Horvatius, Pannonius,Croatiæ præfectus,qui Elisabetham Ungariæ reginam,ob cæsum Carolum Neapolitanum, in aquâ submergi curarat*(an.C.1385.)* à Sigismundo Imperatore stimulis uxoris Mariæ, matris necem ulcisci desiderātis, accenso captus, & in Quinqueecclesiarum urbe, revinctis ad palum manibus, per urbes,vicos & compita curru circumvectus, candentibusque frustulatim forcipibus passim discerptus; postremò quadripartitò dissectus est: Frusta corporis singulis portis ad deterrendam facinorosam audaciam imposita, cæteri capite sunt

ſunt mulctati, ut idem author eſt Bonfinius lib. 2. dec. 3.

Ab eodem Sigiſmundo *(an. C. 1402.)* regno Ungariæ reſtituto, in Sclavonia conventu indicto, Stephan⁹ Weivvoda conjuratorũ, per quos Rex in carcerem fuerat conjectus, Princeps ad eum quidem conventum cum magnâ equitum manu advenit, partim ſuorum viribus, partim Regis clementiâ fretus, ſed in quo à nobilitate captus & obtruncatus eſt, ejusque cadaver è feneſtrâ in forum deturbatum. Quo ſpectaculo, equitum ad arma conclamantium animi ſic conſternati ſunt, ut domini ſui vindices eſſe formidarent; ut ibidem ſcribit Bonfinius.

Idem Sigiſmundus Imperator, poſtquã Pipo Florentino, magni nominis Duce, in Forum Julii miſſo; Urbium in poteſtatem redegit, hic autem in medio rerum gerendarum ardore, auro corruptus, exercitum in Pannoniam præter omnem expectationem reduxit; Imperator Parthos imitatus, ut hi Craſſi mortui, ſic ille Pipi viventis faucibus aurum liquefactum infudit; *Auro ſaturare, quod ſitiſti*, ingeminando; eodem teſte Bonfinio lib. 3.

Et quis omnia punitæ perfidiæ in defectoribus, transfugis, proditoribus, deſertoribus, & aliis nefariis, læſę majeſtatis Regis exempla, quibus nulla nõ hiſtoria referta eſt, recenſere valet?

Pro coronide unicum his addere operæ pre-

tium videtur de Heberto Comite Viromanduo, suomet judicio damnato. Roberto nempe Aquitaniæ Duce, à Carolo Simplice, Galliæ rege, in Suessionum agro victo, & in acie cæso, cladem eam adeò ægrè tulit Hebertus Viromanduorum Comes, Roberti sororius, ut insidias parare statuerit, quibus Regem caperet. Eum itaque per speciem amicitiæ Peronam ad solenne convivium invitatum, cum omnibus Principibus & proceribus Gallis, nihil tale suspicantibus, comprehensum in arcem Peronæ inclusit, captivumque ad mortem usque detinuit; cum Principibus tamen, liberis confestim dimissis, pactus, ne unquam adversus se arma ferrent.

Ludovicus III. Caroli filius in ipso statim regni initio, de Heberto palàm expetere pœnas ausus non est, veritus, ne ejus propinqui, amici & clientes, quos multos in regno habebat, turbas & tumultus concitarent. Magnifico tandem instructo convivio, cum Principibus & regni proceribus, Hebertum quoque ei ejusque amicos adhibuit; iis epulantibus cursor Anglicus intervenit (totam fabulā ita composuerat Rex Ludovicus) ocreatus, petasatusq; Angliæ regis literas Regi Ludovico tradens; quas acceptas, quò minimum omnē meliùs ageret, submissâ voce Cancellarium legere jubet. Ubi perlectæ sunt, Rex subridens, clarâ voce, ut omnes convivæ exaudire possent, ita infit; Vel hoc satis probat, quod

vulgò

vulgò dicitur, verum esse, *Anglos parum sapere*; quippe cognatus meus Rex Angliæ ad me scribit, repertum esse in regno suo quendam vasallum, hominem rusticum, qui, cùm seniorē suum ad epulas invitasset, domi suæ retinuit & strangulavit. Porrò sciscitari se velle ex Principibus & proceribus Galliæ, quid supplicii meritum ipsum censeant. Quid ergo tibi videtur, Comes Blæsensis? (is erat natu omnium maximus) tum Comes rusticum istum capitali pœnâ dignum sibi videri respondit. Huic judicio cæteri assensi, & Comes Viromanduus quoque sententiam rogatus assensit. Tum Rex sermonem excipiens; Comes Viromandue, inquit, te ore & judicio tuo capitalem fraudem fecisse statuo; pellexisti domum tuam per simulationem amicitiæ ac convivii patrem meū, & domi tuæ in custodiam traditum fœdè ad mortem compulisti. Itaque cùm tuâ etiam confessione capitalem noxam docueris, tibi extremum & infame supplicium indico. His dictis Rex corripi hominem & laqueum injici jubet. Sic ergo Comes Hebertus, fractâ laqueo gulâ, suomet ipse judicio periit, & istam perfidiæ mercedem tulit, teste Æmilio lib.3.

Subditi ergo hujusmodi perfidiæ suppliciis deterriti, perfidiam, ceu tartareum & furiale monstrum, cui *iraq; insidiaq; & crimina noxia cordi*, damnent atque execrentur; & quia famæ

fideiq; damna accepta ſunt, quàm quæ æſtimari queant, non modò violatæ fidei crimine, ſed ſuſpicione quoque, quoad ejus fieri poteſt, carere ſatagant; ac proinde candorem ſuum in dictis factisque Principi & cuivis magiſtratui ſemper & ubiq; probent. Et hunc à ſuis ſubditis quoq; ſubditis Nicocles Iſocraticus poſtulans, primùm multis verbis præcipit, ne occultè aut callidè quicquam aut malitiosè inſcio ſe agant, ſed ſimplicitatem & candorem apertum omnibus in rebus atque actionibus adhibeant, & perinde ſe gerant abſente Principe, ac ſi ipſe coràm adeſſet. Non enim ſemper Deus actiones hominum in tenebris quaſi & ſolitudine relinquit; ſed neceſſe eſt, in lucem eas produci, & ab omnibus tandem cognoſci. Deinde quoque vitare jubet τὴν διπλόην, vafriciem & fraudem, *quæ aliud ore loquitur, aliud corde ſentit; aliud coràm, aliud in abſentia dicit*; (non enim, ut Patinus ruſtico apud Aujanum fabulatorem reſpondet; *ex eodem ore calidum & frigidum emittere oportet*,) & econtrà ſimplicitatem requirit, & veracem, ſincerum atq; candidum animum, à quo omnis abeſt aſſentatio, omnis fraus, omnis obtrectatio. Denique amor & fides ſubditorum in ſuum Principem & magiſtratum hinc quoque conſpicitur, ſi illorum & Rerump. hoſtes atque inſidiatores ipſis detexerint atque patefecerint, quod & ipſum à ſuis ſubditis requirit Nicocles. Subditi nimirum

nim omni curâ & diligentiâ, quantum in ipsis est, debent providere, ne quid detrimenti vel ipse Princeps, vel tota Resp. capiat; & ea, quæ ipsi vident aut animadvertunt, incõmoda & pericula omnibus modis avertere atque arcere. Quod nisi fecerint, tum simul eandem certè pœnam merentur, quam delinquentes. Nota enim juris est regula: *Faciens & consentiens eâdem pœnâ sunt digni.* Planum hoc fit ex historiâ Caroli, Comitis Carolesii, Ducis Burgundiæ, apud Fulgosum lib. 6. c. 5. Apud hunc Johannes Dinus accusarat Johannem Costanũ, Burgundionem, compellatum se ab eo dicens, ut acceptâ grandi pecuniâ venenum perferret, quo Carolus Comes è medio tolleretur. Hic ergo, postquam Costanum securi percussit, Dinum quoque ad se vocatum interrogavit, si Costanus pecuniam, quam promiserat, præstitisset; eúmne accusaturus fuisset? cui Dinus, ne mentiretur, fretus quoque indultum iri, palàm fassus est, se eum non detecturum. Quamobrem Comes jubens Dinum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri, eâdẽ horâ ipsum quoque securi percussit; justâ & veloci mercede ei datâ duarũ proditionũ erga amicum (Costanũ) & Principem. Quid multa? subditos decet omni ratione & modo Principũ & magistratuũ suorum cõmoda provehere, & pericula declinare; utpote *quorum fortuna communis esse solet.* Nam, ut Livius ait decad. 3. lib 10. *tantum*

ex publicis malis sentimus, quantū ad privatas res pertinet, nec in eis quicquam acriùs, quàm pecuniæ damnum stimulat. Sic verè, juxta illud poëtæ,

Intrant in thalamos publica damna tuos.

FLOS V.

Principes etiam σκολιοὶ ϗ δύσκολοι patientiâ honorandi.

PRincipes, quoniam Dei inter mortales gerunt personam, meritò verbis & opere sunt honorandi, quod quatuor flosculis huc usque planum fecimus. Quia verò & ipsi homines sunt, à quibus humani nihil est alienum; ideò ἐπιείκεια quoque à subditis requiritur, tolerans illorum infirmitates, & nævos atque errata condonans. Et quia non semper boni & humani Principes à Deo dantur, sed etiam σκολιοὶ ϗ δύσκολοι, h.e. pravi & morosi, quibus omnia dicta & facta stomachum movent; quique in subditorum corpora proprium sibi dominium & jus vendicantes, eos beluarum instar tractant, ideo illos quidem à Deo optare, hos autem æquè ac illos revereri, & patienter ferre decet subditos, juxta Petri ac Pauli Apostolorum præceptum servis datum in 1.Pet.3 & ad Eph.6. *Quemadmodum enim sterilitatem aut inimicos imbres & cætera, quæ videntur nobis naturæ mala; sic quoq; luxum*

luxum, avaritiam, asperitatem & reliqua dominantium nobis visa mala tolerare debemus. Cùm Samuelis filii à sanctimoniâ & pietate paternâ degenerarent, & avaritiæ laqueis irretiti, venales haberent linguas, & sententias judiciaque perverterent, indeque populus Israëliticus ansam caperet petendi Regis; Deus super importunâ istâ populi postulatione consultus, ægrè eam tulisse videtur; Non te, (inquiens ad Samuelem) sed me spreverunt. Quibus verbis innuit, *judicandi atque imperandi potestatem non esse hominum, sed Dei.* Samuel itaque populi petitioni cedens, inter alia Regis jus futurum exponit; non quidem, quid facere Reges ex officio deceat, sed quid plerunque ex maleficio usurpent; fore nimirum, ut Reges illorum quandoq; extra metas præscriptas erumpant, suâ potestate præposterè utantur, jus omne in vi ponant, in subditorum res utrâque manu involent, deque alieno sint liberales atque munifici.

Huic ergo tam gravi sarcinæ humeros esse submittēdos præmonet, & injustas expilationes atq; rapinas nō tam culpandas, quàm ferendas; servitutem deniq; iniquam ingemiscendo, mussitando, ac silendo prosequendā, 1. Reg. 8 Ideoque cùm Philistino bello primo Saul ex merâ ambitione populum juramento astringeret, ne quis nisi cōfectis hostibus aliquid cibi gustaret, 1. Regum 14. populus huic edicto, quantumvis gravi

& molesto obedientiam jure debuit, tum quia suâ sponte Regem postulaverat, & regiæ potestati sese subjecerat, tum quia magistratus ordinatio Dei est; cui etiã iniqua, non tamen impia, præcipienti omnino obtemperandum; idq; non solùm propter iram sive pœnam, sed etiam propter conscientiam. Quamvis n. propter inobedientiam suppliciũ magistratus aliquando effugias, non tamen effugies coram Deo peccatum, quod ex ejusmodi inobedientiâ adversus Deum committis; *Deo siquidem non paret, qui legitimo magistratui non paret*, & divinam ordinationem turbat, qui temerariâ suâ importunitate civilem tranquillitatem turbat. Unde videre est, quàm graviter idem populus Israëliticus adversus Deum peccarit, suâ à Roboamo rege defectione, denegante ipsi σεισάχθειαν, hoc est, onerum publicorum levationem, 3. Reg. 12. Nec enim Deo consulto, nec convocatis populi Israëlitici ordinibus, quo Roboamum sive volentem, sive nolentem ad officium cogerent; novi Regis electione regnum illud, quod Deus voluit esse unicum, in duo discerpserunt; unde non tantùm bellis intestinis, sed & idololatriæ Jeroboami occasionem dederunt, quos decuisset potiùs legitimo justoq; armorum usu Roboami tyrannidi occurrere. Sed nec justa rebellandi causa fuit Roboami stoliditas & tenacitas, pertinaciter denegans populo tributorum levationem, à Salomone

mone imperatorum, 3 Reg. 9. pro muniendis urbibus & armamentario publico instruendo. Periniquè enim de durissimo hoc Salomonis jugo conquerebantur: ejus siquidem Imperio nemo ex populo Israëlitico ad servitutem adactus, sed imò potiùs fideli ejus curâ totum regnum auro & argento divitiisque affluxisse legitur, 3. Reg. 9. & 10. Et quamvis iniqua Roboamus imperasset tributa & vectigalia, nec tunc tamen populus justam habuisset causam ab ipso deficiendi & rebellandi, sed potiùs, juxta Apostoli pręceptum ad Rom. 13. decuisset eos Regi suo obedire, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ipsique reddere tributum, vectigal, honorem.

Pari modo à Romanis quoque militibus graviter peccatum, Publium Posthumiũ Tribunum militũ consulari potestate, ob nimiam ejus arrogantiam & crudelitatem, lapidibus obruentibus, ut est apud Livium dec. 1. libr. 4. & Florum lib. 1. cap. 22.

Etsi enim Posthumius pravæ fuit mentis homo, qui non solùm, quam ante Volcarum oppugnationem prædam militis fore edixerat, oppido capto eam denegavit, fidemque mutavit, sed & in eundem militem multa exinde superbè & crudeliter dixit atque egit; non tamen decuit milites, seditionem contra Ducem suum concitare, multóque minùs lapidibus eum obruere, sed

potiùs injurias istas quantascunque patienter ferre, aut per leges ad supremum magistratum recurrere. Quoniam enim omnis anima potestati supereminenti, etiam injustę, debet esse subdita, secundùm Apostoli illud ad Rom. 13: ideo non licet homini privato contra tyrannum insurgere, multóque minùs è medio eum tollere, quamvis justo dolore impellatur ad sceleris vindictam exposcendam; quippe quę fieri debet authoritate magistratus, non privati hominis audaciâ. Duo nimirum, qui privatæ sunt conditionis, subditis, injuriam à magistratu passis, potissimùm sunt observanda. Unum, ne quid, nisi juridicè, experiantur, utpote quib. per leges licet ab inferiore magistratu ad superiorem recurrere; alterum, ut videant non solùm quid liceat, sed vel maximè quid expediat. Sic nimirum rectè Paulus Apostolus, ut injustitiam Festi Judææ præfecti declinaret, ad Cæsarem provocavit, Act. 25.

Idem, cùm Philippis contra jus civium Romanorum virgis ignominiosè indictâ causâ per magistratus imprudentiam cæsus fuisset, piè omnino judicans, se suâ patientiâ Dei gloriam magis promoturum, jus suum ulteriùs persecutus non est; sed satis illi tum fuit, magistratum suę injustitiæ contra leges commissæ, admonere, Act. 16.

Quòd si supremus magistratus is est, à quo injuria

injuria proficiſcatur: Chriſtus, & poſt eum omnes Martyres ſuo exemplo ſatis docuerunt; injurias patienter eſſe ferendas. Eſtq; hæc ſumma Chriſtianorum gloria, *injuriam ab omnibus pati, nemini autem inferre*.

Sic nimirum David (*a. M. 2885.*) ut initiò bis declinavit Saulis lanceam, & ex aulâ excedere maluit, quàm viciſſim lanceâ ſuâ in Regē ſuum ſævire, 1. Reg. 18. & 19. ita & deinceps in ſuo exilio, cùm bis oblata eſſet ipſi occaſio eundem occidendi, glorioſius ſibi duxit; iræ ſuæ & manibus imperare, & Regi vitam donare, & in hoſtis capite carbones igneos cumulare, quàm ut jus ſuum perſequendo, animum vindictæ cupidum brevi voluptate expleret atque deliniret. Quâ ſuâ manſuetudine, Saulum non modò ad lacrymas peccatique ſui confeſſionem adegit, ſed etiam illud effecit, ut publicè voce ſuâ innocentiam ipſius teſtaretur, regnumq; ſuum pleno ore ipſi reſignaret; quo nihil majus aut magnificentius ipſi accidere potuit, 1. Reg 24. & 26. Ab hoc ergo ſubditi diſcant, quasvis tyrannorum tolerare injurias, auxiliumque à Deo piis precibus expectare; quę via ad excutiendum tyranni jugum, multò expeditior eſt, quàm ſeditioſæ conſpirationes, aut crudeles cædes.

Sic &, cùm olim Iſraëlitæ duriſſimâ & penè intolerabili per multos annos à Pharaonibus premerentur ſervitute, fodiendâ pice, & bitumine

ducendo, minimè in eum conſpirarunt, aut rebellionem fecerunt, ſed in tantis anguſtiis Dei opem implorarunt; qui excitato Moſe (*anno M. 2454.*) robuſtâ eos manu tandem ex ergaſtulis Ægyptiis eduxit, Exod. 1. & ſeq. cap.

Preces nempe, cum ſeriâ reſipiſcentiâ & patientiâ conjunctæ, vera & neceſſaria ſunt remedia ad profligandam tyrannidem, quandoquidem hoc quoq; malum inter flagella, à Deo immiſſa ad populum caſtigandum, meritò connumeratur; imò ſcutum illud ſunt, quod magis competit ſubjectis, contra tyrannos ſe defendentibus, quàm gladius, horum cæde manus illorum cruentans. Et hoc ſcutum Judæos exules in Babylone contra Nabuchodonoſorem, Aſſyriorum regem, qui, urbe ſacrâ & templo incenſis, Zedechiæ Regi capto oculos effoderat, nobilitatem è medio ſuſtulerat, populum in colonias diſperſerat, apprehendere jubent Prophetæ, Jer. cap. 29. & Baruch c. 1. preces nempe pro Rege, ipſiusque regno; quemadmodum contrà Ezechiel cap. 29. maximopere deteſtatur Zedechię regis rebellionem adverſus eundem regem Nabuchodonoſorem. Cæterùm de legitimo armorum uſu adverſus ſuperiorem magiſtratum, tyrannidem exercentem, dictum paulò antè in flore ſecundo hujus Coronæ.

FLOS

FLOS VI.

Subditis Rerumpubl. novæ mutationes fugiendæ.

T*Ales ſunt hominum mores, & talia ingenia, ut ſemper præſentia faſtidiant Imperia, quantumvis mitia & bona, novosq; dominos, & nova Imperia expetant.* Quemadmodũ n. nulla tam felix eſt gubernatio, quin habeat aliquid difficultatum; ideo fit, ut leviter preſſi à præſentibus gubernatoribus ſubditi, his excuſſis quærant novos, ſed quas Rerump. mutationes plerunq; fieri in deterius, populi Iſraëlitici ſatis ſuperq; docet hiſtoria, cujus politia omnibus mundi regnis antecellebat, Deo ipſo in medio populi verſante, & in gravioribus cauſis reſponſa inter Cherubin edente, Judices quoque & Duces belli pios & probos, quotiescunque rogabatur, eligente; ſed qui præſenti gubernationis formâ, quâ Deo ejusq́ue verbo ſubjiciebatur, pertæſus, à Samuele (*a.M.2881.*) (qui huc uſque aheneus ipſi fuerat murus & propugnaculum, & quem conſtabat regi atque conſervari divinitus; cujus quoque innocentiæ & juſtitiæ in gubernatione, poſtea in publicis Regni comitiis, in Gilgale celebratis, apertum & ingenuum perhibuit teſtimonium,) ad circumfuſarum gentium morem, petiit ſibi

T 5

dari Regem, lubricum homuncionis, in horas mutari soliti, Imperium immutabilis Dei præferens dominationi & gubernationi, 1. Reg. 8.

Quanta verò malorum lerna sub hac populi Israëlitici postulatione latuerit, & quàm proclivis sit virium in violentiam lapsus, & quàm præceps regni in tyrannidem mutatio, sub Saulis & aliorum nonnullorum Regum Imperio, malo suo didicit. Utique enim, ut verissimè dixit Xenophon; *Imperiorum mutationes non fiunt sine magnis calamitatibus, tam publicis, quàm privatis.* Cui Salustius subscribit de bello Jugurthino, his verbis: *Omnes rerum mutationes, cædem, fugam, aliaq; hostilia portendunt.*

Quanta autem incommoda ex frequentibus Rerump. aut Imperiorum conversionibus oriri soleant, notum est ex seculo isto Reip. Romanæ, quo à promulgatâ lege Canulejâ *(an. M. 3529.)* usque ad communicatum plebi consulatum, per 80. illos annos, quibus tribuni plebis assiduè saxum istud volutarunt; decies novies inter consules & tribunos militares Reipubl. gubernatio est commutata; teste Liv. dec. 4. libr. 4. & Floro.

Quemadmodum enim plus est periculi corporibus nostris vere & autumno, ob aëris mutationem, ita novitas omnis offendit atque lædit Remp. non sine magnis calamitatibus publicis & privatis, quæ plurimùm augentur, si crebrò mutationes istæ incidant, qualescunq; illæ sint.

Nam

Nam bonæ quoq; & salutares mutationes, quia novum aliquid atque insuetum introducunt, rationes & consilia gubernatorum turbant, & legum tam veterum, quàm recentium authoritatem labefactant; pariunt discordias, divulsis conjunctissimorum hominum animis, studium & curam Reip. in iis, qui præsident, languefaciunt; in subditis denique acuunt & confirmant licentiam peccandi, petulantiam obtrectandi, & audaciam legitimo magistratui adversandi. Probè hoc intelligens Nicocles Isocraticus, subditos suos hortatur, ut suam sibi gratiam atque amicitiam concilient, quâ nihil tutius, nihil firmius, nihil felicius esse possit Reip. nec ullam mutationem requirant; utpote quæ causa sit multarum confusionum, & plurimorum malorum, non tantùm in Reip. sed etiam in privatâ familiæ administratione. Quem in modum & Tacitus Annal. lib. 12. *Regum ferenda ingenia, nec usui esse crebras mutationes*, monet. Et Augustus Cæsar, cùm Straton ipsi adulaturus, Catonis pervicaciam accusaret; quòd sibi manus afferre, quàm Julium victorē agnoscere maluisset; *Quisquis*, inquit, *præsentem Reip. statum mutare non vult, is & civis, & vir bonus est.* Quo dicto, sibi potissimùm consuluit; deterrens, ne quis in posterum res novas affectaret. Quocirca, quamvis extra controversiam est, nullam esse Remp. aut Imperii formam tam bene constitutam, in qua

non subinde aliquid desiderari queat; tamen, ut Medici ad graviora remedia, non nisi cæteris desperatis, & quidem timidè, accedunt: ita quoque in Rebuspubl. & Imperiis non temere aliquid propter occurrentes difficultates est immutandum. Sæpe namque usuvenit, ut, dum uni alicui malo medicina paratur, alii morbi exasperentur; & quod præsenti statui medicinam videtur afferre, id mutatis circumstantiis graviorem aliquem morbum infligat. Contenti igitur simus, quantũ fieri potest, præsenti Reip. statu, ejusq; incommoda patienter potiùs feramus, quàm ad ignota adhuc, & temporibus fortassis ipsis redarguenda reçurramus remedia.

FLOS VII.

Subditi cum seditiosis ne commiscentor.

INter alia, quæ Nicocles Isocraticus subditis suis præscribit præcepta, etiam conciliabula, sive conventicula, & societatum conspirationes prohibet; utpote quę sæpissimè causam præbuerint discordiis, tumultibus, rebellionib. & aliis malis. Solent nimirum seditionum flabella atq; Æoli, homines sanguinarii, *Tribunitios gerentes spiritus*; & quibus (ut est apud Sal. in conjurat. Catil.) quieta movere, magna merces videtur; primùm

primùm clàm, & nocturnis plerunque colloquiis, secretisque conventiculis, absentibus melioribus, deterrimum quemque ex fece hominum, temerarium, ambitiosum, ære alieno onustum, ob scelera sibi metuentem, & similis farinę homines congregare; & de Principe vel optimatibus, aut Rerumpubl. gubernatoribus, querelas & ambiguos inferre sermones: dehinc promptis jam & aliis seditionis ministris, audaciùs & palàm tubas inflant, utque præsens Imperium evertant, libertatem & tutelam publicam prætexunt, Reique publicæ mutationem in melius pollicentur, atque ita impia ad virtutem traducentes, arduaque & difficilia extenuantes, imperito atque imprudenti populo fucum faciunt. Etenim, teste Herodoto in Thalia, *naturâ inest vulgo, ut nihil intelligat.* Quomodo enim intelliget, quod non didicit, nec per se novit honestum; ac ne domesticum quidem, quódque ad res agendas sine consilio præceps ruit fluminis instar torrentis? Quemadmodum autem mare, quod suâ naturâ tranquillum est, ventorum vi agitari videmus, ac turbari; sic quoque populus suâ sponte pacatus, hominum seditiosorum vocibus, ceu violentissimis tempestatib. concitari solet, inquit Cicero pro Cluentio. *Nec enim ullum profundum mare, nec ullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multi-*

tudo habet motus, si novâ & brevi duraturâ libertate luxuriat, teste Q Curtio lib. 10.

Sic ergo, secundùm Tacitum libr. 1. historiar. in seditionibus accidit, ut unde plures erant, tandem omnes sint; ubi verò domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis authoritas convellitur, *plusq; valet, quod violentia cogit, quàm quod suadet & præcipit verecundia*, ut Val. Max. scribit lib. 3. c. 8. In seditionibus siquidē & bellis, Dione teste lib. 18. omnia præter rationem eveniunt, ubi non jure, sed utilitate suâ ac necessitate amicos inimicosque suos ii, qui rerum potiuntur, æstimant, *ac pro opportunitate temporis eosdem & hostes & necessarios suos judicant*.

Documento est σύστασις & conspiratio illa Romæ inter Pompejum, Crassum & Cæsarem (*an. M. 3912.*) qui Ciceronis judicio nihil aliud fuerunt, quàm Triumviri, h. e. tres tyranni, qui suo arbitratu gesserunt omnia. *Quæ profectò domestica factionum dominatio*, ut Thucydides loquitur libr. 4. *tristior est peregrino Imperio*; quemadmodum hæc ipsa σύστασις ἀφορμὴν postea præbuit bello civili, inter Pompejum & Cæsarem. Pompejus nimirum videns, suam quodammodo deferbuisse gloriam, & præterea metuens, ne penitus à Cæsare, pleno gradu ad sublimia contendente, opprimeretur; denique se hoc adjutore pristinum suum decus conservare posse sperans,

cum

eum Cæſare & Marco Craſſo, Romanorum ditiſſimo, fœdus pepigerat.

Cæſar non tam ex benevolentiâ, quàm ex ſpe privati commodi fœdus hoc metiens, utriusque ſtudio impetravit (*an. M. 3913.*) ut Gallia ſibi decerneretur, in quam ipſe exiret Imperator. Nec aliâ de causâ Pompejus in toto hoc negotio, & in decernendâ Cæſari provinciâ, & in prorogando Imperio plurimùm laboravit, quàm quòd cupiebat, eum procul ab urbe abeſſe; quo remoto, nullus dubitabat, ſe omnia, quæ appeteret, faciliùs eſſe obtenturū. Cæſare in Galliis abſente, & Craſſo quoque à Parthis occiſo (*a. M. 3919.*) ſolus eminens Pōpejus, tametſi hoc agebat unicè, ut, quomodocunque poſſet, Cæſaris creſcentis infringeret gloriam atque potentiam; eo tamen tempore, quo tertium gerebat conſulatum, (*an. Mundi 3920.*) non auſus fuit prorſus negligere Cæſarem, eique omnem ſpem conſulatus præcidere, quia metuebat, ne ille neglectus eum raperet, & militum plebisque ſtudio alios premeret, atque ita ſuâ potentiâ abuteretur. Cæſar, rei hujus minimè ignarus, ideo magis appetebat conſulatum, ne, ſi ex Galliâ reverſus viveret privatus, in ęmulorum poteſtatem incideret; quorum conatibus omnis ſua authoritas atque potentia poſſet everti. Cùm igitur Imperii ſui fine appetente (*a. M. 3921.*) intelligeret, Romæ de illo ipſo privilegio, quod à Pompejo acceperat, maximas

esse dissensiones; quòd alii non nisi præsentem, omnique Imperio exutum, ad consulatus petitionem admittendum, alii absentis rationem habendam esse contenderent; etsi ita se paravit, ut, si opus esset, per vim consulatem obtinere posset dignitatem, tamen instante senatu (*anno Mundi 3922.*) ut omni dimisso exercitu Romam rediret, pariturum se promisit; modò Pompejus, quem in Hispania exercitum, non tam ad tutandam istam provinciam, quàm ad ipsum opprimendum habere suspicabatur, suas quoque copias dimitteret. Pompejus, quod re ipsâ facturus non erat, verbis tamen pollicitus, exercitum se, si ita visum esset senatui, animo æquissimo dimissurum, quamvis Imperii sibi demandati nondum adesset terminus, hoc unicè agebat, ut modestiæ atque humanitatis officiis magis se insinuaret, & Cæsarem in majus odium adduceret. Senatus igitur, qui antea sæpissimè summam expertus fuerat Pompeji moderationem, & de Cæsare, qui magis studebat populo, nihil hujusmodi audebat sibi promittere, nequaquã consentire voluit, ut Pompejus Imperium ante tempus resignaret, atq; ita tolleretur præsidium, quod unicum & firmissimum hic ordo habebat, si quid Cæsar vi moliri auderet. Statim itaque in initio anni urbis 74. in senatu decernitur, frustra repugnantibus Tribunis, ut aut Cæsar Imperium depositum successori tradat, & ante

certum

certum diem exercitum dimittat; aut si hoc facere nolit, hostis patriæ judicaretur. Hoc decreto promulgato, Cæsar nihilominus in armis mansit, quia ipsi non erat integrum, se omni præsidio nudatum, in quemcunque eventum committere, & adversariorũ injuriis exponere. Cùm igitur nihil obtineri posset, consulibus custodia urbis demandatur, extremumque illud Senatusconsultum, classicum nempe belli civilis, promulgatur: Dent operam consules, prætores, tribuni plebis, ne quid Respub. detrimenti capiat; Pompejoque pecunia & milites decernuntur, quibus extra Romæ mœnia defendat patriam. Quo facto, consules cum Pompejo proficiscuntur Capuam; plerique autem Tribuni ex urbe ad Cæsarem, utpote qui populo magis faveret, profugiunt. Hinc videre est, quòd, quemadmodum utere aperto, in quem Æolus incluserat ventos, erumpentibus diversis ventis, mare undique turbatur; ita in Imperiis & Rebusp. semel turbato ordine politico, plures subinde sequantur distractiones. Quantã verò perniciem urbi utriusque φιλαρχία attulerit, testatur pugna illa (*a.M.3924.*) in campis Pharsalicis cruentissima & tristissima; utpote in qua illi, quibus patria, leges, forum, fana, templa, porticus, judicia, suffragia, consuetudines, familiaritates, communia erant, infestis animis concurrere, & in cognatum sanguinem lanienam exercere visi sunt; ita ut

hostis hostem nominatim compellare posset, & multi inter cadendum percussoribus suis mandata domum perferenda darent. Quantam item perniciem, quot & quanta pericula, & quàm luctuosos exitus præbuerint factiones illæ domus Aurelianæ & Burgundicæ; itemque domus Lancastricæ & Eboracensis; utpote ex quarum illis ortum longissimum 72 annorū bellum, cui permixti Angli magnam Galliæ partem occuparunt: ex his verò ortum bellum annorum viginti novem. Vide Antimachiavellum lib. 3. theorem. 30. Sic & Athenis sæpenumerò factiones extiterunt, quæ, ubi semel radices egerunt, vix magnâ difficultate evelli potuerunt. Unde & Æschines, Demosthenis amicus, in exordio orationis pro Ctesiphonte, non dubitat appellare παρασκευὴν καὶ παράταξιν, h e factionem & coïtionem hominum appositorum, ad eximendos reos à pœnâ contra æquitatem juris, legumque interdictum. Hinc rectè M. Cato apud Livium dec. 4. lib. 4. *Ab nullo*, inquit, *genere non summum periculum est, si cœtus & concilia, & secretas consultationes esse sinas.* Quantis enim scateant periculis omnes factiones & conjurationes, quæ tam principibus viris impendent; utpote per quas plures imperio vitâq; fuère spoliati, quàm aperto bello, quàm privatis hominibus, qui se istiusmodi conjurationibus & seditionibus implicuerunt atque miscuerunt: non solùm belli

civilis

civilis Pompejani, itemq; Gallici & Anglici, ſed univerſa totius mundi teſtatur hiſtoria. Cores, Dathan & Abiron (*a.M.2455.*) cõtra Moſen conſpirantes, cum cohorte ſuâ hiatu terræ vivi ſunt abſorpti, in cõſpectu populi univerſi, Num. 16. Abſalon, ſeditiosè contra patrẽ Davidem regem univerſo populo concitato, patriam parricidiali & luctuoſiſſimo bello implicans, prælio cũ paternis Ducibus commiſſo, in fuga ramis quercus cæſarie involutus, & capite adhærens, tribus haſtilibus à Joabo eſt percuſſus, 2.Reg.15. & 18. Victo Abſalone, Seba Bichri filius Jeminienſis, ſeditioſus, Iſraëlitas omnes à Davide cùm avulſiſſet, à Joabo in urbe Abelâ obſeſſus, ſuaſu cujusdã mulieris ab oppidanis eſt trucidat⁹, ejusq; caput de muris in caſtra Joabi projectum, 2.Reg 20.

Ionicâ ſeditione à Dario Perſarum rege oppreſsâ (*a.M 3476.*) Ariſtagoras eſt interemptus, & Hiſtiæus cruci affixus, teſte Herod.lib.5.& 6.

De ſupplicio conjuratorum in Remp. Romanam (*an.M.3473.*) Tarquinium regem exulem reducere conantium, dictum in Coronæ tertiæ flore ultimo.

De conjuratione Catilinariâ detectâ, conjuratisq; ultimo ſupplicio affectis (*a.M.3909.*) lege Florum lib.4.c.1. & Saluſt.in Catilinaria.

Tiberius Gracchus, cùm legem Agrariã turbulentiſſimam, patribus inviſam (*anno M.3839.*) contra ſenatus decreta tuliſſet, *ne cui plus, quàm*

quingenta jugera ex agro publico possidere liceret, novasq; alias, haud minùs perniciosas, leges ferre contenderet, Duce Scipione Nasicâ, concursu hominum facto, in Capitolio cum suis complicibus est interemptus, & in flumen præcipitatus.

Decennio pòst (*an. M. 3880.*) cùm ejus frater Cajus Gracchus seditiosis legibus iterũ Remp. perturbaret, Duce Opimio consule servi manu cęsus occubuit. De utroq; lege Florum lib. 3. c. 13. 14. 15.

De seditione à Lucio Apulejo Saturnino, & Livio Druso, tribunis plebis, excitatâ, & utriusq; interitu, eundem vide Florum lib. 3. c. 16. & 17. & Appianum lib. 1. de bello civili.

Jonathas, sicariorum Cyrenensium Princeps, ob seditionem motam, & Principem Judæorum falsò accusatũ, à Vespasiano Romæ virgis cæsus, vivus est exustus (*a. C. 71.*) ut author est Joseph. lib. 7. c. ult. belli Judaici.

Et ab Imp. Hadriano trucidata sunt tercenta millia Judæorũ, qui, Duce seditioso Barnogebâ, restituere politiam Judaicam sunt conati; teste Eusebio lib. 4.

Gesserunt veteres Romani duo in Sicilia cum servis bella, in quorum priore ampliùs 20. millibus servorum cæsis, Eunus Syrus, seditionis hujus tuba, assumptis quidem sexcentis stipulatoribus, fugâ se ad loca recepit prærupta; sed cùm hi, exi-

hi, exitium inevitabile sibi impendere videntes, ut hostiles manus prævenirent, invicem cervices sibi abscidissent, cum quatuor superstitibus sociis ex speluncis extractus, carcerique mancipatus, in magnam pediculorum vim resoluto corpore, apud Morgentinam dignum temerariis ausibus nactus est vitæ exitum. In posteriore bello Athenion itidem tragico servorum exitu in prælio est interfectus. Similem tragœdiam & exitum miserabilem vidit & sensit superiori seculo Germania, in seditione rusticorum, in qua circiter quinquaginta millia seditiosorum passim occubuerunt; itemque in tumultibus Anabaptistarum Monasteriensium, in quibus illorum Rex tandem captus, candenti ferro laceratus, hinc caveæ ferreæ inclusus, ad summam urbis turrim expositus est pensilis, lege Sleid. lib. 4. 5. & 10.

De horrendo supplicio Georgii Secheli, & Lucatii fratris, qui, coactâ manu seditiosorum rusticorum, in Ungaria omnia latrociniis & depopulationibus impleverant, suprà dictum in fine floris 7. Coronæ secundæ.

In bellis quoque contra Henricum IV. Imperatorem ostendit Deus innumerabilibus & tragicis summorum Principum exemplis, adesse se ordini politico, & legitimis magistratibus, omnesq; injustas & seditiosas molitiones elidere, juxta illud Matthæi 26. *Qui gladium acceperit, gladio peribit.* Dederunt enim pœnas, quotquot

seditiosorum consiliorum fuêre authores & socii, ex utroque ordine ecclesiastico & politico. Nam & in authores Pontifices atque Episcopos scelera redierunt sua, ex quibus plurimi in acie sunt interfecti, & veteribus Principum familiis in Saxonia extinctis, devenerunt Principatus ad alienos. Estq; inprimis memorabilis vox illa Rudolphi, Suevii Ducis, quem Episcopi incitarant adversus Henricum IV. & Cæsarem elegerant, qui in prælio ad Mersburgum, amissâ dextrâ, his eos verbis allocutus fertur; *Videte domini, hæc est manus, quâ fidem sacramento munitam, & domino meo Henrico Imperatori datam, vobis urgentibus, præter æquum & fas temere violavi.* Semper igitur omnibus subditis in conspectu sit illud sapientissimi Regis, Prov. 24. *Time Jehovam, mi fili, & Regem, & cum seditiosis ne commisceto te; quippe quorum exitium subitò aderit, & oppressionem eorum quis novit?*

FLORUM



FLORUM
HORTULI HISTORICO-POLITICI

Corona quinta:

Conjugibus, parentibus, liberis, fratribus, cæterisq; cognatis consecrata.

FLOS I.

Conjugium in omnibus esto honorabile: *ad Hebr.13.*

FUlgentius epist. 3. ad Probam: Novimus, inquit, à Deo esse nuptiarũ fidem, conjugum charitatem, naturæ fœcunditatem; scimus, nuptias Dei esse opus, & Dei donum, quas ipse Dominus connexuit fidei vinculo, ratificavit benedictionis dono, multiplicavit propagationis augmento.

Quoniam igitur initium vitæ, & seminatium Ecclesiæ Reique publicæ est conjugium, ab ipso Deo in paradiso, & naturâ adhuc integrâ, non nisi re prius deliberatâ institutum, & post lapsum primorum parentum confirmatum, additâ

uberrimâ & largissimâ benedictione; ideo magna semper piorum fuit cura, ne per conjugium aut temerarium, aut impium vel offenderetur, vel minueretur Ecclesia. Hinc Abrahamus ob vitandum Ecclesiæ scandalum non solùm ipse Saram, Harani fratris sui filiam, sanctis sibi copulavit nuptiis, sed & Isaaco filio de suis cognatis uxorem voluit quæri, non Cananæam desponderi, Gen. c 24.

Eâdemque de causâ Isaac Jacobum (*an. M. 2186.*) in Mesopotamiam ad Labanum suum levirum ablegavit, Gen. cap. 28. & ipse DEUS postea populo suo (*an. M. 2493.*) impia ejuscemodi conjugia cum alienigenis severissimè interdixit, Deut. c. 7. ne ad diversam religionem & idololatriam traducerentur. *Utiq; enim, qui picem tetigerit, coinquinabitur ab eâ,* inquit Sirac. in Ecclesiast. suo c. 13.

Neque enim fieri potest, ut, qui cum impio conversatur, non aliquid labis ipse quoque contrahat. Compertum hoc exemplo Israëlitarum, qui, ductis Cananæorum filiabus, inservierunt Baalim & Astharoth, Jud. c. 3. Salomonis item regis sapientissimi, qui (*a. M. 2963.*) alienigenarum & profanarum mulierum convictu factus est idololatra, 3. Reg. 11. Et Jorami, regis Judaici, qui à Josaphati patris sui sanctissimi moribus degeneravit, cùm Attaliam Achabi, Israëlitarum regis filiã, uxorem haberet, 4. Reg 9. & 2. Par. 21.

Sic &

Sic & Valens Imperator nullam aliam ob causam, quàm persuasione uxoris suæ, Arrianus factus est, teste Theodoreto lib.4.c.12. & Socrat. lib.4.c.2.

Hinc rectè Apostolus in 1.ad Cor.6. vetat *jugum ducere cum infidelibus*; quod non solùm de doctrinâ intelligendum est, sed de omni vitę consuetudine, & consequenter de summo quoq; & arctissimo conjugii fœdere, cujus vinculum est concordia, ad quam retinendam atque conservandam plurimum facit consensus in religione; quemadmodum econtrà ob religionis disparitatem conjuges sæpe sejuges fiunt, aut inter eos perpetuarum rixarum oriuntur semina.

Sic nimirum Zipora, Jethronis filia, Mosis uxor (*an.M.2453.*) ob falsam patriæ suæ religionem, & Deo vero & viro sancto adversata, natum sibi filium circumcidi noluit, quem tandem præsenti calamitate territa, (Angelus siquidem Mosen, conjugi indulgentem, occidere voluit,) circumcidi passa, sed propter legis sævitiam convicium marito faciens, eum deseruit, & in domum patris repedavit, Exod.4.

Sic & Constantinus Copronymus, Imperator Constantinopolitanus, cum uxore Irene, Cacani Avarū Ducis filia, semper discordi vixit animo, cùm illa idololatra, ipse iconomachos esset; teste Cuspin. in Cæsaribus.

Pari modo leves Theophili Imperatoris ico-

nomachi, & Theodoræ uxoris super imaginibus dissensiones, perpetuò virum erga uxorem exacerbarunt, ut author est Zonaras in Theophilo.

Prudenter igitur Tisela, Henrici secundi soror, (*a.C.997.*) Stephano, Ungarorum regi, nubere renuit, nisi ille priùs Christi fidem susciperet, teste Cuspin. in Cæsaribus.

Prudenter quoq; à Poloniæ proceribus consensioni religionis prospectū, qui Iagelloni Litvaniæ Duci, Hetvvigem, Ludovici regis filiam, (*a.C.1386.*) elocare noluerunt, antequam sacro baptismi lavacro initiatus Christianus fieret. Quemadmodum ante eum quoque Vladislaus Locticus, itidem Poloniæ rex, Jeremini, Litvaniȩ Ducis, filiam Annam sacris priùs initiari curavit (*an.C.1325.*) quàm eam Casimiro filio jungeret, teste Cromero lib.11. & 14.

Sic & Eguinus, Northumbrorum rex (*an.C. 627.*) Etribergā filiam Edilberti regis Cantuariorum ambiens, Christianorum fidei sese addicens, voto potitus fuit, ut author est Beda libr.2. hist. eccles. c.9. & 10. Et idem Jagello, teste Cromero lib.15. postea legem tulit, ne inter Hussos & Catholicos essent matrimonia, nisi illi converterentur. Quem in modum & Imperatorum legibus in C. sub titulo de Judæis & cælicolis, hodie nō est jus connubii cū Judæis & alienigenis, h.e. iis, qui non sunt ejusdem civitatis & religionis,

gionis, sive Ecclesiæ, quæ civitas Dei ab Augustino appellatur, idque propter sacramenti & religionis ipsius violationem. Imò ejusmodi conjugium, quod inter eos, qui non sunt ejusdem religionis, à sciente contractum est, vicem adulterii obtinere, ibidem scribit Justin. Imperator; (sicut & in sacris literis passim idololatria appellatur adulterium) cujus pœna jure civili est capitis supplicium & mors; jure autem Pontificio, perpetua excommunicatio. Sic & lex divina, Deut. c.13. simpliciter mandat occidi eum, qui à Deo defectionem suaserit, etiamsi conjux fuerit, aut alius quispiam sanguine & cognatione conjunctus. Ex quo & illud sequitur, nullam ampliùs obligationem matrimonii inter eos conjuges esse, quorum alter ob fidei & religionis diversitatem discesserit; ita ut culpa omnis desertionis tunc residere debeat penes infidelem desertorem; qui, si cum alterâ conjuge consuescat, reus fit adulterii; & quoniam odio religionis membrum Christi repudiat, dignissimus esse videtur, à quo is vicissim repudietur.

Sic Gildebertus, Francorum rex, ab Amalrico Gothorum in Hispania rege, sororem Glotildin reduxit, cùm jam diu frustra laborasset in convertendo marito ab Arrianismo, ipsa verò interim à Gothis Arrianis ignominiosè esset tractata, ut author est Volaterranus lib.3 Geographiæ. Quamdiu verò vir infidelis cum fideli manet

uxore, tamdiu locus esse non potest divortio aut repudio; quatenus nimirum ipsa bonâ cum conscientiâ & salvâ religione cum eo vivere potest. *Sanctus enim fit vir infidelis* (inquit Apost.1.ad Cor.7.) *per uxorem, itemq; sancta fit uxor infidelis per virum,* alioquin liberis quoque ipsis impuris deinceps futuris, qui nunc sancti sunt. Quo dicto monet Apostolus, minimè pollui conjugis fidelis conscientiam alterius conjugis infidelitate; *cùm mundis omnia sint munda,* ideoque inter eos conjugiũ rectè constare posse, adeò ut bona spes sit, si concordes unà vivant, postea eodem pacto infidelem, alterius fidelis consuetudine sanctâ, & doctrinæ sanæ communicatione converti, & à viâ falsitatis in viam redire veritatis. Sic nimirum Clotharius, Francorũ rex, victo Herminfredo, Thuringorum rege, Radegundam, Bertarii fratris filiam, captivam atq; infidelem, uxorem duxit, & suâ consuetudine atque monitionibus ad Christi fidem convertit, teste Gregorio Turonensi lib.3.hist.c 4.

Sic & Theodelinda, Longobardorum regina pia, suâ operâ (*a.C.582.*) Eutharim priorẽ suum maritum ad veram pietatem pronum reddidit, posteriorem quoque Agilulphum à malorum dæmonum cultu abstraxit, & Longobardos ad veram fidem reduxit, ut author est Aventinus lib.3. Annal. Bojorum. & Bonfinius lib.8.dec.1.

Pari modo Clodovæus, rex Francorum, ab

uxore

uxore Chotilde, Gilberici Burgundiæ regis filiâ, persuasus (*an. C. 493.*) ethnicam religionem abjecit, & baptismum à Remigio Episcopo Metensi Argentorati suscepit, teste Æmilio lib. 1.

Porrò quoniam, juxta Apostoli præceptum, conjugium in omnibus honestum & venerabile esse debet, justum quoque & legitimum illud sit oportet, h.e. secundùm præcepta legum civilium contractum, quæ in matrimonio contrahendo primùm civitatem Romanam, deinde ætatem legitimam, tum cõsensum parentũ, quorum in potestate sunt liberi qui contrahunt, & tandem sanguinis aut affinitatis gradum lege non prohibitum, requirunt.

Primum quod attinet de civitate Romanâ, justâ id interpretatione receptum est, moribus nostris, de sanctâ illâ Dei civitate, quæ est Ecclesia, cujus cives oportet esse eos, qui contrahunt, ut matrimonium verè sit, secundùm Modestinum, *divini & humani juris communicatio.* De hoc satis superque modò dictum.

Alterum justi matrimonii requisitum, est ętas legitima; pubertas nimirum saltem affecta, licet nondum plena & perfecta, quę legibus Romanis in masculis 14. in fœminis 12. anno æstimatur. Neq; enim nupta est, ait Labeo, quæ virum pati non potest, h.e. quæ, ut Ulpianus loquitur, nondum est ætatis nubilis, ut in domum mariti deducatur. Plato lib. 6. de ll. fœminam 15. annorum

ferendo viro idoneam esse censet. Marem autem matrimonio aptum anno 30. Aristoteles verò lib.7.Polit.c.16. fœminis ætatis annũ 18. viris 36. connubio aptum constituit, quòd utriusq; sexus vires tum maximè corroborentur. Suffragatur his Tacitus de moribus Germanorum, ubi Germani hoc nomine laudantur, quòd sera apud hos Venus extiterit; ideoque eadem juventa & similis proceritas, & robora parentum valida liberi referant. Et Cæsar lib.6. de bello Gallico, apud Germanos in turpissimis habitum fuisse memorat, ante 20. annum uxorem novisse. Nec ratione caret, cur Aristoteles dict. libr. præproperas adolescentũ nuptias reprobat, quòd nimis propè ad parentum ætatem liberi accedant; unde eorundem verecundia & observantia in parentes perire soleat, & in re familiari administranda oriri querelæ, tum liberi parentum esse magistri satagunt; quòd fœminæ nimiùm pueriles, in partu plerunq; moriantur; quòd virorum corpora, ad concubitum ante diem properantium, enerventur, & inutilia ad res gerendas efficiantur; quòd denique ex imbecillitate parentum, imbecilles partus, & crebriùs fœminæ, quàm mares nascantur. Quod Trœzeniorum ibi probat exemplo, qui ab oraculo causam sciscitantes, cur apud eos tantopere condensarentur funera; audiêrunt, id fieri propter immaturas nuptias. Quamvis autem in sponsalibus contrahendis

certa

certa contrahentium ætas non ita definita est in ll. sicut in matrimoniis, dummodò ante 7. ætatis annum non fiant, l. 14. ff. de sponsalibus: quamvis item reverentia patris non concedit filiæ licentiam dissentiendi, nisi indignis moribus aut turpis sponsus à patre eligatur; utiq; tamen præstat, ad liberiorem personarū consensum, & ad pleniorem tam arduæ rei considerationem, nihil quicquam in matrimoniis tentare, donec præ ætate utraque contrahentium persona judicio polleat, aut, ne quid aliud nuptias interturbet. Id quod Hedvvigi, Polonorum reginæ accidit, quæ Guilhelmi Austriæ Archiducis amore capta, etsi ei se à patre desponsam esse, eodemque lecto parvulam cum parvulo cubuisse asseverabat, procerum tamen Polonorum voluntate, nubere coacta est Jagelloni, Duci Litvaniæ, teste Cromero lib. 14.

Sic & Carolus VIII. Rex Galliæ, etiamnum impubes à patre Ludovico XI. in uxorem acceperat Margaretam Maximiliani I. Imperatoris filiam vix triennem, (*a.C.1483.*) sed quâ, rerum potitus, post decennium rpeudiatâ, Annam Britannam Maximiliano socero pactam, cùm ad sponsum deduceretur, rapuit: Alexandro VI. Papâ dispensante, ut præter Cuspinianum & alios author est Riccius lib. 3. Reg. Franc.

Pari modo Johanna Albretana, Navarræ regina, XI. annorum puella (*anno C.1541.*) invita

desponsata fuit ab avunculo, Francisco I. Galliæ rege, Guilhelmo Duci Clivensi & Juliacẽsi, quam & post biennium ipsi per Cardinalem Bellajum adduci curavit; sed quam idem, accepto nuncio de subjugato Clivensi, & à Cæsare in gratiam recepto, ex itinere revocavit, nec matrimonium hoc, invitâ puellâ contractum, valere voluit, teste Sleidano lib. 13. & 14.

Tertium matrimonii justi requisitum est, parentum consensus, quorum in potestate sunt liberi, qui contrahunt; qui adeò necessarius est, ut sine eo, qui contrahunt, non modò nuptias non contrahant; quippe quę inter ipsos jure civili non consistunt, sed nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligatur, §. pen. Inst. de nupt. & l. 3 ff. de jur. dot. Quemadmodum & injusti conjuges, & injusti liberi ex isto conjugio nati, appellantur, l. 2 ff. de rit. nupt. Cujus sanè juris æquitatem duplicem recenset Imperator Justinianus §. 1. Inst. de nupt. civilem nimirum rationem & naturalem, per illam intelligens patriam potestatem, in qua & agnationis, & sui hæredis jus continetur, ne scil. patri invito suus hęres agnascatur: per hanc verò pietatem & reverentiam, parentibus à liberis lege naturæ debitam, quæ jubet, ut parentibus, à quibus ortus nostri ducimus principium, pareamus.

Et hæc eadem quoque legis divinæ ratio & sententia est, quâ idem honor & cultus parentum

tum à liberis requiritur, Exod. 20. Deut. 5. Quod præceptum Siracides in Ecclesiastico suo cap. 3. fusiùs pertractat, cujus certè honoris nō postrema pars est, consensus parentum in contrahendis liberorum nuptiis, qui, si ab his neglectus fuerit, irritum etiam habetur matrimonium. Sic enim Moses Exod. 22. inter alias hanc quoque legem matrimonialem proponit; Si quis, inquit, seduxerit virginem nondum desponsam, & pater virginis ei filiam dare noluerit, reddat pecuniam, juxta donationem virginum, Num. c. 20. Mulier si voverit, quæ est in domo patris, si pater contradixerit, votum nullum erit. Quin imò jure divino jus & potestas est parentibus, elocandi liberos, quibus velint, ut colligere licet ex Exod. c. 34. 16. Deut. 7. 3. Jer. 29. 6. & Matth. 24. 38. Nec injuriâ; siquidem & jure divino liberi inter bona & fortunas numerantur, teste Jobi historiâ c. 1. 12. Unde & liberos certis conditionibus apud Hebræos æquè ac Romanos olim vendere licuit, de quo videre est Exod. 21. 7. & JCtos tit. C. de parentibus, qui filios distraxerunt.

Sic nimirum Bethuel filiam suam Rebeccam Isaaco voluntate patris Abrahami elocat, Genes. 24. v. 53. De quo matrimonio pulchrè D. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo c. 9. Honorantur, inquit, Rebeccæ parentes muneribus, consulitur puella non de sponsalibus; (illa siquidem expectat judicium parentum, cùm non sit virginalis pudoris,

eligere maritum;) sed jam desponsa viro, de perfectionis die cõsulitur, nec immeritò dilationem non attulit; jure enim properare debuit ad maritum. Sic & Samson Philistæam uxorem non nisi de manu parentum accipere vult, Jud.14.2. Similia ferè exempla sunt Hemoris & Dinæ, Gen.34. Thamaris & Amnonis, 2.Regum 13.13. itemque Tobiæ, nuptias cum Sarâ Raguelis filiâ celebrantis, proxenetâ angelo, patre quidam fortassis ignorante, aut etiam inconsulto, sed tamen non planè invito, & pactū hoc postea sponte suâ ratum habente, ac nuptiis filii cum matre congratulante, Tob.6. & 11. Cum hoc jure divino consentit quoque jus naturæ & gentium, ut Hermiones Menelai filię exemplum docet apud Euripid. in Andromach. quæ ad Orestem procum suum, *non sibi, sed patri suo curam matrimonii sui competere asseverat*, itemque Achillis apud Hom. Iliad. lib.9. qui ne Regis quidem filiam sine patris consensu uxorem ducere voluit; quemadmodum nec Cyrus Cyaxaris filiam cum magnâ dote, multisque muneribus; de quo vide Xenophontem lib.9. pæd. ubi disertis ait verbis; Velle se cum patris & matris consensu uxorem ducere. Adeò nec in terris filii sine parentum consensu ritè & jure se nubere credunt, ut Tertull. scribit lib.2. ad uxorem, ex quo est Catulli illud in Epithalamio:

Non

Non æquum est pugnare, pater, cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parére necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia sola tua est: Noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Juri huic divino & naturæ suffragatur quoq; vetus jus Canonicum, quod Evaristi Pontificis authoritate nititur; *Aliter*, inquit, *legitimum non fit conjugium, nisi ab his, quorum in potestate est, uxor petatur, & nisi ea à parentibus aut propinquis desponsetur.* Quo eodem jure matrimonium absque authoritate parentum contractum, adulterium vocatur. A Justiniano verò appellatur raptus. Itaque malè ex decreto Nicolai secundi Pontificis interpretes concludunt, consensum parentum requiri saltem ex honestate, non necessitate, sine quo contractum liberorum matrimonium nihilominus justum censeri debeat. Omnino enim in illo decreto, non tam de matrimonio contrahendo, quàm de eo, quod contractum est, rursus dissolvendo potissimùm agitur, ut tunc pro justo matrimonio haberi illud debeat, si per copulam jam consummatum sit. His omnibus juribus rectè conjungitur jus synodicum & ecclesiasticum, tot sanctorum Ecclesiæ patrum atque doctorum synodis unanimiter confirmatum, & perpetuâ successione Ecclesiæ,

velut in manus traditum; non obstante decreto synodi Tridentinę postremæ, in sessione 24. quòd contra divini & humani juris authoritatem rata & firma sint conjugia liberorum absque parentum consensu contracta, & diversum statuentes sub pœnâ anathematis sint damnandi; quippe quod nec religione fidei, nec vi bruti fulminis Ecclesiam ullo modo sibi habet obligatam.

Quartum denique justarum nuptiarum requisitum est, ne in iis contrahendis naturale jus & pudor, h. e. sanguinis reverentia, naturalis & civilis honestas violetur, ne scil. moribus aut legibus prohibitæ sint nuptiæ. Quarum, quæ moribus, h. e. ut Paulus JCtus interpretatur, jure gentium prohibitæ sunt, nefariæ & incestę appellantur, quasi contra fas & jus omne tam divinum, quàm humanum contractæ; quæ verò legibus, h. e. jure civili interdictæ sunt, (veluti inter tutorem & pupillā, inter senatorem & libertam) eæ inutiles, & illegitimæ nuptiæ vocantur. Nos de prioris generis impedimentis hîc tantùm agemus, quæ tria sunt potissimùm: cognatio, affinitas, & publica honestas. Ac parentum quidem cum liberis conjugia non solùm lex divina prohibet, Lev. 18. sed & ipse pudor inprimis vetat, & sanguinis quædam reverentia naturalis, quæ in brutis quoq; animalibus conspicitur, (quod camelorum exemplo comprobat Aristoteles lib. 9. animal. c. 47. equorum, Varro lib. 2. de re rusticâ,

c. 7.

c.7. Plinius lib.8.c.42. & Avicenna lib.9.de animalib.) tum & pietas illa & charitas, quæ naturâ debetur parentibus à liberis, quarũ neutra cadit in conjuges, inter quos paritas quędam est, & societas, ut vitæ totius, ita amicitiæ & benevolentiæ. Hinc & hujusmodi nuptias Justinianus lib.1.Inst.tit.10.vocat nefarias atque incestas, h.e. pietati, religioni & naturæ contrarias esse, & ab omni pudore atque honestate, sanguinísque reverentiâ alienas. Hujusmodi nefarii concubitus exemplum in sacra historia est Lothi ebrii cum duabus filiabus, apud Eurip. OEdipi cum matre Jocastâ, apud Plut. Artaxerxis, Persarum regis, cum Atossâ & Amestri filiabus.

Porrò, etsi jam à principio orbis, cœpere fratres & sorores inter se matrimonio jungi, cùm non haberent remotiorẽ propinquitatem, cum qua copularentur; unde contigit, ut Adamus unus homo simul pater, simulque socer esset; & Eva ejus uxor, similiter utrique liberorum sexui, & mater & socrus. Quia tamen sic naturâ hominum comparatum est, *ut, quod quisq; plus amat, hoc magis suum esse velit, & quidem totum suum, nec cum aliis communicari*: itaque non diu tulit natura promiscuos rerum usus. Ac propterea, quantò fuit antiquius, ut viri sorores suas cõjuges acciperent, necessitate compellente, id postea factum damnabilius est religione prohibente. Rectè igitur cùm lege divinâ, Levit.18. tum jure

civili fratrum sororumq; connubia inter se sunt prohibita, quia non tam ex latere, quàm in latere sunt; nec à latere, sed potiùs ab uno quasi capite primitus veniunt, adeoque sub uno sunt capite, & pro uno planè habentur, ratione ipsius consanguinitatis, & patrię potestatis. Cambyses sanè rex, minoris natu sororis amore captus, cupidusque ducendi illam uxorem, ne propter rei insolentiam malè audiret, (nam antehac Persæ sorores in matrimonium accipere nequaquam consueverant,) regios judices percontatus; num qua lex sit, quæ sinat volentem cum sorore contrahere matrimonium? cùm hi negarent, ullam se invenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem; quandam tamen invenire, quâ liceat Persarum Regi facere quicquid libeat; eam confestim uxorem duxit, & aliquantò pòst etiam alteram, majorem natu Atossam nomine, teste Herodoto lib 3.

Ptolomæus verò, Ægypti rex, ut sororis suæ, quam ardētissimo amore deperibat, conjugium sortiretur, passim fratrum & sororum matrimonia permisit, ut author est Alexander ab Alexandro lib.1.c.24.

Sed nec citra nefandum incestum, aut fratris aut sororis filiam, nec ullam ex posteris ejus uxorem ducere licet; ut nec amitam, nec materteram, sive ea proximioris, sive remotioris gradus fuerit, quoniam omnes in numero parentum libero-

berorúmve ſunt; quibus idcirco naturæ quâdam lege, ac præſcripto non minor debetur honor & reverentia, quàm ipſis parentibus. Hujusmodi nuptiæ lege quoq; Moſaicâ diſertè prohibentur, Levit. 18. & 20: Pudorem amitæ, itemque materteræ tuæ non revelabis, quoniam eſt propinqua ſive domeſtica carnis. Unde & ab Anaſtaſio Imperatore *ſceleſtum vocatur contubernium, & turpe conſortium*, l. ab inceſtis. C. de inceſt. nupt. quod & pœnâ adulterii puniri debere, Papinianus teſtatur in l. miles. ff. ad legem Juliam de adult. *Sed quid ſibi non licere putant Reges, ſi modò libet?* Claudius Cæſar illecebris Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi & blanditiarum occaſiones pellectus in amorem, ſubornavit proximo ſenatu, qui cenſerent cogendum ſe ad ducendum eam uxorem, quaſi Reipublicæ maximè intereſſet, dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur; ac vix uno interpoſito die confecit nuptias, teſte Suet. in ejus vita.

Sic & Heraclius Imperator, poſt obitũ primæ uxoris, Fabiæ Eudociæ, alteram duxit Martinam, fratris filiam, latâ lege, ut idem omnibus liceret, authore Cuſpin. in ejus vita.

Andronicus Comnenus, Manuelis Imperatoris patruelis, Eudociæ viduæ, (quæ & ipſa patrem habebat Andronicum, fratrem Manuelis Imperatoris) nefariâ conſuetudine palàm uſus,

quoties reprehendebatur, hanc defensionem in promptu habebat, *solere subditos Principum mores imitari, & aquã ex eodem fonte petitam, eundem referre saporem.* Quibus verbis Manuelem Imperatorem perstringebat, ut iisdem, aut etiam deterioribus, affectibus obnoxium, qui cum fratris filiâ, nepte suâ, rem habebat, cùm ipse patruelis duntaxat filiam complecteretur, ut scribit Nicetas Choniates lib. 3.

Sic & Alphonsus V. rex Portugalliæ, ejusque frater germanus Ferdinandus, infans Lusitanię, ex Pontificis dispensatione incesto sibi matrimonio junxerat duos sorores, Johannam & Leonoram suas amitas, & superiori seculo Maria Maximiliani secundi Cæsaris filia, nupsit suo avunculo Philippo, regi Hispaniæ; similiterque Maria Alberti, Ducis Bavarię, filia, nupsit suo avunculo Carolo Archiduçi Austriæ.

Porrò quę hactenus de cognatione dicta sunt, eà quoque in affinitate locum habent, ubi similiter ab eorum nuptiis omnino abstinere tam civili, quàm divino jure jubentur; qui vel sunt loco parentum ac liberorum, cujusmodi sunt socer & nurus, gener & socrus, vitricus & privigna, privignus & noverca; vel qui loco fratrum & sororum sunt, ut levir & fratria, sororius & glos; quibus & ipsius propinquitatis causâ verecundus quidem honor meritò debetur.

Et priorem quidem incestum, quem parentela

tela prohibet, Moſes ex ore Dei cum ſeveriſſimâ mortis pœnâ execratur, Lev.20. *Qui concubuerit cum uxore patris ſui (i.e. cum novercâ ſuâ) quoniam pudenda patris ſui detexit, morte moriatur. Qui item concubuerit cum nuru ſuâ, quoniam ſanguinis fecit confuſionem, morte moriatur.* Et Deuter.27. *Maledictus, qui concubuerit cum uxore patris ſui, aut cum nuru, aut cum ſocru ſuâ.* Cujusmodi ſanè maledictionem expertus eſt Ruben, poſtquam inceſtâ novercę conſuetudine ſeſe impiè & tetrè polluiſſet; quippe qui & primogenituræ jure excidit, & toti poſteritati ſuæ pœnas acceſſivit, voce patris, tanquam oraculo, ipſi his verbis denunciatas; *Effuſus es, ſicut aqua, ne creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & ejus ſtratum commaculaſti*, Geneſ.37.& 38. Unde tribus iſta numero ſemper exigua, & viribus minùs potens fuit cæteris.

Sed quid & hac in re ſibi non licere putant Reges & Principes? Antoninus Caracalla Imperator, cùm Juliam novercā impotenti amore deperiret, & illa, quaſi per imprudentiam corpus magnâ ex parte nudaſſet, pulchritudine illius allectus; *O quàm vellem*, inquit, *ſi liceret!* quibus verbis oſtendebat, ſe ejus concubitum expetere: *Tum illa, ſi libet, licet*, reſpondit; *leges dat Imperator, non accipit.* Quibus verbis audacior factus, novercam ipſam ſibi copulavit, cujus filium Getam paulò antè interfecerat, ut ſcribunt Sextus Aurel. & Ælius Spartianus.

Sic & Antiochus, Seleuci Babyloniæ & Asiæ regis filius, Stratonicen novercā solenni patris consensu duxit, conciliante eas nuptias Erasistrato medico, qui videbat eū ex amore Stratonices extremè laborare, teste Plut. in Demetrio.

Sic & Cadualdus Rex Cantuariorum, Edilberti filius, qui primus Ecclesiæ in Anglia hospitium dederat, novercam suam uxorem ducens, nuptias incestu polluit, eoq; scelere occasionem dedit suis subditis ad gentilium superstitiones redeundi, ut author est Beda lib. 2. eccles. hist. c. 5. & 6.

Sic & Archelaus, Herodis filius, Judææ rex, (ut ad illorum exempla, quorum nuptias fraternitas in affinitate impedit, progrediamur;) contempto more patrio, Mariamne uxore legitimâ repudiatâ, Glaphyram Archelai Cappadocum Regis filiam, olim Alexandri fratris sui conjugē, & duorum filiorum ex illo susceptorū matrem duxit; quamvis Judæi lege prohibebantur, fratrum uxores ducere, ut Josephus scribit libr. 17. Antiquitatum c. 15. Et hujus exemplo frater ejus germanus, Herodes Antipas, Galilææ Tetrarcha, uxore legitimâ Aretæ Regis filiâ, nō dictâ causâ, repudiatâ, Herodiadem, Philippi fratris uxorem furtim abduxit, abjectâ sanguinis reverentiâ, & Johannem Baptistam nuptias istas incestuosas improbantem, in custodiâ Macheruntinâ capite minuit. Atq; ita uterq; fratrum incestum adulterio

terio cumulavit. Neq; verò hos relevat exemplum Jacobi, magni illius Patriarchę, qui duas simul sorores, Leam & Rachelem, in matrimonio habuit, Gen.26. Ut nec illud exemplum Judę, qui mortuâ uxore, nurum suam Thamarem insciens oppressit, Gen. c.38. Quippe quos vel ignorantia excusat, aut divina aliqua revelatio de Messiâ ex horum posteritate olim nascituro; aut, si minùs excusat, admonet saltem nos de infirmitate humanæ naturæ, quæ nunquam etiam in sanctis & heroicis viris est sine vitiis. Minimè ergo horum historiæ de ducendis sororibus aut nuribus in exemplum sunt trahendæ; sed potiùs certo Dei verbo, legibusque, quas de matrimonio contrahendo magis expressas deinceps populo suo tradidit, insistendum. Cujusmodi illa quoque est de fratriâ non ducendâ, Lev.18: *Pudorem,* inquit Moses, *fratris tui non revelabis.* Et Lev.20: Qui acceperit uxorem fratris sui, rem facit abominandam, quoniam fratris sui verenda detegit. *Absq; liberis sunto,* h.e. etiamsi liberos habeant, tamen pro justis & legitimis liberis nõ habentor.

Quod & jure civili hoc modo cautum esse legitur, §. si adversis. Inst. de nuptiis. Quò etiã pertinet canon ille synodi Aurelianensis: *Frater superstes fratris defuncti torum ne ascendito:* & canon synodi Neocæsariensis sextus; *Mulier, si duobus nupserit fratribus, ad diem usq; mortis ab Ecclesia communione excluditor.*

Neque verò obstat lex illa divina, Deut. c. 25. de viduâ fratris defuncti à fratre superstite in uxorem ducendâ: *Si fratrum* (inquit Moses) *contubernalium alter mortuus fuerit sine liberis, defuncti uxor alieno ne nubito, levir cum eâ convenito, eamq; in matrimonium leviri jure ducito; quemq; ea primogeniū in lucem ediderit, in nomen fratris defuncti concedito, ne illius nomen ex populo Dei deleatur.* Etenim jus hoc singulare est, & ad solos Judæos pertinens; &, ut Augustinus loquitur, exceptio legis illius generalis, cujus peculiaris est quædam & singularis ratio, nempe familiæ primogeniorum conservatio. Quod verò contra rationem juris receptum est, quoniam jus singulare est, non est producendum ad consequentiam, l. 14. & 15. ff. de ll. Verè igitur incestum committit, qui contra legem divinam nuptias contrahit. Canonistæ quidem, qui maximam Pontifici Romano in orbe universo tribuunt potestatem; (utpote qui non hominis, sed Dei vicem gerat in terris, ac proinde ex potestatis suæ plenitudine rescribere possit contra jus non modò humanum, sed etiā divinum, ut præter alios prolixè hæc disputat Natta in consilio 33. lib. 1. & consil. 190. n. 3. lib. 2. & consil. 637. n. 10. & seqq. libr. 3.) putant, Papam in matrimoniis quoque divinâ lege prohibitis, dispensare posse, ut disertis verbis hoc decidit Johannes Andreæ JCtus in c. venerabilē, qui filii sint legitimi; quem

sequi-

ſequitur Panormitanus ibidem n.4. & Socinus junior conſilio 140. n.39.lib.2. Hinc factum,ut Emanuel, Luſitaniæ rex, Iſabellâ uxore (filia hæc fuit Ferdinandi,Catholici Regis Hiſpaniæ,) in puerperio amiſsâ, filioque Michaële biennio pòſt mortuo, Mariam Iſabellæ ſororem, impetratâ à Romano Pontifice facultate,matrimonio ſibi junxerit, teſte Oſorio libr.2. rerum Emanuelis.

Sic & Henricus Octavus, Angliæ rex, Pontificis permiſſu, in uxorem duxit Catharinam tertiam, Ferdinandi, Catholici regis Hiſpaniæ, filiam,Arthuri fratris ſui viduam, ſed quam poſtea Thomæ Volſæi, Vildonienſis Epiſcopi,inſtinctu repudiavit,ut author eſt Polydorus lib.27.

Pari modo Sigiſmundus Auguſtus, rex Poloniæ, ſucceſſivè duas duxit ſorores, Ferdinandi Cæſaris filias, Eliſabetham, & Catharinam, viduam Franciſci Gonzagæ, Ducis Mantuani, quam tamen poſtmodò ob ſterilitatem repudiavit. Et noſtrâ ætate Sigiſmundus Suecus,Poloniæ rex, Annæ,Caroli Archiducis Auſtriæ filiæ, repudiatæ, ex Pontificis diſpenſatione ſororem ejus ſuperinduxit. Sed profectò tanta Papæ authoritas non eſt, ut contra jus divinum aut naturale, quod ſemper firmum atque immutabile eſt, aliquid ſtatuere aut diſponere queat. Ac proinde nec in gradibus divinâ lege prohibitis, diſpenſare poteſt, ne inceſtus aliquod crimen

committatur. Quoniam enim ipse quoq; homo est, & peccato non caret, utique nec peccandi habet authoritatem; & si hanc dat alteri, nullo modo excusabitur. Tantum ergo abest, ut sit supra legem divinam, ut vel ad animam usque & sanguinem hanc defendere, séque totum ad voluntatem domini sui, cujus se legatum & vicarium profitetur, accommodare teneatur.

Cæterùm etsi nec consobrinorum, nec patruelium, nec amitinorum, multóque minùs sobrinorum nuptiæ lege divinâ prohibitæ, sed jure quoque civili expressè concessæ sunt, §. duorum. Instit. de nuptiis. & l. 3. ff. de rit. nupt. utpote qui non sunt οἰκεῖοι σαρκὸς, h. e. propinqui, & quasi domestici carnis, vel suprà, vel infrà, vel juxtà; ac proinde nec parentelæ, nec fraternitatis necessitudine inter se sunt conjuncti, sed in pari gradu constituti: (unde quoque nuptiæ istæ Jacobi & Leæ, Axæ & Othonielis, Tobiæ & Saræ in sacra historia, itemq; Marci Antonini philosophi Cæsaris, & Anniæ Faustinæ, quarum Capitolinus meminit, similiterque Juliani Cæsaris, & Helenę Constantini Magni filiæ, minimè dicendæ sunt illicitæ, nedum incestæ aut nefariæ.) Quo eodem modo nuptiæ quoque inter comprivignos, quos ἀλληλοπριγόνους Græci nominant, etiam liberis ex suorum parentum matrimonio natis, jure contrahuntur, §. mariti. Inst. de nupt. & l. 34. §. 2. ff. de rit. nupt. jure tamen Pontificio & Canonico,

nonico, quod graduum tantùm numerum in matrimonio ſpectat; non autem cognationem ipſam, aut ſanguinis propinquitatem; ac imò potiùs ex conſtitutione eccleſiaſticâ, publicæ honeſtatis in conjunctionibus vel maximam habente rationem, ut & ipſius propagandæ inter homines charitatis; nuptiæ iſtiusmodi neutiquam conſiſtere poſſunt. Hinc rectè divus Auguſtinus libr. 15. de civitate Dei c. 16: Charitatis, inquit, habita eſt ratio rectiſſima, ut homines, quibus eſſet cordi utilis & honeſta concordia, diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur; nec unus in una multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulas, atque ita ad ſocialem vitam diligentiùs colligandam, plurimi plurimos obtinerent. Huc accedit & illud, quòd hæc ipſa prohibitio juris Pontificii quaſi vallum quoddam eſt, atque ſeptum legis illius naturalis & divinæ; quò majore curâ ac religione ea obſervetur, & hoc pacto omnis vitetur inceſta & nefaria commiſtio. Atque hanc ego puto præcipuam eſſe cauſam, cur jus hoc Pontificium paſſim in omnibus ferè Rebuspublicis tam ſanctè & diligenter obſervetur, & partim moribus communibus, partim quoque legibus tam provincialibus, quàm municipalibus ſit comprobatum; cùm, ſecundùm regulam Pauli Apoſtoli ad Rom. c. 1. v. 31. *non ſolùm ejus quod licet, ſed etiam ejus quod expedit, potiſſimùm habenda ſit ratio.*

Et in his ſolis gradibus lege non divinâ, ſed humanâ prohibitis, dispenſandi facultatem habet Pontifex Romanus. Hinc apud Guicciardinum lib.2. & Bembum lib.3.hiſt.legimus; Ferdinandum II. Arragonium, regem Neapolitanum, recuperato regno, ut res ſuas arctiore cum Hiſpaniæ Rege Ferdinando vinculo ſtabiliret, impetratâ ab Alexandro VI. Pontifice veniâ, uxorem duxiſſe amitinam, (rectiùs patruelem) Johannam, patrui ſui Johannis ſecundi, Regis Navarræ & Arragoniæ filiam. Eódem modo hujus pater Alphonſus ſapiens, Rex Arragoniæ & Neapolis, ejusque frater Henricus, Galleriæ gubernator, patrueles ſuas duxêre duas ſorores, Mariam & Catharinam, Henrici Legionis & Caſtellę Regis filias. Hujusmodi matrimonium quoque fuit noſtræ ætatis Maximiliani ſecundi Imperatoris, & Mariæ, Caroli V. Cæſaris filiæ. Neque verò ſolus Pontifex Romanus, ſed & Reges ac Principes, aliique magiſtratus in matrimoniis humanâ authoritate ſancitis, liberè & licitè aliquid ſtatuere aut relaxare poſſunt; (quicquid enim juris habet Pontifex in orbe Romano, hoc Epiſcopus in ſuâ diœceſi habet; & quod Imperator in Romano poteſt Imperio, hoc Rex aut Princeps, aliúsve magiſtratus in ſuo poteſt regno, aut Principatu, aut Repub.) Et quod ad ſobrinorum nuptias attinet, expreſsè eas concedit jus Saxonicum, etiam ſine causâ cognitâ,

ut nova

ut nova Mauritii Electoris hac de re publicata constitutio ſatis hoc declarat. Sed tamen longè foret conſultiſſimũ, ſi ab ejusmodi nuptiis planè abstineant ipſi ſobrini, quàm ſi temere aliquid contra jus committant, in fraudem non modò ſuam, ſed etiam ipſius magiſtratus; *cùm, quæ contra leges & bonos mores fiunt, nec nos facere poſſe, credendum ſit*, l. ult. ff. de cond. inſtit.

Supereſt tertium impedimentum, publica nimirum honeſtas, i. e. propinquitas quædam & neceſſitudo ex ſponſalibus contracta, quæ affinitatis quandã rationem habere videtur. Quanquam enim propriè non contrahitur affinitas per ſponſalia, ſed per nuptias duntaxat; civilis tamen ex his quædam oritur honeſtas, quæ & ipſa impedimẽto eſſe ſolet nuptiis ob animi deſtinationẽ, & vim mutui conſenſus, qui facit nuptias. Semper autem in conjunctionibus non ſolùm quod licet, ſed & quod honeſtum eſt, conſiderandum eſt. Quo fit, ut nec ſponſam filii, quæ propriè nurus non eſt, uxorem ducere liceat; nec ſponſam patris, quæ noverca propriè non dicitur; imò nec defuncti fratris ſponſam, quæ poſt ejus mortem virgo manſit, idque ex conſtitutione Zenonis Imperatoris. Quemadmodum nec uxorem quondam privigni matrimonio conjungi vitrico oportet, nec novercam matrimonio ejus, qui privignæ maritus fuit, ſed nec matrem ejus, quæ aliquando ſponſa fuit; ut-

pote quæ quasi socrus est, ut Paulus Jurisconsultus vult.

Postremò ad matrimonii quoque honestatem pertinent sponsalia, quæ nuptias semper antecedunt, *quæ* secundùm Florentinum *sunt mentio ac repromissio nuptiarum futurarum*, ad quæ constituenda, teste Ulpiano, nudus consensus sufficit. Quocirca sicut nuptiis, ita sponsalibus filiumfamiliâs consentire oportet; utpote quo dissentiente sponsalia nomine ejus fieri non possunt. Etsi autem patris voluntati, si non repugnet, consentire intelligitur, eodem teste Ulpiano; hunc tamen consensum liberum ac plenum esse præstat, h. e. sine metu vel errore, & sine ullâ vi, aut perturbatione animi contractum. Neque enim locum ullum consensus habet, ubi vis aut metus intercedit; *quoniam nihil consensui tam contrarium est, quàm vis & metus, quem comprobare, contra bonos mores est.* Quò fit, ut matrimonium per vim ac metum contractum, ipso jure sit nullum; sed nec errore contractum matrimonium semper valet, *quoniam*, secundùm Ulpianum, *non videtur is, qui errat, consentire.* Ubi verò non est consensus, nec conjugium est. Planè enim, si quis in virginem consensit, quæ corrupta est aut vitiata; utique error ejuscemodi vitiat matrimonium, modò ex certis rerum argumentis atque signis constet, eam ab alio fuisse compressam aut corruptam. Semper enim in contractu matrimo-

trimo-

trimonii tacita intelligitur illa conditio, ſi res in eo, in quo nunc exiſtit, perduret ſtatu; ſalvâ nimirum pudicitiâ & caſtitate virginali aut conjugali. Idem obtinet, ſi alio modo conſenſus impeditus fuerit vel per temulentiam, vel per luxuriam; quippe qui hoc modo contraxit, non magis ac is, qui errat, conſentire videtur. Cæterùm in ſponſalibus & hoc requiritur, ut palàm, & in conventu hominum, & inprimis parentum atque propinquorum vel affinium ſponſalia contrahantur. Utique enim, quæ remotis arbitris, furtim & clàm facta ſunt ſponſalia, fraudis & doli præſumptionem pariunt, & malos atque difficiles plerunque exitus habere ſolent, ejusmodi clandeſtina matrimonia, quæ idcirco quoq; Canonibus prohibita ſunt; utpote quæ ſtupri aut adulterii, aut ſaltem contubernii appellationem merentur.

FLOS II.

Vir & uxor, una caro.

DEus Adamo protoplaſto confeſtim Evam ad ipſius hominis exemplar confictam, matrimonio copulavit, ut duo inter ſe permiſti ſexus propagare ſobolem poſſent, & ex duorum corporum complexu omnis terra multitudine oppleri. Rectè igitur inter duos tantùm, marem

& fœminam, constat matrimonium, quemadmodũ & ipse Adam velut vaticinans ait; *Futuros duos unum hominem.* Quibus verbis Deus addit: *Quocirca profectò jam conjuges non ampliùs duo sunt, sed unus homo:* ut appareat, non trium aut quatuor esse conjugium, sed duorum. Hanc divinam ordinationem ante diluvium primus violasse legitur Lamech, qui duas simul habuit in matrimonio fœminas, Gen. cap. 4. cujus postea complures non solùm ex gentilibus extiterunt imitatores, sed & nonnulli ex patriarchis, qui διγαμίαν & πολυγαμίαν offendiculo carere, & politicum tantùm esse morẽ, existimarunt. *Sic ergo, quemadmodum fluminum impetus secum abripiunt navigantes; ita errores temporum trahunt homines, quominùs improbent præsentia.* Chrysostomus homil. 55. in Gen. scribit; tum quia principia erant, permissum fuisse cum duabus, vel tribus, vel plurimis uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur, & pietas incrementum acciperet; sed multò rectiùs dicimus, Deum in populo quoque suo duræ cervicis digamiam & polygamiã tolerasse, ad cavenda majora mala. Quem in modum & ipse Servator de divortio à Judæis interrogatus, respondit; illud propter duritiem cordis ipsis fuisse permissum, ab initio verò non ita fuisse, Matth. 19. Quoniam ergo duos tantùm ab initio conjunxit Deus, nec plures postea esse voluit in carne unâ; ideo nec hunc

numerum

numerum transgredi sanctis patribus licuit; ac proinde rectè primam istam conjugii institutionem atque legem Christus in usum revocavit, ne διγαμοι & πολύγαμοι sanctâ Dei ordinatione ad suam nequitiam perfidè abuterentur, fidemque priorib. conjugibus datã fallerent; aut etiam, ne tam manifesta adulteria cõmitterentur, ut nihil interim dicamus de invidentiâ, simultate & odio, quæ ex rivalitate oriri solent, quando aliquam in partem magis inclinat favor à multis expetitus. Nam, secundùm poëtam,

Impatiens socii est omnis amor.

Non itaque magis propriè & familiariter amare potest vir conjugem suam, nisi quam scit suam esse sine rivali, cum quâ sibi arctissimè conjunctissiméque vivendum est.

Porrò *amicum* Aristoteles ex sententiâ Pythagoræorum definit, *esse cuiq; alterum ipsum, conjugem verò Deus definivit esse cuiq; eundẽ ipsum.* Et Adam, adductâ ad se post primum illum dulcissimum soporem Evâ, conjuge futurâ & sociâ totius vitæ; *Ecce*, inquit, *os ex ossibus meis, & caro de carne meâ. Propter hoc relinquet homo matrem & patrem, & adhærebit uxori, & erunt duo homo unus.* Quæ omnia satis apertè declarant, quæ sit amoris lex in conjugio; nempe hunc amorem omnes reliquas charitates superare oportere, etiam illas, quibus à naturâ sunt filii parentibus conciliati, quas oportet esse maximas,

eumq; oportere esse tantum, ut unũ fiat cum r
illâ charâ, cum quâ conjungitur, quod amicitia
proprium esse debet. Quocirca præclarè Apo-
stolus ad Eph.5. *qui uxorem*, ait, *diligit, seipsum*
ligit. Nemo n. unquam carnem suam odit, sed ean
nutrit atq; fovet, quemadmodum Christus Eccle-
siam. Christi autem charitas erga Ecclesiam, es
immensa & incredibilis; quippe pro quâ cruci af-
fixus & mortuus est. Igitur & suam charitatem
vir erga uxorẽ declaret, quoad ejus fieri potest
maximam; quæ ipsâ quoque vitâ & salute pro-
priâ charior esse debet. Uxor enim est jam u-
num cum ipso; itaque ut seipsum amet, illa es
amanda.

Singulari certè memoriâ dignus est amor
quem Dominicus Cattalusius, qui Lesbii rerum
fuit potitus, erga uxorem ostendit, ut author es
Fulgosus lib.4.c.6. Hæc cùm in lepram incidis-
set, vir minimè veritus à contagione se infic
posse, aut aspectus horrore averti; (etenim illu
vies magis, quàm vivum corpus videri poterat,
neque tetro odore, quem ulcera mittebant, nun
quam aut mensâ, aut lecto communi eam pro
hibuit. Conjugalis enim charitas apud eum
contagionis timorem, tetrumque conspectum
odoremque in securitatem ac voluptatem ver
terat, quòd eam juxta Dei verbum eandem car-
nem secum esse arbitrabatur.

Simile amoris conjugalis in maritum exem-
plum

plum ex actis Hispaniæ Rhoderici Toletani Archiepiscopi, refert Ludovicus Vives libr.2. de Christiana fœmina, in Comitissa quadã Castulonensis Hispaniç, quæ Roberto Britanniæ Regi nupta, cùm maritus in expeditione adversus Syros vulnus in brachio accepisset gravissimum, gladio venenato, rediissetque in patriam, nec sanitati reddi posset, nisi pus illud virulentum alicujus ore exsugeretur; Rex verò certissimum illi parari exitium intelligens, quicunq; id muneris obiisset, neminem ejusmodi discrimini subjicere sustineret, ipsa noctu solutis vulneris fasçiis, primùm inscio marito, pòst etiam connivente exsugens, paulatimq; expuens, venenum omne elicuit, plagamq; medicis præbuit facillimè curandam.

Usque adeò amor mutuus, quicquid in conjugio occurrit amaroris, tollit, aut certè lenit, maximumque in conjugio solatium & levamen inde oritur, si maritus uxoris, & uxor mariti adversitates doloresque pro suis habeat.

Fidei amorisque conjugalis aliam historiam ibidem recenset Vives de uxore Ferdinandi Consalvi Castellæ Comitis, quem cùm Rex Germanicæ Legionis (urbs est hæc in Hispania Asturiensi,) in custodiâ teneret, ipsa velut visendi gratiâ ad carcerem veniens, marito persuasit, ut cultu secum commutato se subduceret, ipsamq; ibi in casũ periculi relinqueret. Quo facto, Rex admi-

ratus egregiam mulieris pietatem, precatus tales sibi suisq; liberis conjuges, illam marito remisit.

Sic & Vitoudus, Litvaniæ Dux, à Gajellone patruele, per colloquii speciem unà cum patre Keustulo captus; hoc in carcere necato, simili uxoris suę dolo liberatus est, (*anno C.1382.*) teste Cromero lib.14. Cùm enim illa liberam haberet ad maritum Vilnæ captum commeandi potestatem; nocte quâdam, commutato cum unâ ex duabus pedissequis habitu, veste muliebri indutum eduxit; qui emissus in Mazoviam, ad Johannem Ducem suum affinem, indeque in Borussiam ad Crucigeros confugit. Non minorem mariti sui Davidis conservati laudem olim meruit Michal, Sauli regis filia, quem immissis speculatoribus regiis, per fenestram demisit, & ingenio muliebri milites delusit, 1. Reg.19.

Sic & Augusto Cæsare Imperium Romanum administrante, cùm ad ulciscendam Julii mortem multi proscriptorum in urbe trucidarentur, Danysia matrona nobilis Titum Juniũ maritum suum proscriptũ in arcam conjecit, eumq; apud Philopœmenem Romanum deposuit, ut quæsitus in propriis ędibus, nec inventus, incolumis in tantâ hominum crudelitate evaderet, ut author est Xiphilinus in Augusto.

Pari modo Quintiũ Lucretium à Triumviris proscriptum uxor Thuria inter cameram & lectum cubiculi abditum, unâ consciâ ancillâ, ab

immi-

imminente exitio non ſine magno periculo ſuo tutum præſtitit, ſingularique fide egit, ut,cùm cæteri proſcripti in alienis & hoſtilibus regionibus per ſummos corporis atq; animi cruciatus vix evaderent,ille in cubiculo & in conjugis ſinu ſalutem retineret,ut ſcribit Valer.Max.lib.6.c.7.

Et quis verò non ſummâ laude extollat ſingulare illud mutui amoris fideique conjugalis exemplum matronarum Winsbergenſium apud Abbatem Urſbergenſem,Gothefridum Viterbienſem,& Æmilium lib.7. Contra Guelphonem nimirum Bavariæ Ducem,tyrannidem affectantem,bellum gerens Conradus III. Rex Romanorum,(*a.C.1027.*) Winsbergo Sueviæ oppido obſeſſo, inq; deditionem accepto,ex gratiâ matronis conceſſit,ut quæcunque humeris portare poſſent,efferrent; illę, neglectâ ſupellectile,maritos ſuos ſingulæ humeris extulerunt. Quas contra pacta facere, Friderico Conradi fratre dictitante, nec dolo dandam veniam, Imperator & prudentiâ & pietate illarum collaudatâ,incolumes cum ſuis abire juſſit. Hoc facinore ita oblectatus fertur Laurentius Medices , Princeps Florentinus, ut ex ejus lectione à morbo graviſſimo convaluerit, teſte Bodino in methodi hiſtoricæ procemio. Simili aſtu Cremonenſium mulieres uſæ perhibentur, cùm oppugnati à Friderico Barbaroſsâ Imperatore ob rebellionem hac conditione in gratiam recepti fuerunt , ut non

plura secum bona efferrent, quàm possent humeris aut manibus gestare; quæ relictis bonis, conjuges, filios, parentes, cognatos, cùm ægrotos, tum sanos exportarunt, ut author est Hedio in Chronica Germaniæ. Quin etiam eo bello, quod Suevi confœderati contra Helvetios Maximiliani primi auspiciis gessêre, cùm Helvetii, Lumenfeldo oppido in potestatē redacto, vitam obsessis essent pacti, & quantum singuli humeris efferre possent; uxor Rosenecciii oppido præfecti, cùm sciret eum maximè peti, in humeris elatum extulit, ut scribit Urstisius lib. 6. historiæ Basiliensis c. 20. Nimirum quantò ardentiùs conjuges se mutuò diligunt, tantò promptiores sunt ad benevolentiæ officia sibi mutuò præstanda, & in fide conjugali servanda constantiores.

Memoratu quoque dignum est illud mutui amoris, qui verè quasi vinculum est & glutinum matrimonii, utpote cujus vi conjugum animi arctissimè conglutinantur, & in unum consociantur, exemplum, quod ex Luitbrandi lib. 4. c. 4. refert Albertus Crantzius lib. 3. c. 9. metropoleos. Theobaldus Camerinorum Princeps, cùm Beneventanis suppetias mitteret, Græcis fugatis, quotquot illorum cepit, eviratos remittebat, addens ignominię risum: *Quandoquidem* (inquiens) *Imperator vester Constantinus eunuchis gaudet, quotquot emiserit Gallos, capos remittam.* Erat autem in castris mulier, quæ virum captum

seque-

ſequebatur magnis ejulatibus. Principe, quid peteret, quærente, tum illa fidentiùs; quid eſt, inquit, quòd viri fortiſſimi bellum fœminis indixerint? quid in nos deliquit ſexus infirmior? Ad quam Camerinus: Et quis malum fœminis, niſi Amazonibus, bellum inferat? Tum mulier; quando, inquit, ideo pugnatis, ut victos emaſculetis, non cum aliis, quàm cum fœminis bellum geritis. Omnis ſubſtantia, & quicquid undecunque poſſident, auferatur, dummodo viros relinquatis, ut habeant, unde conſolationem accipiant fœminæ. Hac verò parte deuncatos ſi remittitis, non viros, ſed fœminas ſpoliatis. Hæc dicacis fœminæ libertas promeruit, ut virum cum omni prædâ reciperet. Hinc Camerinus ad mulierem converſus: Quid ergo vis, inquit, ut faciam viro tuo, ſi poſthac contra me pugnans capiatur? Et illa: Oculos & aures cũ naſo amittat, modò vir adhæreſcat. Tantæ ipſi curæ fuit mariti ſanitas, à cujus ceu principis familiæ ſalute ſuam ſuorumq; ſalutem pendere, & quo, ceu fundamento domus collapſo, ipſam domum ad ruinam vergere, rectè judicavit. Sed nec earum mulierum deſunt exempla, quæ, etſi feliciter in patria apud parentes ſuos degere poterant, tamen ſuis maritis comites exilii maluerunt eſſe, nec recuſarunt ſeipſas proſcribi, ut eis fides ſua in conjuge conſtaret. Talis fuit Chilonis Cleombroti, regis Spartani uxor, Leonidæ filia, apud

Plut. Talis & Cleomenis itidem Spartani regis uxor, quæ, etsi à parentibus prohibita magno studio servabatur, ingenti tamen astu adinvento, equo ad mare noctu se contulit; ubi incognita, nave conscensâ, ad maritum in Ægyptum pervenit, eodem teste Plutarch. in Cleomene.

Sic & Sulpitia, quamvis à matre Juliâ diligentissimè custodiretur, ne Lentulū Crustellionem, virum suum à Triumviris proscriptum, in Siciliam prosequeretur, nihilominus familiari veste sumptâ, cum duabus ancillis totidemque servis ad eum clandestinâ fugâ pervenit, ut idem scribit Plut. in Dione. Ad eundem modum Antonia Flacilla, & Egnatia Maximilla maritos suos Nonium Priscum & Glitionem Gallum, ob Pisonianam conjurationem damnatos, in exilium comitatæ leguntur apud Fulgosum lib. 6. c. 7.

Sic & superiori seculo, post Gothanum bellum, Johannem Fridericum secundum, Ducem Saxoniæ, in exilium ultrò comitata est conjux Elisabeth, Comitissa Palatina apud Rhenum.

Honesta nimirum & proba uxor marito non tantùm in rebus secundis adesse debet, omniaq; ei benevolentiæ ac humanitatis officia atque obsequia præstare; sed vel maximè in rebus adversis, ut partim amicâ suâ conversatione, malorum illi levamen atque solatium afferat; partim omnem contemptus suspicionem, quæ in calamitosos homines facillimè cadit, ipsi præcidat

atque adimat; partim denique suæ quoque virtutis laudem atque gloriam, cùm apud ipsum maritum, tum apud alios consequatur. Rerum enim secundarum socias facilè est invenire, adversas verò res mulieres præter paucissimas & optimas participare non volunt.

Sic & Hypsicratea regina Mithridatem suum conjugem adeò effusis charitatis habenis amavit, ut propter eum præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem cõvertere, voluptatis loco habuerit; utpote quæ, tonsis capillis, equis & armis se assuefecit, quò faciliùs laboribus & periculis ejus interesset. Quin etiam victum à Cneo Pompejo, per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est, ut ex Plutarchi Pompejo refert Val. Max. libr. 4. c. 6. ubi addit; *tantam ejus fidem in asperis atque difficilibus rebus Mithridati maximum fuisse solatium, & jucundissimum lenimentum*; quippe qui cùm domo & penatibus vagari se crediderit, uxore simul exulante. Hujus exemplum imitata Triaria L. Vitellii conjux civili bello, quod adversus Vespasianum Vitelliani gesserunt, virum secuta armata, eâ nocte, quâ vir Terracinam magno militum numero egressus est, ipsâ inter strictos gladios audendo agendoque, dum hinc illinc manu suâ hostes obtruncat, nulli se commilitonum virtute inferiorem ostendit; *adeò audaci animo muliebre pectus maritalis amoris*

flammam repleverat, ut Plinius scribit lib. 9. epistola ad Quadratum lib. 7. ad Genitorem, ubi Arriam quoq; & Fanniam ob similem fidem conjugalem miris effert laudibus. Sic & agricola ille Lentiscolensis in regno Neapolitano, cùm juxta mare agrum coleret, uxorque ab eo aliquantisper disjuncta à piratis Mauris, qui in littus piraticum ascenderant, capta esset; statim ut uxorem non apparere, triremémque piraticā haud longè ancoras jecisse animadvertit; arbitratus id quod erat, in ea uxorem esse, ad triremem ilicò adnatavit, ejusq; gubernatore vocato dixit, se idcircò venisse, quòd sequi uxorem statueret; minimè barbarie istâ territus, nationis fideiq; Christianæ inimicâ, neque ingenti miseriâ, cui religio addit laborem, omnium horum immemorem conjugalis eum amor fecerat. Quam rem cùm Mauri non sine ingenti admiratione audivissent, (permultos enim ejus regionis accolas viderant priùs perpeti mortem, quàm illam miseriam malle;) atque eam postea Tunetensi regi narrassent, tantâ hominis charitate motus Rex, virū & uxorem liberos esse jussit, virumque inter regiæ custodiæ milites cooptavit, ut author est Fulgosus lib. 4. c. 6. Nempe ad concordiam inter conjuges magnam vim habet, si in rebus tam prosperis, quàm adversis unus alteri fideliter adsit, & tam læta, quàm tristia, tam dulcia, quàm amara communia habeant.

Porrò

Porrò ad amorem & concordiam conjugalem conſervandam maximè quoque conducit uxoris patientia, quæ quò major fuerit in tolerandâ viri moroſitate & difficultate, eò majorem ab ipſo inibit gratiam, ubi perturbatione abjectâ ad mentis ſanitatem redierit, uxoriſque ſuæ virtutem perſpexerit. Planè enim, ut nautæ tempeſtatibus & fluctibus procelloſis non renituntur, ſed ad vada tendunt, patientiæ ancoram in tuto figentes, donec maris æſtus prætereat & ſævire Neptunus, flare Æolus, & fulminare Jupiter deſinat; ita quoque uxor mariti affectibus, & importunis atque aſperis moribus reniti non debet, ſed iis prudenter cedere: ſic fiet, ut ſicut ſol radiis ſuis luculentis nebulas & nubeculas diſſipat, aêremque turbulentum efficit ſerenum; ita ipſa patientiâ ſuâ cum humanitate & comitate temperatâ, mariti iracundiam, moroſitatem & difficultatem disjiciat atque propulſet. Exemplo ſit Abigail, uxor Nabalis Carmelitæ, quæ viri moroſi & ebrii injurias atque ſtultitiam perpetuâ tulit modeſtiâ & prudentiâ, eumq; cum familiâ omni è manibus Davidis, præſentique vitæ discrimine, ſuo eripuit ingenio & beneficentiâ, 1. Regum 25. Poſtremò, quia ſunt quaſi una caro, hoc eſt, una perſona; ideo ſe quoque mutuò honorare debent per pudoris & reverentiæ exhibitionem. *Debet namque conjugium non tantùm amoris, ſed etiam pudoris*

& reverentiæ esse speculum, nec quicquam magis conjuges decet, quàm sancta & castissima cohabitatio. Inprimis verò castæ & pudicæ mulieris maximus est honor, si videat maritum suum ea, quæ ad pudorem pertinent, sibi servare, nec ullam mulierē magis, quàm seipsam curare, seque ipsam præ omnibus aliis fœminis sibi propriam & fidelem existimare, ut Aristoteles docet lib. 1. OEconomicæ. Sic & secundùm Dionem in OEconomicis; *Prima virtus uxoris est castitas.* Et secundùm Plautum in Amphi. *Dos pulcherrima, vita pudica.* Exemplo sit Penelope apud Homerum in Odyss. quæ tanto amore Ulyssem maritum est prosecuta, ut eo absente per annos 20. castitatem servaverit impollutam, nullisque procorum blandimentis succubuerit. Memorabile quoque est Tigranis exemplum, Regis Armenii filii apud Xenophontem in παιδείᾳ. Hic, cùm in Cyri, Persarum Regis, esset potestate & ipse & uxor, vitâ se redempturum professus est, ne uxor serviret. Illa paulò pòst, cùm Cyrus laudaretur, & ex eâ quæreretur, ecquid ei Cyrus esset visus? sibi verò Cyrum negavit aspectum. A quâ cùm maritus ipsius percontaretur, quid ergo spectasti, si illum non es intuita? Quem, inquit illa, alium, quàm illum, qui vitâ suâ redempturum se confirmavit, ne ego servirem? ita mariti ardor uxorem accenderat. Hinc rectè à Marsilio cap. 8. in convivium Plat. de amore scriptum; quòd

quòd, qui amat, figuram, imaginem & faciem ejus, quem amat, ſuo imprimat atque inſculpat animo, atque ita amantis animus fiat tanquam ſpeculum quoddã, in quo amati reluceat imago. Quocirca *cùm in amante amatus ſe cognoſcat*, amare illum compellitur, ſummoque deſiderio illi penitus inhærere, in quo ſe quaſi habitare intelligit, non aliter ac infantes ſuas imagines in ſpeculis deoſculantur. Qui ergo à ſuis conjugibus amari volunt, (quæ maxima eſt in matrimonio & præcipua voluptas,) eas ipſi viciſſim ament. Hoc illud eſt amatorium ſine medicamento, ſine herbâ, ſine ullius veneficæ carmine; *Si vis amari, ama*, ut eſt apud Sen. ep. 9.

FLOS III.

Uxor ſub viri eſto poteſtate; hic illi dominator: *Geneſ. 3.*

EVa prima parens, cùm à ſerpente perſuaſa, arboris vetitę fructum guſtaſſet, & quod exitialius fuit, Adamum culpæ participem ſuo feciſſet conſilio; præter mortem & alia mala innumera, dolores quoq; pariendi, & ſervitutem ſibi attraxit, & viri deinceps ſubeſſe poteſtati juſſa eſt. Hinc & Ambroſius lib. 5. in Gen. c. 7. Adam per Evam deceptus eſt, non Eva per Adamum; ideoq; quem vocavit ad culpam mulier, juſtum

est, ut eum gubernatorem assumat, ne iterum fœmineâ facilitate labatur. Ideo quoque fœminæ, dum maritantur, velantur; ut norint, se semper maritis suis esse subditas & humiles, ut Isidorus scribit lib.2. de off. cap.19. Quod idem Apostolus quoq; à mulieribus requirit in 1. Corinth.11. ut nimirum caput habeant velamine tectum propter angelos; utpote quæ conditæ sint propter viros, non autem hi propter illas; alioquin fore, ut nudato capite illæ orantes, aut vaticinantes, caput suum dehonestent, quemadmodum econtrà viri eâdem operâ velato capite perficientes, ignominiâ illud afficiunt; virum igitur non debere velare caput, quia imago est & gloria Dei, mulier verò gloria viri: hoc est, vir ideo conditus est, ut in ejus dominio gloria Dei eluceat; fœmina verò, ut in ejus subjectione viri gloria emineat. Et ad Eph.5. Mulieres subjectæ sint suis viris, tanquam domino; quia vir caput est mulieris, quemadmodum Christus caput Ecclesiæ. Hinc rectè argumentatur D. Hieronymus in c.2 epistolæ ad Tit. ita scribens; Cùm caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus: quæcunque uxor non subjicitur viro suo, h.e. capiti suo, ejusdem criminis rea est; cujus & vir, si non subjiciatur Christo capiti suo. Verbum autem Dei blasphematur, vel dum contemnitur, & pro nihilo ducitur prima illa Dei sententia, vel dum Christi infamatur Evangelium, dum

contra

contra legem fidemque naturæ ea, quæ Christiana est, & ex lege Dei subjecta viro, imperare desiderat; cùm etiam gentiles fœminæ viris suis serviant communi lege naturæ.

Livia Cæsaris Augusti uxor, cùm à quodam interrogaretur, quomodo Augustum obtinuisset? respondit: Diligenter & prudenter agens summum studium adhibui, ut omnia facerem ex animo Augusti; nec curiosè perquisivi quicquam eorum, quæ faceret, teste Cuspiniano in Cæsaribus. Andromachen quoque Hectoris conjugem memoriæ proditum est (ut Ludovicus Vives scribit de Christianâ fœminâ libr. 2.) ipsam suis manibus fœnum & avenam Hectoris equis præbuisse, quòd maritus illis delectaretur, & in bellorũ usum accuratissimè ac indulgenter aleret. Utique nimirum, juxta Philemonis illud apud Stobæum in præcept. connubialibus, *bona uxoris est, non imperare viro, sed obedire.*

Hinc non immeritò Vasthi, Persarum regina, Ahasvero Regi marito obedire recusans, toro atque sceptro regio exuta legitur, Estheræ cap. 1. ut hoc exemplo monitæ tam majorum, quàm minorum uxores, maritis suis deferre honorem discerent. Præclarum pręconiũ Sara sanctissima matrona à Spiritu S. meruit, quòd Abrahamo marito suo obedierit, eũq; dominũ suum appellarit, Gen. c. 18. & in 1 Pet. 3. Sic & Bathseba Davidem suum maritum, dominum, seque ejus

ancillam profitetur, 3.Reg.1. In venerabili & immaculato conjugio (ut de ratione rectè vivendi ad Celantiam matronam scribit Nolanus Episcopus) apostolicæ regulæ ordo teneatur, & inprimis viro sua servetur authoritas, tantumq; à te discat onus, quantum illi honoris debeas; tu dominum illum obsequio tuo, tu magnum illum tuâ humilitate demonstra; *tantò ipsa honoratior futura, quantò illum ampliùs honoraveris.* Caput n. ut inquit Apostolus, mulieris est vir, nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate. Et, ut Bodinus scribit lib.1.de Rep.c.3. quemadmodum à sole luna, & reliqua sidera lumen ac splendorem sumunt; ita honores ac dignitates uxorum maximâ ex parte à virorum honore ac dignitate dependent. Probè intellexit hoc uxor Maximiliani Primi Cæsaris, Maria, teste Ludovico Vive de Christianâ fœminâ libr.2. Etenim cùm ei Gallia Belgica patris Caroli Burgundi hæreditate obvenisset, & subditi, Maximiliano contempto, ad Mariam, tanquam Principem, de rebus omnibus ditionis referrent; nihil illa pro potestate unquam statuit inconsulto viro, cujus voluntatem semper pro lege habuit, & poterat absque malâ viri gratiâ omnia administrare sola pro arbitrio, nihil non permittente Maximiliano.

Quemadmodum igitur matronæ istæ, quæ se ultrò maritis subjecerunt, passim in historiis

meritò

meritò commendantur; ita è diverso omnium acerrimam reprehensionem merentur fœminæ, quę fidei, tempore nuptiarum in conspectu Deitatis promissæ, immemores, virorum imperium non detrectant tantùm, sed & eò progrediuntur temeritatis, ut contra naturæ legem maritis imperitare contendant. Nec minùs ipsi viri omnium se ludibrio & contemptui exponunt, qui tantâ sunt ignaviâ, ut à fœminis gubernari necesse habeant; aut qui in domo suâ ferentes γυναικοκρατείαν uxoribus suis subesse coguntur. In quos effœminatos viros non ineptè semivirorum appellatio congruit; & ut appellatione muliebri salutentur: cujusmodi est Virgilii illa Æneid. 9.

O verè Phrygiæ, neq; enim Phryges.

Et profectò, juxta Democriti illud apud Stob. serm. 72. *mulieris imperio subjectum esse, extremum est viro dedecus*: quemadmodum Hercules servivit Omphalæ, & Ninus imperium dedit Semiramidi, Antonius Cleopatræ. Idcirco Olorus, Thraciæ Rex, ut est apud Justin. libr. 32. Dacos ab hostibus paternis victos, ad sempiternam ignominiam & contumeliã sub mulierum imperium damnavit. Hæc ipsa γυναικοκρατεία summa servitus est, summaque miseria; ipsumq; conjugium, in quo uxor maritum aspernatur, calamitosum & infelix plenum est dissidiorum atque contentionum, quibus totius domus re-

gimen atque salus labefactatur & convellitur; quod & Siracides in suo monet Ecclesiast. cap. 25. *Mulier*, inquiens, *quæ primatum obtinet, semper viro contraria est.*

Cleopatra, Ægypti Regina, amoribus pellectum M Antonium, ut Augusto rebellaret, effecit; quem postea ad Actium navali prælio victum deseruit, & se sequi, exercitu relicto, amore dementem coëgit, ut Josephus scribit lib. 2. contra Appionem.

Herodes Antipas, Magni filius, uxori Herodiadi plus justo obtemperans, in exilium à Claudio Imperatore est pulsus: Joramus verò, Judæorum rex, Attaliâ, Achabi filiâ, fœminâ supra sexũ crudeli & furiosâ, in uxorem ductâ, dum plus uxoreis illecebris, quàm Domini prophetis paret, fratres suos & multos regni primates, suos consiliarios è medio sustulit, populumq; ad omnem impietatem adegit, 4 Reg. 8. & 2. Paral 21. Sic & Messalina, Claudii Cæsaris uxor, in causa fuit, ut multi à Cæsare occiderentur; quippe quæ, cùm aliquem interfectum cuperet, maritum perterrefacere solebat, insidiatorem ejus accusans, teste Xiphilino in Claudio.

Porrò ut γυναικοκρατείαν quisquam maximè evitet, sedulò dabit operã, *ne oculis tantùm, neq; digitis, sed inprimis animo ducat uxorem*; h. e. ne formæ, neque dotis primam præcipuamque curam in eligendâ uxore habeat, sed virtutum animi,

nimi, cujusmodi ſunt pietas, probitas, prudentia, obedientia, fides, humanitas, caſtitas, & id genus alia. Planè enim illi ferè maritalem in fœminas poteſtatem à naturâ legibusque ſibi conceſſam quodammodò repudiant, qui, nullâ virtutis ratione habitâ, formoſas tantùm aut opulentiores aut nobiliores; aut denique, ſi ipſi ſint ætatis provectioris, nimis juvenculas ſibi deligunt uxores.

Primum eſt, quia mulieres ſuapte naturâ ſuperbi elatique ſunt animi, genuinam illarum ſuperbiam vel maximè adauget forma ſpeciesque corporis, ob quam eas non rarò mariti inſano amore adeò depereunt, ut uxoribus ſuis inconſultis, non ſolùm in privatis, ſed & in publicis negotiis vix quicquam ſtatuant, atq; ita propriam libertatem procul abjiciant.

Philippus certè ejus nominis I. Rex Galliæ, Bertâ Flandriæ Comitiſsâ, legitimâ uxore repudiatâ, toto illo ſeptennio, quo cum Bertradâ Montfortenſi cognatâ, & pellice ſuâ vixit; cujus blanditiis & formâ adeò occæcatus fuit, ut graviſſima quæque totius regni negotia ad illius arbitrium & libidinem regerentur, teſte Æmilio lib. 4. Unde videre eſt, quàm plena ſit multæ arrogantiæ atque ſuperbiæ in fœmina eximia corporis forma & pulchritudo, quod præter alios Ovid. teſtatur lib. 1. Faſtorum:

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam.

Quem in modum & D.Chrysostomus in epistolam Pauli ad Eph.hom.20. hæc mala ex pulchritudine nasci tradit, fastum, arrogantiam, contemptum. Exemplo sit Mariamne, Herodis regis Judæorum uxor, quæ licet formosissima esset & pudicissima; adeò tamen morosa & superba fuit, quòd regio sanguine esset nata, ut, nullâ habitâ ratione regiæ potentiæ, sæpe maritum contumeliosiùs tractaret; apertè etiam illi, & sorori ejus Salome & matri generis humilitatem exprobraret, ut author est Joseph.lib.15.Antiq.cap.11. Unde non abs re formosæ uxoris, ob formę tamen pulchritudinem superbientis, contubernium, veluti quidam scopulus, est cavendum; utpote quam perpetuò & indesinenter maritus experietur indomitam & refractariam, nec in acerrimo cõcertamine jus suum adversus eam obtinere poterit; quod innuere voluit Olympias Alexandri Magni mater apud Plut.in præceptis connubialib.& Athenæum lib.13.c.32 Quę, cùm aulicus quidam adolescens formosam, sed superbam & refractariam, duxisset uxorem: *Ille*, ait, *demens est, qui solis oculis uxorem duxit.* Sed nec digitis decet uxorem ducere, quomodo nonnulli dotem sponsæ supputant, nec qualis ea in convictu futura sit, explorant. Planè enim, qui in uxore eligendâ dotis quantitatem spectat, non uxoris dominus, sed dotis servus fit. Nimirum, ut Aristoteles scribit lib.8. Eth.c.10. *dominantur*

nantur uxores ob patrimonii amplitudinem. Unde Juv. Sat. 6. *Intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives*; utpote quæ solet regnare in suis divitiis, ut est apud Sen. Hinc Mart. rectè lib. 8. epigram. ad Priscum:

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito,
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

Et memorabile est, quod de Hermocrate scribit Philostratus: Huic cùm Antipater, qui Severo Imperatori ab epistolis erat, avidiùs affectaret filiam suam in matrimonium tradere; non censuit is arripiendam istiusmodi felicitatem; imò instanti acriùs nuptiarum conciliatrice, ac viri potentiam commemorante; *Doti*, ait, *magnæ non serviam, nec soceri superbiæ.* Intellexit nimirum quod apud Val. Max. lib. 7. c. 2. de splendidis conjugiis dixit Socrates; Hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam domos funditus evertere.

Henrico certè Stuardo regium conjugium vitam ademit; quippe quem Maria Regina Scotiæ vix uno anno pro marito habuit, mox ab authoritate clanculum dejecit, tandem etiam clandestinis insidiis per Bothueliũ interfecit, ut author est Buchananus lib. 17. & 18. histor. Scot. Usque adeò ista imparitas sæpe solet esse periculosa & damnosa, & discordias, lites, γυναικοκρατείαν,

Y

aliaque mala patere, juxta illud Ovid. ep. 9. Heroid.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus, species læsura ferentes;
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Quicunq; igitur (ut eleganter scribit D. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo patriarchâ c. 2.) suavitatem quærit conjugii, non superiorem censu ambiat, non monilibus ornatam, sed moribus: contemnit plerunq; virũ, si se uxor nobiliorem noverit. Hæc proxima superbiæ sunt. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat, ideo parem gratiam diligebat; ideo non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium, quocunque pergeret, sequebatur. Et Seneca ad Gallionem; *Invenies,* inquit, *uxorem bonam, si nihil quæris, nisi bonum, dummodo ne imagines proavosq; respexeris, nec patrimonium, cui etiam ipsa nobilitas cessit.*

Non autem in genere solùm & opibus, sed in ætate æqualitatis habenda est ratio; ac proinde seniores & provectæ ætatis viri cum puellis & juvenculis matrimoniũ capessere supersedeant, nisi eis velint esse ludibrio & contemptui. Quoniam enim ipsi ob frigiditatem & siccitatem non ampliùs sunt apti palestræ Venereæ, (nam ut Ovidius canit,

Qua

Quæ bello est habilis, Veneri quoq; convenit ætas,
Turpe senex miles, turpe senilis amor.)

ac proinde juvenculæ uxores nihil oblectationis, nihil voluptatis in sene marito habent, quia præterea senectus veluti inimica est amicitiæ; senes siquidem, cùm sint morosi & intractabiles, minùs gaudent conversationibus, quæ amicitiam vel maximè efficere videntur; matrimonium verò nihil magis decet, quàm viri & uxoris amicitia. Quid mirũ, si ex hoc quasi fonte manet impotentissimum, imperiosissimumque illud uxorum juniorum in senes maritos imperium?

Exemplo est M. Cato Censorius, qui senex jam & Princeps in Rep. uxorem sibi postulavit viduus, Salonii cujusdam sui clientis filiam: irrideri se Salonius est suspicatus, quòd vir tantus affinitatem secum vellet jungere. Duxit senex adolescentulam, dives inopem, clarus obscuram, Princeps civilem: ea tamen contumaciter in maritum se gessit, minúsque obsequentem se indies illi præbuit: ita vir ille, qui, quicquid sive in senatu, sive in foro, sive ad populum diceret, oraculi loco accipiebatur, tantæ civitatis facilè sapientissimus, & cui domi & foris in bello, in pace, in negotio parem non haberet ætas illa, domi authoritate carebat apud rudem & imprudentem puellam, tenuem, humilem; honoratam ta-

men & ferè principem matronarum mariti causâ, ut ex Plut. Catone hæc memorat Ludovicus Vives de officio mariti. Hanc uxoris suæ, cæterarumq; fœminarum Romanarum, potentiam ægrè ipse ferens; *Omnes*, ait, *homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis uxor.* Hoc modo colligens, mulieres rerum omnium esse dominas, & hoc ex Themistoclis facetiis traditum esse, Plut. ibidem memorat. Nam & hic, cùm magnopere dominaretur in se per matrem filius, *populus Atheniensis*, inquit, *ô mulier, Græcis imperat; ego populo Atheniensi, tu mî, tibi filius.* Hinc non immeritò quæritur, cur strenui bellatores, cujusmodi fuerunt Hercules, Themistocles, Pericles, M. Antonius, Julius Cæsar, ipsique Spartani, (de quibus Plut. scribit in Agide, semper eos audientes fuisse uxorib. plusq; de negotiis publicis cum illis, quàm secum illas cõmunicasse de privatis; opes quoq; Laconicas ferè penes mulieres fuisse,) & alii complures plerunq; sint γυναικοκρατούμενοι, & dorsum mulierculis submittant? Aristoteles lib. 2. Polit. c. 7. triplicem hujus protervìæ mulieris reddit causam.

Prima, quia dum viri bellis occupantur, & domo absunt diutiùs, interim uxores vitæ liberiori assuescunt, imperiumque rapiunt. Factum Lacedæmone hoc, quo tempore Spartani continua

tinua cum Archivis, Arcadibus & Messeniis, itemque Atheniensibus bella gesserunt. 2. Quia mulierum sunt amantiores, à quibus bellorum motibus sæpe abstrahuntur. 3. Quia denique plerunque sunt salaces & libidinosi, cùm quòd & corpora habeant solida, musculosa, calida, plena sanguinis ac spirituum; tum ut plurimùm comedones sint & bibones: *vinum autem lac Veneris, & sine Cerere & Baccho friget Venus.*

Postremò de mariti in uxorem imperio inprimis observandum, ut cum ratione & moderatione illud exerceat, nec injuriosè, nec serviliter eum tractet; utpote quæ eadẽ cum ipso est caro, & quasi altera ipsius manus, cui vim inferre jus naturæ prohibet; sed juxta præceptum Apostoli, *secundùm conscientiam cum eâ cohabitet, eique tanquam vasi infirmiori honorem tribuat.* Etenim & lex divina exigit, ut maritus non sit leo in suis ædibus, nec amarus erga uxorem; & ipsa natura subjecit uxorem marito, non ut servam, sed ut sociam vitæ & fortunarum; quippe quæ ex costâ viri, non ex pede facta est. Cõmunis item Pythagoricorum lex postulat, ut ómnis injuriæ & violentiæ opinio ab eâ absit, quæ supplicis instar est, & tanquam à foco paterno ad ædes nostras deducta, ut citatur ab Aristot. lib. 1. OEcon. c. 4. Et profectò (ut eleganter scribit Chrysostomus in 1. Pauli epistolam ad Cor. hom. 20.) summa injuria est, virum vitæ sociam, & in rebus ne-

ceſſariis antea ſibi conjunctam, tanquam mancipium injuriâ afficere. Ideo hujusmodi virum (ſiquidem fera potiùs appellãndus eſt, quàm vir,) & patricidæ & matricidæ ſimilem eſſe dixeris. Nam ſi patrem & matrẽ uxoris gratiâ relinquere præcipimur, non ut injuriam ei faciamus, ſed ut divinam legem impleamus; & ipſis parentibus tam gratum hoc eſt, ut delicti gratiam habeant, & id multo ſtudio exequantur; quonam, quęſo, pacto non ultimæ dementię eſt, eam contumeliâ afficere, propter quã parentes Deus dimittendos præcepit? nonne hæc inſania? Et paulò pòſt; ſed incitat, inquit, mulier. Verùm conſidera, mulierem debile vas eſſe, tu autem vir, princeps propterea factus es, & capitis loco datus, ut ſubditæ feras imbecillitatem. Velis igitur tuum illuſtrare principatum, quod facies, ſi ſubditæ non inſultaveris. Et quemadmodũ Rex tantò clarior apparet, quantò præfectum ſuum clariorem oſtendit; quem ſi ignominiâ & contumeliâ afficeret, non parvã ſuæ ipſius glorię partem auferret. Ita & tu, ſi illam, quæ ſecundum poſt te locum obtinet, contumeliâ afficis, non parum principatus tui honori derogas. Hæc igitur omnia tecum reputa, & modeſtus ſis, & cũ his illius noctis recordare, quâ ad ſe vocato te pater, ceu quoddã depoſitũ, filiam tibi tradidit, & omnibus relictis, matre, domo, & ſeipſo omnẽ ejus curam tuę dextræ commiſit. Præterea juxta Poëtæ quoq; illud:

Nullum

——————— *Nullum memorabile nomen*
Fœmineæ in pugna est, nec habet victoria laudem.

Quin imò potiùs prudens maritus concedet aliquid hujus sexus fragilitati, & nævos ab imbecillitate humanâ profectos condonabit, deq; delictis per ignorantiam commissis, placidè uxorem commonefaciet, nec, nisi extremo malo, medicorũ exemplo extremis occurret remediis. Idcircò Marcus Aurelius Imperator rectè inquit: *Uxor admonenda persæpe, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nunquam.* Et Varro in Satyra Menippęa apud Gell.lib.1.Noct. Attic.c.3. *Vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum: Qui tollit vitiũ, uxorem commodiorem præstat; qui fert, seipsum efficit meliorem.* Sic nimirum Socrates uxorum convitia, jurgia, molestias modestè sapienterq; tulit. Causam rogatus ab Alcibiade; *tales se domi perpeti* respondit, *ut cæterorum injurias foris tolerare assuesceret.* Cúmque à Xantippe uxore aliquando post multa convicia ex superiori loco aquâ sordidâ perfunderetur, nihil ampliùs egit, quàm ut capite deterso diceret; *sciebam futurum, ut ista tonitrua imber sequeretur*; ibidem teste Laërt. & Gellio. Sic & Jobus toto corpore afflictus, affectusque & animi & membrorũ doloribus immensis, cùm uxor eum petulantiâ suâ graviùs exasperaret, & in suam necem Deum maledictis provocare juberet, in-

dignabundus durioribus verbis ejus stultitiam castigavit, cap. 2. Malè verò econtrà apud Suet. audit Nero Cæsar, qui uxorem dilectissimam Poppæam, quàm Octaviæ superduxerat, gravidam ictu calcis solo afflictam peremit, quòd ex nocturnâ aurigatione tardiùs domum cùm venisset, ab eâ jurgio exceptus esset. Quis verò non improbet Hunerici, Vandalorum in Africa Regis, facinus, qui Theodorici Westgothorum Regis filiam, uxorem suam ob levem suspicionem parati veneni, naribus atque auribus mutilatam, patri suo remisit. Magis verò insectatione dignum detestandum illud facinus Præbislai, Ducis majoris Poloniæ, qui teste Cromero lib. 11. per pedisséquas Luidgardin uxorem jugulari curavit, quòd ex eâ liberos non susciperet: quasi verò in arbitrio sit id cujusquam, non verò divinitus liberi concedantur. Sic & Richardus III. Anglorum rex, Annam uxorem sterilem veneno necavit, ut author est Polydorus lib. 25. Non minùs execrandum est Jarnerici, Danorum & Sueonum Regis facinus, qui Suavildam uxorem, Piconis astu, stupri cùm privigno Brodero commissi crimine falsò accusatam, boum ungulis conculcandam objecit; & quod crudelitatem auget, cùm innocentis ejulatibus commota animalia parcere viderentur, pronam humo affigi jussit, ne voce suâ pecora flectere posset, ut author est Crantzius lib. 2. Daniæ cap. 16. Denique

mariti

mariti imperiosi quoque cogitent, mulierculas naturâ vindictæ esse appetentiores, unde ad cædes & desertiones maritorum non rarò venire soleant. Alboinus certè I. Longobardorum in Italia Rex, postquam in solenni convivio Rosimundam uxorem ex paterâ, quæ ex patris Cunimundi, Gepidarum regis, quem in prælio interfecerat, cranio erat facta, bibere compulit; hujus instinctu ab Helmynge satrapâ in cubiculo obtruncatus est, teste Blondo lib.8. Simile fatum, teste Volaterrano, subiit Galeothus Forolivii Princeps, ductâ in uxorem Johannis Bentivoli filiâ, quæ ab illo spreta, simulatâ ægritudine, sicarios subornavit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt.

Sic & Almaricus, Gothorum rex, cùm Crotildem Childeberti Parisiorum regis sororem, veræ religionis amantissimam, eò quòd Arrianam sectam contemneret, contumeliosè tractasset, ab hoc bello vexatus est cruentissimo, vitâq; exutus, ut Sigonius scribit lib.17. Imperii Occidentalis, & Michaël Riccius lib.1. de regno Francorum.

FLOS IV.

Nimius conjugum amor maturè expellendus, antequam bestiæ instar dentes & ungues producat.

INter tria illa, quæ in Dei hominumque conspectu speciosa videntur, Siracides quoq; in suo Ecclesiastico c. 35. numerat virum & uxorem, in societate & fide mutuâ perseverantes, & læto ac sereno, minimèq; suspicioso animo vitam transigentes, seq; invicē castè, piè, sobriè & verecundè citra ardorem amantes. Ardens nimirū amor incendium est animę, quâ ardēte, nullus ibi modestiæ, nullus reverentię conjugali, nullus tranquillitati & quieti loc⁹ esse potest. Unde rectè veteres prudentes suaserunt, maturè expellendū esse nimium amorem, tanquā feram, priusquā dentes & ungues producat. Quinam verò hujus amoris sunt dentes & ungues? suspicio & zelotypia. Et profectò nulla gravior pestis humano ingenio insidet, quàm altè concepta suspicio, quæ, cùm semel irrepserit, ægerrimè vel maximè illustri ratione convellitur; quæq; , ut Mimus vult, semper ad tristem partem inclinat. Zelotypia verò, pręterquam quòd corpus corrumpit, labefactat, corrumpit, & ad senectutem accelerat, omnium animi perturbationū est truculentissima; utpote

quæ

quæ mentem quasi eripit, & in furorẽ adigit, inq; neces suorũ & aliorũ homines armat & impellit, ut idcircò multò satiùs sit mori, quàm sub hujus tyrannide vivere. Nam si de injuriâ rivalis cõstat, zelotypiæ hoc furore perciti homines ad irã, ultionem & vindictã accendũtur modò justè, modò injustè; si nõ constat, metu exanimantur, & suspicione sive verâ sive falsâ conficiuntur. Quemadmodũ a. nationem aliã præ aliâ hoc zelotypię vitio obnoxiã esse, experientia testatur; ita Bodin. lib. 5. de Rep. c. 1. ex Irenico & Munstero probat, Germanos minimè zelotypiâ laborare, imò præclarũ existimare, omnes fœminas cum omnibus marib. in publicis balneis simul perlui; Australes verò populos, ne sacra quidẽ publica fieri pati, nisi uterq; sexus pariete medio dividatur. Quod facetè aliquãdo Mendozę, legato Hispanorũ, turpe esse dicenti, viros simul cũ fœminis in concionibus sacris permistos videri, exprobravit Thalus, magister libellorũ Regis Angliæ; *turpe quidem id esse apud Hispanos, qui etiã in sacris locis cogitent de explendâ libidine, à quâ procul abeant Anglorũ mentes.* Italos hoc vitio ad insaniã usq; laborare, Justinæ matronæ Romanæ nobilissimæ testatur historia, quæ ætatis suę puellas formâ supergressa, cùm stolido & locupleti cuidam juveni à parentibus in matrimonium esset tradita, ob solam pulchritudinem in suspicionem marito venit, qui candidissimam uxoris suæ cervicem conspi-

catus, inclinantis se ad exuendum calceum, furore ex zelotypiâ accensus, teneram puellam, novamq; conjugẽ jugulavit; cujus etiamnũ Romæ extat hoc epitaphium in Crypta S. Laurentii;

Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero nivei solvere vincla pedis.
Nec culpâ meruisse necem, pia numina testor,
Sed jaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo Justinæ, discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

Huic non absimile est epitaphium fœminæ Perusinæ, itidem à marito ob zelotypiam, & adulterii suspicionem interfectæ;

Si qua solet proprio gaudere puella decoro,
Quid mea sors possit, nunc ego sola queror.
Forma dedit multis famam, laudemq; puellis,
At mihi de falsâ suspicione necem.

Sic & Cotys, Thraciæ rex, cùm suæ uxoris, cum quâ 24. annos concorditer vixerat, aliquando zelotypus esset, suis ipsius manibus à pudendis incipiens, dissecuit mediã, ut ex Theopompi libr. 1. rerum Philippicarum recenset Athenæus lib. 12. c. 14.

Inter Barbaros quoque præcipuè zelotypos esse Persas & Parthos, seque eâ in re peracerbos præstare, memoriæ proditum est. Etenim apud Persas non modò qui conjugem, vel pellicem Regis attrectaverit, sed etiam, qui ex itinere appropinquarit, currusque, quibus vehitur, impulerit,

lerit, capite punitur, ut tradit Plutarchus in Artaxerxe. Idem in Themiſtocle refert, apud Perſas & Parthos non modò uxores, ſed etiam ſervas & concubinas adeò ſollicitè aſſervari, ut domi occludantur; aut ſi prodeundum ſit, obſeratis ferantur vehiculis. Et de Turcis ſcribit Busbequius ep.3. ſuas eos uxores domi ſervare occluſas, atq; abdere, ut vix ſol aſpiciat; quòd ſi in publicum neceſſitas eas evocet, ita tectas, ita pannis obvolutas emittere, ut meræ larvæ, aut ſpectra occurrentibus videantur; in tantum apud ipſos invaluiſſe opinionem, quaſi non poſſit mulier, quam vel minimùm forma aut ætas commendet, à viro ſine potiundi libidine, mentisque labe conſpici.

Puna, rex Indorum, ut zelotypiæ curâ & amore ſe liberaret, eunuchis ſuis non modò pudenda, ſed etiam nares & brachia amputari juſſit, ut author eſt Bodinus lib.5. de Repub. c.1. ſaniore quodammodo conſilio, quàm Eudubienſis ille zelotypus in Italia, nomine Johannes, qui, excogitato aſtu zelotypis digno, ſeipſum caſtravit; ut, ſi uxor poſtmodum concepiſſet, in adulterio fuiſſe convinceretur, ut Poggius refert in facetiis. Quàm pernicioſa quoque & tetra zelotypiæ ſit peſtis, intelligi item poteſt ex hiſtoriâ Ludovici Bavari, cognomento Severi, Electoris Palatini, apud Aventinum lib.7. annal. Bojorum. Fœdere hic inito cum civitatibus ad Rhenum

ſitis contra eos, qui distractione Principum Germaniam vaſtabant; cùm in armis eſſet conjux Maria Brabantina, Verdæ habitans, binas literas uno quidē annulo, diversâ tamen cerâ, atrâ-rubrâ obſignatas, illas marito, alteras Henrico Ruchoni, Decurioni equeſtri miſerat. ex quibus rubrâ cerâ cōplicatas, is qui epiſtolas detulit, errore ſeductus, Ludovico tradidit, qui lectis literis, amatoria ſuſpicatus, diſſimulatâ re, relicto exercitu, quàm maximis potuit itineribus ad uxorem diu noctuque contendit, & indictâ causâ adulterii condemnatam, ſecuri percuti juſſit. Dehinc quoque veluti conſcias, Henicam virginem Brennebergenſem cultello confodit, & aliā fœminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitavit, ob quod facinus mirandam habuit & horrendam nocturnam viſionem, quâ unâ nocte totus factus eſt canus.

Inprimis verò peſtilentiſſimus iſte zelotypiæ morbus in mulierib. & præſertim, teſte Galeno, de definitionibus medicis, in prægnantibus debacchari ſolet, quæ idcirco viros inſomnes, nunc blanditiis, nunc querelis fictisq; criminibus excitare per noctem ſolent, ſeu licentiùs, illi oculos deflexerint, ſeu ridenti licentiùs arriſerint, ſeu vicinam ſalutaverint, ſeu formam alterius laudaverint, ſeu domum ſeriùs redierint, ſeu denique aliquid fecerint aut dixerint, quo ſuſpecti læſiq; rei ſint amoris, ut iſta zelotypiæ fomenta, vim & effica-

efficaciam deſcribit Petrarcha lib.1. de remedio utriusq; fortunæ, Dial.65 unde rectè Eccleſ. Siracidis c.27. cordis dolorem luctumq; ait eſſe zelotypam mulierem, & flagellum linguæ omnibus communicans, cum quâ certè ſi quis cohabitare cogitur, ſatiùs huic fuerit mori, quàm vivere. Patet hoc exemplo Philippi primi, regis Hiſpaniæ, erga quē (ut Gomezius ſcribit lib.3. de reb. geſtis Franciſci Ximenii) uxor Johanna Regina, incredibili zelotypiâ exſtimulata, pacerba ipſi & moleſta fuit. Unde cùm ille vel conjugis tædio affectus, vel aliis de cauſis, relictâ Hiſpaniâ, Belgas ſuos reviſeret, illa ſupra modū de marito abſente ſollicita, tantiſper obdurare non potuit, donec à partu eſſet libera, ſed ad eū vel invitâ matre Iſabellâ, inſalubriq; cælo, in Belgium navigavit. Ibi cùm puellæ cujusdā, quam ſecum ipſa Johanna Regina adduxerat, amorib. animus Philippi eſſet implicatus; mox ipſa zelotypiæ ſtimulis acriter exagitata, criminationibus, jurgiis & tragœdiis totam Philippi regiam implevit. Etenim cùm ad eam per pellicis æmulos eſſet delatū, flavâ puellæ cæſarie Philippum inprimis captum fuiſſe, rabie correpta, cæſariem ilicò abraſit, puellæq; miſerabiliter inſultans, pulchram faciem vibicibus fœdavit. Quam ob rem Philippus indignatus, jam non ampliùs diſſimulatâ irâ, apertis cõtumeliis, atrocibusq; verbis mulctaſſe dicitur uxoris pervicaciam, ab ejusque congreſſu dies non paucos abstinuiſſe.

Hæc immoderata Johannę Reginę zelotypia, paulò pòst reverso in Hispanias Philippo Regi ægritudinem, accedentibus aliis tam lati regni molestiis atq; curis, procul dubio mirificè auxit, ut medicus ejus Martianus eum in suo cubiculo secretiori ad hunc modum ante suum decessum conquerentem audierit; Quis me, proh dolor, in has conjecit miserias, & specioso magni nomine Regis gravatum, in hanc rerum inopiam pertraxit!

Fuit quoque his zelotypiæ morbus non postrema causa, quòd Johanna Regina, mortuo marito, sese in latebras abdiderit, & in mœrore animique ęgritudine, atrâ bile exagitata, tempus vitæ suæ miserè consumpserit. Non raro quoq; mulieres deterrimo zelotypiæ malo laborantes, adeò furore vesanienti extimulantur, ut ad vindictam conversæ atrocia diraque facinora conficiant, neq; aliis, nec viris ipsis, nec filiis, nec sibi denique suoq; pudori parcant. Sic nimirum Thessalicæ quædam mulieres Laidem formosam meretriculam, quæ sui desiderio Græciam incenderat, quòd à Pausaniâ quodam Thessalo amaretur, ex invidiâ & zelotypiâ in fano Veneris ligneis scabellis trucidaverunt, ut ex Timęi lib. 3. histor. refert Athenæus lib. 13. c. 20. Scribit Pausanias in Laconicis, Helenā post Menelai mortem à Melapenthe & Nicostrato filiis Orestis fugatam, in Rhodum pervenisse; ubi cùm Poly-

xenæ

xenę Tlepolemi uxori, ad quam jure veteris amicitiæ diverterat, suspecta esset, ab hujus ancillis mandato ejus arbore suspensa perierit. Medeâ à Jasone repudiatâ, cùm ille nuptias celebraret cum Glaucâ Creantis, Corinthiorum regis filiâ, proprios liberos, ex Jasone quos susceperat, obtruncavit; sponsæ verò coronam nephthâ illitam misit, quam illa imprudens cùm capiti imposuisset, & propiùs ad ignes sacros, pro more sacrificatura, accessisset; à flammâ correpta se simul & regiã totam, in quam confugerat, combussit. Virg Eclog. 8.

Sævus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculasse manus.

Sic & Teuteria Romana, Piterræ domina, vidua, Theodeberto Austrasię & Mediomatricum Regi nupta, filiam formosissimam ex primo viro susceptam, suspicata, Theodebertum hujus amore captum, Veroduni submergi curavit, sicq; levissimæ suspicioni maternus amor cessit, teste Fulgoso lib. 5. c. 8.

Xerxes, rex Persarum, ab uxore Amestri donatus amiculo, quod ipsa texuerat, eo indutus ad Artaxatam, Masystis fratris sui filiam, & nurum suam concesserat; cum qua ubì se oblectavit, jussit à se petere, quodcunque vellet. Hoc amictu vix tandem multis precibus à Rege impetrato, Amestris non in puellam concepit odium, sed in illius matrem, quam hujus rei authorem falsò

credebat. Observato itaque tempore in regali convivio, in quo nefas erat, orantem nō exorare; à Xerxe fratris uxorem impetravit, quam accersitis carnificibus excarnificans, mammillas præcidit, easque canibus abjecit; naribus item, auribus, labris & linguâ mutilatam domum remisit, ut author est Herod. lib. 9.

Sic & Ludovici Malani, Flandriæ Comitis, uxor Margareta, Brabantiæ Ducissa, puellæ ex marito gravidę, dolis ad se accersitę, & inopinanti nares abscidit; quæ tertio pòst die præmaturo partu gemellos masculos enìxa statim cum infantibus expiravit, ut author est Jacob. Marchantius de rebus Flandriæ. Zelotypa Fulvii uxor, cùm ad eam Fulvius, à Triumviris proscriptus, tanquam ad conjugem, suiq; , r. rebatur, amantem & fidelem, (servam enim liberaverat, & conjugio dignatus erat,) ut aliquo modo occultaretur, se recepisset; illa suspicata, alterius eum fœminæ amore captum, Triumviris impiè prodidit, miserumque in modum perdidit, ut Fulgosus scribit lib. 5. c. 3. Usque adeò, ut Sen. ait;

Prona est timori semper in pejus fides.

Galsonta sive Glosinda, Thanagildi, Gothorum Regis in Hispania, filia, uxor Chilperici, Regis Suessionum & Borussiorum in Gallia, cùm Fredegundium pellicem ferre non posset, hujus suasu à marito rege noctu strangulata est, teste Æmilio lib. 2.

Sic & Malduinus, Scotorum rex, ob pellicatus suspicionem noctu uxoris operâ strangulatus est, teste Hectore Boëtio libr.9. Simile fatum subiit Andreas Hungarus, qui uxoris zelotypæ, Johannis Neapolis Reginæ, impulsu, in palatio noctu strangulatus est, ut scribit Crantzius lib.10 Metropol. c.16.

Pari modo Francisca Bentivola gravi morbo se correptam simulans, Gariothum Manfredum, Ducem Faventinum, suum conjugem, in abditâ cubiculi parte sicariis collocatis, ad se invisendi causâ advenientem, interficiendum curavit, quòd nobilium fœminarum consuetudine liberaliùs ille uteretur, teste Bruto libr.8. histor. Florentinæ, & Bembo lib.1. hist. Venetæ. Quibus omnibus ex historiis patet,

Quòd neq; fulv⁹ aper mediâ tã sævus in irâ est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes.
Nec lea, cùm catulis lactentibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede.
Fœmina quàm socii deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasq; ruit, positoq; decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.

Ovid. lib.2. de art. Et Sen. in Herc. OEth.

O quàm cruentus fœminas stimulat dolor,
Cùm patuit una pellici & nupta domus!
Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta
Minùs est timenda, nullâ non melior ferâ est.

Hanc igitur tam furiosam ægritudinem, ceu pestem deterrimam & exitiosissimam, ut conjuges fugiant, caveant, qui in ordine sunt maritorum, ne exterarū sectentur concubitum; quippe quo & Deus gravissimè offenditur, & amor conjugalis in internecinum vertitur odium. Etenim ut Seneca scribit ep. 95. *Gravissimum est in uxorem injuriæ genus, habere pellicem.* Econtrà secundùm Aristotelem libr. 2. OEcom. c. 3. Maximus honor est sobriæ mulieri, si cernat virum suum observantem sibi castitatem, nec de ullâ muliere magis cogitantem, sed præ cæteris omnibus hanc & suam, & fidelem sibi existimantem. Tantò enim magis studebit mulier se talem præstare, quantò magis se cognoverit fideliter & justè à viro diligi. Quemadmodum autem viros decet, nihil magis præstare suis uxoribus, quàm sanctam & intemeratam societatem; ita vicissim uxores studeant, suos maritos ab exterarum mulierum amore atque concubitu suâ revocare modestiâ, obsequio, pudicitiâ, patientiâ. Nec zelotypiâ adversus illos ullâ ratione contendant, sed honestatum potiùs matronarum, in quibus virtus inest, æmulentur pietatem erga Deum, conjuges, liberos, benevolentiam in necessarios, studium erga rem familiarem; morum denique integritatem, & solius probitatis meritum, suum ducant honorem.

Cæterùm contra truculentissimam zelotypiæ per-

perturbationem Deus olim populo ſuo Iſraëlitico peculiaribus proſpexit legib. Num.c.5. ubi ſi quis uxorem de adulterio habebat ſuſpectam, ad oſtium tabernaculi eam adducebat, & tunc ſacerdos ſolennibus aquis, & dirâ execratione pudicitiam ejus explorabat. Quibus legibus, utpote ceremonialibus, abolitis, curioſitas humana, alia remedia contra zelotypiam excogitavit; cujusmodi præter cætera fuit purgatio per candens ferrum, quod ſuſpecta nudis manibus geſtare, vel pedibus calcare cogebatur; itemque probatio aquæ oleive ferventis, additâ priùs ſuperſtitioſâ quâdam conſecratione. Quæ nunc tanquam illicita, partim expreſsè ſunt abrogata, partim etiam tacitè in deſuetudinem abierunt. De his innocentiæ purgationibus apud veteres, vide Camerarium Tom. 2. medit. hiſtor. cap. 18. & 19.

F L O S V.

Parentibus anima ſunt liberi: *Eurip. in Andromache.*

NAtura provida, rerum omnium parens, ſeu potiùs ipſe DEUS Opt. Max. præcipuum quendam amorem, quem M. Cicero in epiſt. ad Atticum στοργὴν φυσικὴν appellat, hominum animis implantavit atque inſculpſit, qui ex ſan-

guinis conjunctione proficiſcitur, & ab ipsâ naturæ lege præcipitur. Hinc fit, ut parentes ſuos liberos, quos de ſuâ eſſe norunt ſubſtantiâ, & quaſi viva ipſorũ ſimulacra, in quibus ipſi vivere videntur, & per quos continuatâ generis propagatione & ſucceſſione ſperant, ſe fore immortales, ardenter ament, impensè foveant, tenerrimè nutriant, & nulla non pericula, labores, dolores, ipſamque mortem defugere non recuſent, quò vitam & ſalutem illorum conſervent. *Quid enim dulcius hominum generi à naturâ datum, quàm ſui cuiq; liberi?* ait Cic. in Orat. poſt reditum ad Quirites. Maximam hanc in parentibus innatam στοργὴν Pſammenitus, rex Ægypti, à Cambyſe regno exutus, declarat apud Herodot. libr. 3: quando amicorum infortuniis illacrymavit, ſed liberorum cædes demiſſis & ſiccis aſpexit oculis, quòd domeſtica mala graviora eſſe putabat, quàm quæ lachrymas exhaurire poſſent.

Timanthes, cùm in Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorẽ Ulyſſem Menelao addidiſſet, quàm ſummum ars poterat efficere mœrorem; non reperiens, quânam triſtitiæ imagine patris Agamemnonis vultum exprimere poſſet, velavit ejus caput, & ſuo cujusq; animo affectum ejus paternum dedit æſtimandum, ut author eſt Plin. lib. 35. cap. 10. & Quintil. libr. 2. Inſtit. cap. 12. Adumbrare nempe voluit

nobilis

nobilis iste pictor στοργὰς, quas natura parentibus erga liberos, imò & avis erga nepotes suos inseuit; quos magis amant, quàm ipsi parentes suos liberos, utpote qui, dum ceu novelli rami crescunt, latiùs extenduntur, & familię nomen longiùs producunt. Hinc vulgò rectè dicitur, *amorem non ascendere, sed descendere*; non secus ac virtus naturalis à cælestibus & superioribus descendit corporibus in sublunaria & inferiora, non autem vicissim ab his ascendit. Magis autem στοργὴ ista erga liberos matribus est impressa, quàm patribus; quippe quæ illos decem menses in utero, non sine magnis laboribus atq; molestiis, portârunt, & ex proprio sanguine, à jecore materno per venam umbilicalem in jecur sobolis derivato, nutrierunt. Hinc non sine gravissimo dolore atq; labore in lucem editos confestim à partu ꝓpriis mammillis aluerunt, aliaq; illis nutricationis & protectionis officia plura, quàm patres p̄stiterunt. Luculentissimũ maternę στοργῆς exemplum nobis suppeditat sacra pagina, 3. Regum 3. in sapientissimo illo Salomonis judicio, qui controversiam diremptur*us duarum muliercularum (*anno Mundi 2933.*) quarum altera filium suum dormiens oppresserat, & sociæ suæ filium suffurata vivum, mortuum in illius locum reposuerat, gladio dissecari superstitem jussit, & partes matribus distribui. Quâ sententiâ latâ, maternam στοργὴν effodit,

matrique necem suæ sobolis deprecanti, puerum vivum adjudicavit. Non multum absimile maternę pietatis exemplum refertur 2.Reg.21.de Rizpâ Sauli regis concubinâ. Etenim cùm ad expiandum Sauli contra Gibeonitas facinus, septem ejus filii superstites ab his ad supplicium Davidis permissu raperentur; Rizpa duorum suorum mortuorum filiorum cadavera, ne ab alitibus interdiu, à bestiis noctu læderentur, vigilans centone texit, nec ab eis avelli potuit. Quâ sedulâ ejus pietate delectatus David, cadavera omnia, Sauli & filiorũ, permisit cumulari in sepulchris suorum majorum. Aliud exemplum maternæ στοργῆς extat apud Appianum lib.4.

Marcus Brutus bellis civilibus Patarâ potitus, Patarensibus edixerat, ut omnes omnino cives, quicquid in urbe auri argentique facti aut infecti possiderent, ad se afferrent; statuto in eos ultimo supplicio, qui celassent; præmio contrà iis, qui detulissent. Itaque à servo suo dominus quidam proditus, & cum totâ familiâ in judicium tractus, sententiamque dicere jussus, cùm, quia negare hoc non posset, nihil responderet; mater seipsam accusans, identidem clamabat, se pecuniam abscondisse, filium innocentem esse; ac proinde, ut filio parceretur, orare. Cumque nihilominus servus, etiam non rogatus, civile hoc crimen non ad matrem, sed ad filium pertinere contenderet, Brutus cùm filii taciturnitate,

tum

tum matris pietate motus, utrumq; & libertate & pecuniâ donavit, servum verò laqueo suspendit.

Sic & olim Parysidis mater Cyro filio, suo ob insidias fratri Artaxerxi structas interficiendo, multis lamentis atq; obtestationibus vitam servavit, ulnis eum complexa, & capillo suo circumjiciens, colligansque illius collum cum suo, teste Plut. in Artaxerxe.

Paternæ στοργῆς exemplum memorabile habet Val. Max. lib. 5. c. 7. de Octavio Balbo, à Triumviris proscripto, qui, cùm domo per posticũ clàm esset egressus, jamque fugæ expeditum initium haberet; postquam filium intus trucidari, falsus clamore è viciniâ, accepit, ei se neci, quam evaserat, obtulit, occidendumque militibus tradidit; pluris nimirum illud momentum, quo illi præter spem videre filium incolumem contigerat, quàm salutem suam æstimans.

Sic & in ea pugna, quâ Helvetii suscepto Maximiliani Sfortiæ, à Ludovico XII. Galliarum Rege, toto fermè Mediolanensi Imperio exuti, patrocinio, ad Novariam, Gallicum exercitum profligarunt, cùm reliquorum nulla virtus aut laus emicaret, solus Robertus Martianus (Jovius Robertum Sedanium vocat, Eburonum Principem) paterno ardore impulsus, ut Floranchium & Danesium (Jovius Florantium & Gemesium vocat) filios suos Germanicorum peritos in Gal-

lico exercitu Duces,qui,multis acceptis vulneribus,humi jacebant,servaret, cum equitum turmâ sese in Helvetios immisit, tantâq; ferocitate pugnans,ut Helvetiis,nedum aliis,permirum videretur, vivos tanto periculo eripuit, ut Guicciardinus scribit lib.11.

Paterna istiusmodi στοργὴ patet quoque ex illâ historiâ, quæ Gandavi adhuc in ære incisa conspicitur. Cùm enim ibi pater unà cum filio propter enormia scelera morti adjudicati essent, Comes Flandriæ pernoscere cupiens, in quo esset ardentior στοργὴ, vitam dicitur cõcessisse alterutri, qui alteri caput præscinderet; patrem tandem multis argumentis ægrè persuasisse filio diu renuenti, ut carnificis officio in genitore fungeretur. Unde leges quoque Imperatoriæ (l.isti quidem. ff.de eo, qui metus causâ. & §.fin. Inst.de noxalib.actionib.) statuunt, in quæstionibus habendis priùs filium,quàm patrem, eo tamen vel præsente,vel sciente,torturę subjiciendum,quòd naturale sit,patrem graviùs ferre cruciatus filii, quàm proprii sui corporis; ideoque duriùs filii, quàm suiipsius pœnâ affectum,faciliùs ad veritatis confessionem compelli. Neque verò solis hominibus στοργὴ ista φυσικὴ divinitus insita est, sed & cæteris animantibus rationis expertibus, quæ,paucis admodũ exceptis,pullos suos tantâ curâ educant & tutantur, ut se non foveant accuratiùs.

Palum-

Palumbes, teste Plinio lib.10.naturalis histor. c.35. post hybernum solstitium, sæviente frigore nidificans, partumque emittens, sibimetipsi plumas non gravatur avellere, ut parvuli molliùs incumbent; quo fit, ut ipsa sæpe mater gelu contabescat. Ursa, quâ nullum deformius aut morosius est animal, informes artubusque carentes catulos ubi peperit, linguâ ceu instrumento membra format, ut non solùm parere, sed & fabricari videatur fœtum, ut Plutarchus scribit lib. περὶ φιλοστοργίας.

Gallinæ quomodo pullos suos foveant, nemini ignotum; utpote quæ alios passas sub alas recipiunt, aliis tergum conscendendum, & undiquaque aditum præbent, simulque blandam & gaudii indicem vocem edunt; quæ item canes & angues fugiunt, cùm sibi metuunt; cùm verò pullis timent, hos defendentes, ultra quàm vires patiuntur, iis propulsandis certant. Sic & cæteræ bestiæ pro suo partu ita pugnant, ut vulnera excipiant, nullos impetus, nullos casus reformident, ut est apud Cic. Tusc.5. Quòd si ergo bestiæ fœtus suos tam impensè fovent, proque illorum defensione & salute in manifesta se pericula conjicere non recusant; quis non ferreas illas, & ab omni humanitate abhorrentes matres execrabitur, quæ fœtus suos enecant, aut etiã incuriâ perire sinunt? aut quibus diris quis non devoveat ejusmodi flagitium, non dicam parentum,

sed carnificum impiissimorum, qui naturæ ju honestiq; repagulum præcipuum dissolventes filios suos, qui quasi corporis sui membra sunt & expressissima simulacra, & quibus vel offendentibus summus benevolentiæ gradus debebatur, immuni sævitiâ trucidant, beluarum ferociam longè excedentes, quæ, licet exasperatæ, nunquam in fœtus suos rabiem effundere solent. Hujusmodi impiissimorum parentum, carnificinam in liberos suos exercentium, exempla plurima omnis suppeditat historia. Atthalia, avia crudelissima, omnes suos ex Ochoziâ filio, Judæorum Rege, nepotes interfecit, ut stirpem Davidis radicitus extirparet, solo Joâ, infante, cædi isti erepto, 4. Reg. 11.

Herodes, Judæorum rex, filios duos præstantissimos, Aristobulum & Alexandrum, falsis insidiarum criminationibus circumventos, in consessu 150. virorũ Perydi damnatos, Sebastæ strangulari curavit, teste Josepho lib. 16. Antiq. Judaic. cap. 17. Itaque non immeritò Augustum Cæsarem dixisse refert Macrobius lib. 2. *Malle se Herodis esse porcum, quàm filium.* Nam propter Judæorum legem sue non vescebatur, filios autem crudeliter occiderat.

Ptolomæus Phiscon, Ægypti Rex, Memphitem filium, quem ex Cleopatrâ sorore & uxore sustulerat, in conspectu suo occidi jussit, indeq; pedes ejus præcisos, unà cum capite & manibus, in cista

in ciſta chlamyde opertos, pro munere natalitio matri miſit, teſte Val. Max. lib. 9. c. 2.

Dejotaro, Galatarum regi, plures fuiſſe filios ait Plutarchus in lib. de Stoicorum pugnis; quorum cùm ipſe uni Imperium relinquere cuperet, cæteros omnes manibus ſuis trucidavit; vinitorum exemplo, qui, cùm vitis aliqua complures emiſerit ſurculos, unum modò ex eis relinquere, alios amputare conſueverunt, ut is, qui relinquitur, major & robuſtior fiat. Sic & Solimannus, Turcarũ Sultanus, teſte Jovio, Selymo minimo natu filiorum, ad ſpem Imperii deſignato, Muſtapham primogenitum, qui ignominiæ dolore ad Perſas hoſtes transfugerat, è Perſide datâ fide reverſum, lætiſſimâq; totius exercitus acclamatione exceptum, ſuâ ipſius manu, eliſis chordâ arcus cervicibus, interemit, corpusque exangue coram exercitu projici juſſit, & per præconem altâ voce promulgari; unum in cælo Deum, in terris unum Solimannum Imperatorem eſſe oportere.

Biduo pòſt Chameria quoq; ejus filia veneno eſt necata, quòd de Muſtaphæ interitu ingemuiſſet. Fratris fatũ perpendens Palliacetus, Solimanni tertius filius, metu patris ad Thamaſum, Perſarum regem, profugerat, ubi ejusdem inſtinctu cum quatuor ſuis filiis ſtrangulatus periit. Hinc rectè Busbequius in ſuo itinere Cõſtantinopolitano ſcribit, nihil omnino miſerius

uspiam Turcicorum Imperatorum filiis esse, è quibus si quis patri successit, inevitabilis reliquos mortis necessitas manet. Plura exempla istiusmodi parentũ carnificum, & ἀστόργων erga liberos, require apud Fulgos. lib. 5. c. 8.

Cæterùm, quòd tam in historiis, quàm cottidianâ vitâ, plura exempla reperiuntur matrum, quæ liberos suos interfecerunt, quàm patrum, ideo fieri existimatur, quòd metu futurę infamiæ magis judicium mulierum perturbetur ac corrumpatur, & quòd ob sexus infirmitatem citiùs Diaboli succumbant insidiis & tentationibus.

FLOS VI.

Liberi parentes suos honoranto opere, sermone, & patientiâ.

SIrac. c. 3. procul dubio præceptum hoc de liberorum officiis erga parentes ex Platone exscripsit, qui & ipse lib. 4. de ll. post deos immortales vult honorari parentes, ipso opere, verbis, & omni patientiâ, tanquam deos quosdam visibiles & terrenos. Sunt enim parentes vivæ quædam veræque imagines communis omnium parentis Dei, teste Proclo, quem nemo rectè colere & observare potest, qui in parentes fuerit impius. Planè enim, ut Siracides ibidem monet; *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet*

serviet his, qui se genuerunt. Sunt autem tres præcipuæ virtutes, in quibus honor iste & pietas liberorum erga parentes consistit, amor, obedientia, & gratitudo filialis.

Primùm itaque liberi parentes seriò & ex animo, ceu deos quosdam tutelares, & *εὐεργέτας* suos revereri & amare velint; utpote à quibus secundùm Deum usuram vitæ communis acceperunt, quique in lucem ipsos editos, nudos atque infirmos, omnique auxilio destitutos, impensè foverunt, tenerrimè nutrierunt, liberaliter educarunt, nec ullas subterfugerunt curas atq; molestias; non rarò quoque suum defraudarunt genium, quò illis necessaria vitæ bene degendæ acquirerent subsidia. Quod & Cic. monet in Orat. post reditum ad senatum; Parentes, inquiens, „ charissimos habere debemus, quòd ab his vita, „ patrimonium, libertas, civitas tradita est. Nec enim minorem amoris reciprocationem liberi parentibus debent, ut purissimum hunc & tenerrimum amoris radium etiam oculis lædi posse, monstrique instar putandum sit, si quis omni humanitate exutus, eundem extinguere ausit. Verùm ita plerunq; comparatum est, ut, sicut humor de radicibus in herbam ascendens, non revertitur in radices, sed sursum transmittitur in semen; sic & charitas atque amor de parentibus ascendat in filios, de filiis autem non revertatur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt fi-

lios, sed non sic diliguntur à filiis: quia, sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem, sic & homo non ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum, ut eleganter Chrysostomus scribit in cap.9. Matth. homil.32. Ista autem amoris vis potissimùm se honore & reverentiâ erga parentes, tam divinis & humanis legibus, (Exod.20.& 21.Lev.20.Deuteron.c.5. Prov.20. & Eph.6.) quàm jure naturæ debitâ, exerit, illis occurrendo, assurgendo, sedis & sermonis primatũ cedendo, suam gloriã participando, dignitatem conferendo, optima quæq; cupiendo & precando; nec ullo modo eos contemnendo, imò & infirmitates illorum atq; nævos patienter tolerando. *Charitas enim*, ut Apostolus scribit in 1.ad Cor.13 *magnanima est in perferendo, benigna & lenis in condonando, inconstanti levitate non fluctuat, contumaci superbiâ non intumescit, non incitatur ad iram, neq; deniq; quicquam mali cogitat.*

Sic nimirum Salomon Rex (ut ad exempla filialis reverentiæ & honoris erga parentes accedamus) Bethsabæ matri assurrexit, eamque adoravit: dehinc thronum illi poni, sibique assidere à dextris jussit. *Namq; in publicis locis atq; actionibus patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestate collata, interquiescere quidem paululum debere; sed cùm extra Remp. in vita domestica conversantur, inter filium magistratum, & patrem*

patrem privatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri, Taurus philosophus, etiam Ethnicus, rectè censuit, ut author est Gellius libr.1. Noct. Attic. c.2. Sic & Marcus Antoninus Philosophus, in aulicā adoptatus domum, parentibus suis tantam reverentiam, quantam privatus, exhibuit, licet pluribus occuparetur honoribus, in summis obsequiis erga patrem.

Pari modo Carolus IV. Bonnæ prope Coloniam consalutatus Imperator, cum patre Johanne in Bohemiam reversus, non aliter sese gessit, quàm privatus, omnia officia exhibuit, ad nutumque ipsius semper ei præstò fuit, ut Dubravius scribit lib.21.

Alphonsus, rex Arragonum, cùm peregrè advenienti Ferdinando patri obviam progressus animadvertisset illum lecticâ vectari, valetudine affectum, statim equo desiliit, ut patrem pedibus comitaretur, &, si opus esset, humeris aut cervice etiam sustolleret. Cúmque è lecticâ pater identidem cohortaretur, ut exemplo multorū procerum juxta adequitantium & ipse equum conscenderet; *Alii*, inquit, *ô pater, quid ad se attineat, ipsi viderint; ego quidem adduci neutiquam potero, quin Regem, quin patrem, & eundem ægrotum pedibus sequar*, teste Panormitâ libr.2. de rebus ejus gestis.

V. Sertorius, teste Plut. in ejus vita, Româ exul, dicitur patriæ cupiditate flagrasse, potissimùm

matris causâ, à quâ educatus orbus fuerat, cui toto animo erat addictus. A necessariis suis in Hispania ad Imperium vocatus, ad nuncium mortis matris, profudit penè ex mœrore vitam.

Divus Augustinus matrem suam Monicam tum aliâs tum in eo quoque morbo, quo Ostiæ periit, eâ observantiâ complexus est, ut illa eum Pii cognomine dignaretur, & cum voluptate commemoraret, *nunquam se audisse ex ore ejus verbum in se durum, aut contumeliosum*, ut ipsemet testatur lib. 9. conf. c. 12.

Sic & Carolus Magnus Imperator matrem Bertam religiosissimè observavit, neq; eam, nisi in divortio filiæ Desiderii, Regis Longobardorum, uxoris suæ, ad iram commovit, aliâs semper veneratus, ut Cuspinianus scribit in Cæsaribus.

Pari modo Pomponius Atticus, eques Romanus nobilissimus, & familiaris Ciceronis, tam pius in matrem fuit, ut juraverit, cum matre nonagenariâ se nunquam in gratiam rediisse, ut author est Cornelius Nepos apud Volaterranum lib. 18. ἀνθρωπολογίας.

Galenus Pergamenus medicus, cùm alibi sæpe, tum inprimis in commentario de cognoscendis curandisque animæ affectibus, patrem suum Niconem non sine magno honoris titulo appellare solet, ut appareat, nunquam suaviorem sibi vocem edere visum fuisse, quàm quę parentis sui laudes decantaret.

Cajus

Cajus Martius, Coriolanus postea dictus, (teste Plut. in ejus vita) cùm sæpiùs pugnatum eâ tempestate à Romanis esset, compluraq; gesta bella, ex nullo sine coronâ, vel donis regressus, cùm mater eum Volumnia (Livius Veluriā vocat) præ lętitiâ lachrymans complecteretur, summo id sibi honori felicitatique duxit. *Virtutis nimirum gloria aliis finis erat, huic gloria, matris gaudium.* Sic & Epaminondā dixisse perhibent, *nihil sibi accidisse jucundius, quàm quòd genitores sui palmā se duce vivi conspexissent Leuctricam*, ut Plutarchus scribit in libello contra Epicuri sententiam.

Antigonus, Macedoniæ rex, cùm ingenti prælio superasset hostem, præmium belli ad patrem transtulit, & Cypri Imperium illi tradidit.

Sic & Leo II. Imperator Constantinopolitanus, Imperium à Leone primo, avo materno, per manus acceptum, cùm pacatè regeret, otioq; & opibus floreret; Zenoni Isaurico, vitrico suo, sponte tradidit habendum; *indignum* (opinor) *ducens atq; nefarium, imperare, ubi pater privatus ageret*, ait Sabellicus lib.3.c.6.

Sem & Japhet, duo Nohæ filii, cùm patrem ebrium detectis pudendis invenissent, indice Chamo fratre, retrogradientes aversis oculis, pallium ei injecerunt: quam ob causam à patre benedictionem, Chamus verò maledictionem retulêre.

Telecus Spartanus cuidam nuncianti, patre[m] de ipso malè loqui, Non faceret, respondit, ni[si] faciendum hoc illi esset. *Maluit nimirum in s[e] transferre culpam, quàm patrem mendacii aut t[e]meritatis arguere*, teste Plut. in Lacon. *Neut[i]quam enim gloriandũ in contumelia patris, ut po[te] quæ in ignominiam & dedecus, non in honore[m] cedit filio*, teste Siracide Eccles. cap. 3. & Cic. p[ro] Cluentio, *non modò reticere homines parentu[m] injurias, sed etiam æquo animo ferre oporte[t].* Hinc rectè Publius Mimus:

Ames parentem, si æquus est;
Si aliter, feras.

Imò & senectæ maternæ ferenda, non cu[l]panda morositas, quod Salomõ Prov. 23. mone[t].

Obedientia filialis, quæ altera species est pi[e]tatis liberorum, piis parentum monitis & cons[i]liis, tanquam ab ipso Deo profectis, morem g[e]rit, jussa alaciter expedit, reprehensionibus et[iam] sese emendari patitur; idque exemplo Chris[ti] qui, ut nobis obedientiæ præberet documen[tum], parentum obsequio subdi voluit, Luc. c. Exemplo item Isaaci, Abrahamo patri usque a[d] mortem morigeri, Gen 22. Jacobi, matris co[n]silio Esavo fratri jus primogenituræ, & patris b[e]nedictionem præripientis; ejusdem item jussu i[n] Mesopotamiam ad Labanum avunculum pr[o]fecti, unde 20. anno pòst, uxoribus, liberis, & op[i]bus auctus domum rediit: Josephi ad fratre[s]

quamv[is]

quamvis sibi propter delationem infensos, ablegati, Gen. 27. Davidis jam in Regem uncti, 1. Regum 17. Tobiæ junioris, qui, auditis paternis exhortationibus, in omnibus promptè obediit, Tob. c 5. Rechabitarum, qui cùm metu Nabuchodonosoris Hierosolymam confugissent, à Jeremiâ propheta in templum, jubente Domino, introducti, vinum bibere renuerunt, quòd à patre Jonadabo, Rechabi filio, prohibiti fuissent bibere vinum, domum construere, sementem facere, vineam plantare, sed in tabernaculis degere per omnem vitam, ut diu viverent in terra: Septem denique fratrum martyriũ pro patriâ lege, impavidè matre ipsos identidem stimulante, occumbentium, 2. Mac. 7. Sic & Coriolanus, vir de Rep. Rom. optimè meritus, iniquissimæ damnationis ruinâ prostratus, apud Volscos, ad quos exul confugerat, brevi summum adeptus imperium, cùm, frequenter fusis Romanorum exercitibus, victoriarum suarũ gradibus aditum juxta urbis mœnia Volsco militi struxisset, (*anno Mundi 3485.*) matris tandem precibus cedens, urbis Romę obsidionem solvit, teste Livio dec. 1. lib. 2. & Val. Max. lib. 5. c. 4.

Childebertus & Clotharius, Francorum Reges, cùm de regni possessione inter se armis disceptarent, jamque acie essent dimicaturi, Crotochildis matris interventu primò ferrum inhibuêre, maternis precibus & lachrymis moti; inde

ſed carnificum impiiſſimorum, qui naturæ jus honeſtiq; repagulum præcipuum disſolventes, filios ſuos, qui quaſi corporis ſui membra ſunt, & expreſſiſſima ſimulacra, & quibus vel offendentibus ſummus benevolentiæ gradus debebatur, immuni ſævitiâ trucidant, beluarum ferociam longè excedentes, quæ, licet exaſperatæ, nunquam in fœtus ſuos rabiem effundere ſolent. Hujusmodi impiiſſimorum parentum, carnificinam in liberos ſuos exercentium, exempla plurima omnis ſuppeditat hiſtoria. Atthalia, avia crudeliſſima, omnes ſuos ex Ochoziâ filio, Judæorum Rege, nepotes interfecit, ut ſtirpem Davidis radicitus extirparet, ſolo Joâ, infante, cædi iſti erepto, 4. Reg. 11.

Herodes, Judæorum rex, filios duos præſtantiſſimos, Ariſtobulum & Alexandrum, falſis inſidiarum criminationibus circumventos, in conſeſſu 150. virorũ Perydi damnatos, Sebaſtæ ſtrangulari curavit, teſte Joſepho lib. 16. Antiq. Judaic. cap. 17. Itaque non immeritò Auguſtum Cæſarem dixiſſe refert Macrobius lib. 2. *Malle ſe Herodis eſſe porcum, quàm filium.* Nam propter Judæorum legem ſue non veſçebatur, filios autem crudeliter occiderat.

Ptolomæus Phiſcon, Ægypti Rex, Memphitem filium, quem ex Cleopatrâ ſorore & uxore ſuſtulerat, in conſpectu ſuo occidi juſſit, indeq; pedes ejus præciſos, unà cum capite & manibus, in ciſta

in ciſta chlamyde opertos, pro munere natalitio matri miſit, teſte Val. Max. lib. 9. c. 2.

Dejotaro, Galatarum regi, plures fuiſſe filios ait Plutarchus in lib. de Stoicorum pugnis; quorum cùm ipſe uni Imperium relinquere cuperet, cæteros omnes manibus ſuis trucidavit; vinitorum exemplo, qui, cùm vitis aliqua complures emiſerit ſurculos, unum modò ex eis relinquere, alios amputare conſueverunt, ut is, qui relinquitur, major & robuſtior fiat. Sic & Solimannus, Turcarū Sultanus, teſte Jovio, Selymo minimo natu filiorum, ad ſpem Imperii deſignato, Muſtapham primogenitum, qui ignominiæ dolore ad Perſas hoſtes transfugerat, è Perſide datâ fide reverſum, lætiſſimâq; totius exercitus acclamatione exceptum, ſuâ ipſius manu, eliſis chordâ arcus cervicibus, interemit, corpusque exangue coram exercitu projici juſſit, & per præconem altâ voce promulgari; unum in cælo Deum, in terris unum Solimannum Imperatorem eſſe oportere.

Biduo pòſt Chameria quoq; ejus filia veneno eſt necata, quòd de Muſtaphæ interitu ingemuiſſet. Fratris fatū perpendens Palliacetus, Solimanni tertius filius, metu patris ad Thamaſum, Perſarum regem, profugerat, ubi ejusdem inſtinctu cum quatuor ſuis filiis ſtrangulatus periit. Hinc rectè Busbequius in ſuo itinere Cōſtantinopolitano ſcribit, nihil omnino miſerius

aspiam Turcicorum Imperatorum filiis esse, è quibus si quis patri successit, inevitabilis reliquos mortis necessitas manet. Plura exempla istiusmodi parentũ carnificum, & ἀστόργων erga liberos, require apud Fulgos. lib. 5. c. 8.

Cæterùm, quòd tam in historiis, quàm cottidianâ vitâ, plura exempla reperiuntur matrum, quæ liberos suos interfecerunt, quàm patrum, ideo fieri existimatur, quòd metu futurę infamiæ magis judicium mulierum perturbetur ac corrumpatur, & quòd ob sexus infirmitatem citiùs Diaboli succumbant insidiis & tentationibus.

F L O S VI.

Liberi parentes suos honoranto opere, sermone, & patientiâ.

SIrac. c. 3. procul dubio præceptum hoc de liberorum officiis erga parentes ex Platone exscripsit, qui & ipse lib. 4. de ll. post deos immortales vult honorari parentes, ipso opere, verbis, & omni patientiâ, tanquam deos quosdam visibiles & terrenos. Sunt enim parentes vivæ quædam veræque imagines communis omnium parentis Dei, teste Proclo, quem nemo rectè colere & observare potest, qui in parentes fuerit impius. Planè enim, ut Siracides ibidem monet; *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet*

serviet his, qui se genuerunt. Sunt autem tres præcipuæ virtutes, in quibus honor iste & pietas liberorum erga parentes consistit, amor, obedientia, & gratitudo filialis.

Primùm itaque liberi parentes seriò & ex animo, ceu deos quosdam tutelares, & εὐεργέτας suos revereri & amare velint; utpote à quibus secundùm Deum usuram vitæ communis acceperunt, quique in lucem ipsos editos, nudos atque infirmos, omnique auxilio destitutos, impensè foverunt, tenerrimè nutrierunt, liberaliter educarunt, nec ullas subterfugerunt curas atq; molestias; non raro quoque suum defraudarunt genium, quò illis necessaria vitæ bene degendæ acquirerent subsidia. Quod & Cic. monet in Orat. post reditum ad senatum; Parentes, inquiens, „charissimos habere debemus, quòd ab his vita, „patrimonium, libertas, civitas tradita est. Nec enim minorem amoris reciprocationem liberi parentibus debent, ut purissimum hunc & tenerrimum amoris radium etiam oculis lædi posse, monstrique instar putandum sit, si quis omni humanitate exutus, eundem extinguere ausit. Verùm ita plerunq; comparatum est, ut, sicut humor de radicibus in herbam ascendens, non revertitur in radices, sed sursum transmittitur in semen; sic & charitas atque amor de parentibus ascendat in filios, de filiis autem non revertatur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt fi-

lios, sed non sic diliguntur à filiis: quia, sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem, sic & homo non ad parentes, se ad procreandos filios transmittit affectum, ut eleganter Chrysostomus scribit in cap. 9. Matth homil. 32. Ista autem amoris vis potissimùm s honore & reverentiâ erga parentes, tam divini & humanis legibus, (Exod. 20. & 21. Lev. 20. Deuteron. c. 5. Prov. 20. & Eph. 6.) quàm jure natura debitâ, exerit, illis occurrendo, assurgendo, sedi & sermonis primatũ cedendo, suam gloriã participando, dignitatem conferendo, optima quæq cupiendo & precando; nec ullo modo eos contemnendo, imò & infirmitates illorum atq; nævo patienter tolerando. *Charitas enim*, ut Apostolus scribit in 1. ad Cor. 13. *magnanima est in perferendo, benigna & lenis in condonando, inconstant levitate non fluctuat, contumaci superbiâ non intumescit, non incitatur ad iram, neq; deniq; quic quam mali cogitat.*

Sic nimirum Salomon Rex (ut ad exempla filialis reverentiæ & honoris erga parentes acce damus) Bethsabæ matri assurrexit, eamque ad oravit: dehinc thronum illi poni, sibique assider à dextris jussit. *Namq; in publicis locis atq; actionibus patrum jura cum filiorum, qui in magistrati sunt, potestate collata, interquiescere quidem paululum debere; sed cùm extra Remp. in vita domestica conversantur, inter filium magistratum, & patrem*

patrem privatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri, Taurus philosophus, etiam Ethnicus, rectè censuit, ut author est Gellius libr. 1. Noct. Attic. c. 2. Sic & Marcus Antoninus Philosophus, in aulicã adoptatus domum, parentibus suis tantam reverentiam, quantam privatus, exhibuit, licet pluribus occuparetur honoribus, in summis obsequiis erga patrem.

Pari modo Carolus IV. Bonnæ prope Coloniam consalutatus Imperator, cum patre Johanne in Bohemiam reversus, non aliter sese gessit, quàm privatus, omnia officia exhibuit, ad nutumque ipsius semper ei præstò fuit, ut Dubravius scribit lib. 21.

Alphonsus, rex Arragonum, cùm peregrè advenienti Ferdinando patri obviam progressus animadvertisset illum lecticâ vectari, valetudine affectum, statim equo desiliit, ut patrem pedibus comitaretur, &, si opus esset, humeris aut cervice etiam sustolleret. Cúmque è lecticâ pater identidem cohortaretur, ut exemplo multorũ procerum juxta adequitantium & ipse equum conscenderet; *Alii*, inquit, *ô pater, quid ad se attineat, ipsi viderint; ego quidem adduci neutiquam potero, quin Regem, quin patrem, & eundem ægrotum pedibus sequar*, teste Panormitâ libr. 2. de rebus ejus gestis.

V. Sertorius, teste Plut. in ejus vita, Româ exul, dicitur patriæ cupiditate flagrasse, potissimùm

matris causâ, à quâ educatus orbus fuerat, c
toto animo erat addictus. A necessariis suis
Hispania ad Imperium vocatus, ad nunciu
mortis matris, profudit penè ex mœrore vitar

Divus Augustinus matrem suam Monica
tum aliâs tum in eo quoque morbo, quo Osti
periit, eâ observantiâ complexus est, ut illa eu
Pii cognomine dignaretur, & cum volupta
commemoraret, *nunquam se audisse ex ore ej*
verbum in se durum, aut contumeliosum, ut ips
met testatur lib. 9. conf. c. 12.

Sic & Carolus Magnus Imperator matre
Bertam religiosissimè observavit, neq; eam, n
in divortio filiæ Desiderii, Regis Longobard
rum, uxoris suæ, ad iram commovit, aliâs sem
veneratus, ut Cuspinianus scribit in Cæsarib

Pari modo Pomponius Atticus, eques R
manus nobilissimus, & familiaris Ciceronis, t
pius in matrem fuit, ut juraverit, cum matre r
nagenariâ se nunquam in gratiam rediisse,
author est Cornelius Nepos apud Volater
num lib. 18. ἀνθρωπολογίας.

Galenus Pergamenus medicus, cùm alibi
pe, tum inprimis in commentario de cognosc
dis curandisque animæ affectibus, patrem su
Niconem non sine magno honoris titulo app
lare solet, ut appareat, nunquam suaviorem
vocem edere visum fuisse, quàm quę parentis
laudes decantaret.

Cajus Martius, Coriolanus postea dictus, (teste Plut. in ejus vita) cùm sæpiùs pugnatum eâ tempestate à Romanis esset, compluraq; gesta bella, ex nullo sine coronâ, vel donis regressus, cùm mater eum Volumnia (Livius Velumā vocat) præ lętitiâ lachrymans complecteretur, summo id sibi honori felicitatique duxit. *Virtutis nimirum gloria aliis finis erat, huic gloria, matris gaudium.* Sic & Epaminondā dixisse perhibent, *nihil sibi accidisse jucundius, quàm quòd genitores sui palmā se duce vivi conspexissent Leuctricam,* ut Plutarchus scribit in libello contra Epicuri sententiam.

Antigonus, Macedoniæ rex, cùm ingenti prælio superasset hostem, præmium belli ad patrem transtulit, & Cypri Imperium illi tradidit.

Sic & Leo II. Imperator Constantinopolitanus, Imperium à Leone primo, avo materno, per manus acceptum, cùm pacatè regeret, otioq; & opibus floreret; Zenoni Isaurico, vitrico suo, sponte tradidit habendum; *indignum* (opinor) *ducens atq; nefarium, imperare, ubi pater privatus ageret,* ait Sabellicus lib.3.c.6.

Sem & Japhet, duo Nohæ filii, cùm patrem ebrium detectis pudendis invenissent, indice Chamo fratre, retrogradientes aversis oculis, pallium ei injecerunt: quam ob causam à patre benedictionem, Chamus verò maledictionem retulêre.

Telecus Spartanus cuidam nuncianti, patrem de ipso malè loqui, Non faceret, respondit, nisi faciendum hoc illi esset. *Maluit nimirum in se transferre culpam, quàm patrem mendacii aut temeritatis arguere*, teste Plut. in Lacon. *Neutiquam enim gloriandū in contumelia patris, utpote quæ in ignominiam & dedecus, non in honorem, cedit filio*, teste Siracide Eccles. cap. 3. & Cic. pro Cluentio, *non modò reticere homines parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre oportet*. Hinc rectè Publius Mimus:

Ames parentem, si æquus est;
Si aliter, feras.

Imò & senectæ maternæ ferenda, non culpanda morositas, quod Salomō Prov. 23. monet.

Obedientia filialis, quæ altera species est pietatis liberorum, piis parentum monitis & consiliis, tanquam ab ipso Deo profectis, morem gerit, jussa alaciter expedit, reprehensionibus etiā sese emendari patitur; idque exemplo Christi, qui, ut nobis obedientiæ præberet documentum, parentum obsequio subdi voluit, Luc. c. 1. Exemplo item Isaaci, Abrahamo patri usque ad mortem morigeri, Gen 22. Jacobi, matris consilio Esavo fratri jus primogenituræ, & patris benedictionem præripientis; ejusdem item jussu in Mesopotamiam ad Labanum avunculum profecti, unde 20. anno pòst, uxoribus, liberis, & opibus auctus domum rediit: Josephi ad fratres,

quamvis

quamvis ſibi propter delationem infenſos,ablegati,Gen.27. Davidis jam in Regem uncti,1. Regum 17. Tobiæ junioris, qui,auditis paternis exhortationibus, in omnibus promptè obediit, Tob.c 5. Rechabitarum,qui cùm metu Nabuchodonoſoris Hieroſolymam confugiſſent,à Jeremiâ propheta in templum,jubente Domino, introducti,vinum bibere renuerunt,quòd à patre Jonadabo,Rechabi filio,prohibiti fuiſſent bibere vinum, domum conſtruere, ſementem facere,vineam plantare,ſed in tabernaculis degere per omnem vitam, ut diu viverent in terra: Septem denique fratrum martyrũ pro patriâ lege, impavidè matre ipſos identidem ſtimulante,occumbentium, 2.Mac.7. Sic & Coriolanus, vir de Rep.Rom. optimè meritus, iniquiſſimæ damnationis ruinâ proſtratus, apud Volſcos, ad quos exul confugerat, brevi ſummum adeptus imperium, cùm, frequenter fuſis Romanorum exercitibus, victoriarum ſuarũ gradibus aditum juxta urbis mœnia Volſco militi ſtruxiſſet,(*anno Mundi 3485.*) matris tandem precibus cedens, urbis Romę obſidionem ſolvit,teſte Livio dec.1. lib.2. & Val.Max.lib.5.c.4.

Childebertus & Clotharius, Francorum Reges, cùm de regni poſſeſſione inter ſe armis disceptarent, jamque acie eſſent dimicaturi, Crotochildis matris interventu primò ferrum inhibuêre,maternis precibus & lachrymis moti;inde

non solùm prælio abstinuerunt, sed concordes facti, mutuò se complexi sunt, ut author est Sabellicus lib.3.c.6. & Egnatius lib.5.c.4.

Ferdinandum, Regem Neapolitanorum, dicere solitum scribit Pontanus lib.2.c.3. de obed. *Nullam se, patre vivo, neq; majorem, neq; parem illis cepisse voluptatibus, quas ipse caperet, cùm patris consilium cogitatione prævisum, operâ anticipasset: Contrà nil sibi neq; gravius, neq; existimatione suâ indignius solitū accidere, quàm cum majorum rerum occupationibus impeditus, patri adesse non possit.* Obtemperare autem liberi parentibus triplici tenentur obligatione: 1. propter conscientiam, quia Domini Dei edictum est; *Honora patrem tuum, & matrem tuā,* Deut.c.5. Deinde propter promissiones vitæ longævæ & felicis in terra; hoc nempe præceptum primum est, inquit Apostolus ad Eph.6. quod habet promissionem, *ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Denique ob interminationem mortis superventuræ contumacibus, utpote quibus divinam maledictionē ex ore Dei denunciat Moses Deut.c.27. Non tamen in omnibus liberos decet obsecundare parentibus, sed tantùm in iis, quæ verbum Dei & publica honestas permittit; non si turpia & noxia præcipiant, aut honesta & salutaria prohibeant. Semper enim legi divinæ, & rectæ rationi magis, quàm parentibus obtemperandum; &, ut Augustinus in quodam sermone

ſermone loquitur, *amandus quidem eſt genitor, ſed præponendus eſt creator.* Hinc rectè Acrotatus apud Plut. in Lacon. poſtulantibus ab eo parentibus, ut quadam in re iniqua efficienda ipſis eſſet prẹſtò, cùm aliquamdiu verbis repugnaſſet, graviùs urgentibus reſpondit: *Quamdiu vobiscum vixi, nullam habui juſtitiæ notitiam, ſed poſtquam me patriæ ejuſq; legibus tradidiſtis, & ad juſtitiam honeſtatemq; pro viribus facultatibusq; veſtris erudiiſtis, conabor his potiùs, quàm vobis obſequi. Ac quoniam vultis me optima agere; optimum autẽ eſt cùm privato, tum multò magis Principi, id quod eſt juſtum, agam quæ vultis, quæ verò dicitis, detrectabo.* Verùm ſi pater quod jubet, mater prohibeat; hujúsne interdicto, an illius mandato parebit filius? reſpondeo: maritus caput eſt uxoris, ac proinde in tali caſu potior conditio & dignitas, ampliorque poteſtas patris, ſi, quod Dei verbo adverſetur, imperet mater, qui in præcepto iſto, *honora patrem & matrem*, præcedit, ac ſuperior eſt prærogativâ quâdam; mater verò tanquam inferior & ſuccenturiata ſequitur. Ubi autem nulla voluntatum patris & matris diſcrepantia eſt, & uterq; Deo placentia præcipit, æqua utriq; deferri debet à liberis reverentia.

Gratitudo denique filialis parentibus ſenio vel morbo confectis, aut quoties uſus & neceſſitas poſtulant, vicem beneficentiẹ reddere, & tam

facto,

facto, quàm animo demonstrare satagit, subministrando eis alimenta, calamitosos non deserendo, subveniendo, juvando, defendendo, liberando; imò & morte suâ vitam illorũ redimendo. *Quod genus debitorum* Plato lib.4.& 11. de legibus *esse primum, antiquissimum & augustissimum* affirmat, *quo liberi parentibus sunt obligati, nec vitium ullum esse turpius, quàm parentes negligere.* Solonis legibus liberi, nisi infamiâ notari vellent, parentes inopes alere, & *ἀντιπελαργεῖν* cogebantur; quod & jure Romano cautum est. Quem in modum & Cicero scribit de responsis Aruspicum; *Parentibus nos primùm natura conciliat, quos non alere, nefarium est.* Et Salomon Prov.28. *Qui diripiens patrem suum, & matrem suam, dicit, non est defectio, socius est viro interfectorio*, h.e. qui filius patri seni invalido, quẽ alere ex lege naturæ, à ciconiis sumptâ, tenetur (ut testatur Ambros. lib.5. Exa.c.6.) non solùm nõ suggerit cibum, sed etiã, quem habet, adimit; & insuper, nullum pati patrem suum defectum, profiteri audet, is dignus est, qui moriatur.

Species enim est parricidii, juxta illud, *Occidisti, si non pavisti, aut pastum subtraxisti.* Meritò igitur Cimonis filia laudatur, quòd patrem fame necandum propriis mammillis aluerit, ut narrat Plinius lib.7.c.37. & Val.Max.lib.5.c.4.

Et rectè Menander; *Alas parentes, si senes; vives diu.* Quoniam ergo *in parentes collata beneficia*

neficia nunquam oblivioni tradit Deus, teste Siracide c.3. ideo liberi nõ tantùm sint γηροβόσκοι, parentum in senectute nutritores, sed etiam eorundem custodes, defensores & adjutores, præsertim ubi effœti & debiles facti fuerint, aliaque eis θρεπτήρια, hoc est, debita nutritionis præmia summâ cum benevolentiâ & alacritate persolvant. Sic nimirum David, fugiens conspectum Sauli in maximâ afflictione, suorum tamen parentum curam semper habuit, & diligenter eos Regi Moabitarum recommendavit, 1. Reg. 22.

Macrobius lib. 1. Saturn. c. 6. author est; Corneliũ Scipionis cognomen apud Romanos meruisse, quòd patrem decrepitum & cæcum pro baculo regere fuerit solitus. Hujus exemplo superiori quoque seculo baculi, in ducendo ac sustinendo patre decrepito, vicem obiit Casimirus, Marchio Brandeburgicus.

Antonius Grimanus, Turcico bello Venetæ classis Imperator creatus, abrogato imperio, Venetias revocatus, carceri est mancipatus (*an. Christi 1502.*) Cardinalis hujus filius illi juxta carcerem occurrens; Ego, inquit, pater, pro te tuâque salute in publica vincula me conjiciam, nec priùs inde discedam, quàm audiero, te publico absolutum judicio. Cæterùm à patre publicorum ministrorum operâ divulsus, petebat ab illis, ut se filium patri in carcere adjungerent, cui ipse inservire posset. Sed cùm non multò pòst

majoris consilii judicio in exilium relegatus esset, Romæ à filio sic exceptus fuit, ut beatum ac felicem esse patrem dicerent, qui talem filium haberet. Mox in patriam restitutus, procuratorq; divi Marci iterum creatus, quod nulli unquam antè contigerat, tandem quoque in Lauretani locum Dux est electus, ut Egnatius scribit lib.5.c.4.

Sic & olim Cimon Atheniensis, ut Miltiadem patrem publicè damnatum vinculis eximeret, ultrò se carceribus obtulit, mortem lubens oppetiturus, modò patrem à periculo servaret, ut Sabellicus refert lib.3.c.6. ex Justini lib.2. Probo & Plutarcho.

Cùm Demetrius Polyorcetes, Asiæ & Macedoniæ Rex, à Seleuco, Syriæ Rege, esset captus, per amicum filio Antigono Jonadi mandavit, ne curaret, si quid scriberet à Seleuco compulsus, neque civitates illi cederet. At filius ultrò scripsit ad Seleucum, cedens illi totā ditionem, seq; obsidem offerens, si Demetrius pater liberaretur, teste Plut. in Reg. apoph. *Hîc* (inquit Sabellicus lib.8. Ennead.4) *pietas cum pietate certabat.* Pater sui negligens volebat parci filio, filiiq; regno; filius contrà patris libertatem & regno & seipso potiorem habuit. Ad hujusmodi pietatis certamen Seneca lib 3. de beneficiis cap.36. & 37. liberos cohortatur exemplo Æneæ, patrem Anchisen ex excidio Trojano humeris suis efferentis,

rentis, de quâ historiâ lege Virgilium Æneidos 2. Quintum Calabrum lib. 13. Xenoph. in Cynogetico; exemplo item fratrum duorum Amphidonii & Anapiæ, qui, cùm Cattanen, Siciliæ urbem, ex proximâ Ætnâ flamma corripuisset, nullâ vel argenti vel auri habitâ ratione fugientes, matrem hic, patrem ille humeris sustulerunt, de quo vide Pausaniam Phocicis, Virg. in Ætna, Plutarch. in orat. ad Apollonium. Ælianum lib. 3. variæ historiæ. His autem liberos verbis Seneca ad referendã parentibus gratiam extimulat: Hoc agite, optimi juvenes, proposita est inter parentes & liberos honesta contentio; *dederint majora, an receperint.* Non ideo vicerunt, quia occupaverunt; sumite modò animum, qualem decet, & deficere nolite, ut vincatis optantes; nec desunt tam pulchro certamini Duces, qui ad similia vos cohortentur, ac per vestigia sua ire, ad victoriam sæpe jam partam ex parentibus, jubeant. Vicit Æneas patrem ipse, cujus infantia, leve tutumq; gestamen, gravem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se urbis ruinas, ferens, cùm complexus sacra ac penates deos, religiosus senex nõ simplici vadentem sarcina premeret, tulit illum per ignes; & quid non pietas potest? pertulit, colendumq; inter conditores Romani Imperii posuit. Vicêre Siculi juvenes, cùm Ætna majore vi peragitata, in urbes, in agros, in magnam insulæ par-

tem effudisset incendiũ, vexerunt parentes suos disſediſſe creditum eſt ignes, & utrique flammâ recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent juvenes digniſſimi, qui magna tutè auderent. Alia ex aliis exempla ſubeunt eorum, qui parentes ſuos periculis eripuerunt. Atys Crœſi, Lydorum Regis filius, mutus à primâ ætate, cùm Cyrus, Perſarum Rex *(an. M. 3425.)* Sardas, Aſiæ oppidum, intraſſet, ut omnes, quotquot adeſſent, interficeret; altâ voce (pietate in patrem unicè motus) acclamaſſe dicitur; *Parce patri meo, Cyre, & te hominem eſſe, vel caſibus noſtris diſce.* Vide Solinum c. 7. Gellium lib. 5. cap. 9. Herod. lib. 1. Juſtinum lib. 1. & Val. Max. lib. 5. c. 4. ubi inter alia exemplum quoq; Publii Scipionis Africani ſuperioris allegans, hanc ipſam in parentes pietatẽ viribus ſuis Africanum, vix tum annos pueriliatis egreſſum, ad opem patri in acie ferendam, virili robore armaſſe ſcribit; quippe quem conſulem, apud Ticinum Fluvium adverſis auſpiciis cum Hannibale pugnantem, graviter ſaucium interceſſu ſuo ſervavit, neq; illum aut ætatis infirmitas, aut militiæ tyrocinium, aut infelicis prælii etiam veterano bellatori pertimeſcendus exitus inter bella revocavit, quò minùs duplici gloriâ conſpicuam coronam, Imperatore ſimul & patre ex ipsâ morte rapto, mereretur. Hoc exemplum quodammodo imitatus Titus Cæſar, Veſpaſianum patrem, in Britannia

à Bar-

à Barbaris obsessum, itidem incredibili audaciâ obsidione istâ liberavit, hostibus fusis cæsisque, ut author est Xiphilinus in Claudio.

Sic &, cùm Aitanus, Scotorum rex, à Pyttis & Saxonibus in acie circumventus esset, ad Deglastonem Britanniæ urbem, Dongardus patrem in ultimo periculo constitutum cernens, se pro eo trucidandum objecit, teste Hectore Boëtio lib. 9.

Pari modo Antonius Maria, Roberti, qui Venetorum exercitum contra Maximilianum primum duxit, filius, ubi patrem à Germanis circumventum vidit, in confertissimam hostium aciem se injecit, fortissiméque pugnans, aciemq; submovens, patri se recipiendi facultatem præbuit; ipse in hostium potestatem venit, reliqui fugati, paucis captis atque interfectis, se in castra receperunt, teste Bembo lib. 1. hist. Venetæ.

Et profectò par est, eò lubentiùs & alacriùs naturæ nos reddere, quod accepimus; nimirum vitam eorum conservare tutariq;, qui nobis autores vitæ fuerunt, *& quò nobilior est nostra conditio, eò paratior debet esse affectus ad humanæ vitæ officia obeunda, & pietatem omnem exercendam.*

Prima siquidem & optima rerum natura, ut Val. Max. loquitur lib. 5. c. 4. pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo usu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus charitatem

parentum pectoribus liberorum infundit. Hujusmodi pietatis in progenitores, & gratitudinis simulacra, in avibus quoque nonnullis eadem natura implantavit, & nonnulla quoque bruta animantia gratitudinis parentibus debitæ sensu ducuntur. Ciconiæ nimirum parentes effœtos humeris ad pastum subvehunt & alunt. Sic & upupa parentes senio confectos, volandique inertes sedulò curat, pennas vetustate languidas evellit, & cæcutientes oculos herbâ quâdā illinit; unde viribus resumptis quasi rejuvenescunt. Merops quoque, postquam sedulò pullos suos enutriit, in specu sex pedum defossâ altitudine nidificare consuevit, ipsa ob corporis gravitatem sublimia petere prohibetur; mutuū autem nutricationis officium à pullis recipit, qui genitores reconditos, magnâ curâ pascunt, teste Plinio lib.20.c.33. Horum itaq; omnium exemplo liberi, quanquā beneficia à parentibus accepta nunquam perfectè compensare ac retaliare possint, ἀντιπελαργεῖν discant, suisque progenitoribus beneficium rependere, norintque, *nihil esse justius, quàm generationis & disciplinæ authores mutuis beneficiis demereri*, quod Anaximedes olim dixit, citante Stobęo sermone 77. utpote quibus non solùm hominum amorem & favorem, verùm etiam gratiā & benedictionem divinam sibi conciliabit. Namq;, ut rectè Euripides ait in Heraclit.

Quisquis

Quisquis parentes in vita colit suos,
Hic charus est diis vivus atq; mortuus.

Econtrà, qui hujusmodi officia negligunt, & aut parentum vultus torvo visu despicientes, elatis oculis pietatem lædunt, aut alimenta eis denegant, aut etiam vitæ illorum struunt insidias, aut deniq; vim illis inferunt, eos certè & summè scelestos & furiis agitatos, omniumque odio & execratione esse dignos, æstimare licet, nec maledictionem & ultionem divinam unquam effugiunt. Sic nimirum Darius, vitæ patris Artaxerxis, Persarum Regis, insidiatus, pœnas inauspicatissimi hujus parricidii cum complicibus numini paternæ majestatis ultori dedit. Revocatis quoque ad supplicium infelicibus liberis & uxoribus, ne tam abominandi sceleris ullũ prorsus vestigium extaret, teste Justino libr. 10. & Plut. in Artax. Absolon Davidem patrem regno expulerat, fugientemque armatâ manu diligentiùs, quàm vel infensissimum hostem persecutus, non conquievit, quoad omnia indicia & argumenta hominis, omnis pietatis & humanitatis expertis, palàm ederet. Et hunc Deus, paternæ majestatis ultor, mirandum in modum ad suppliciũ traxit; splendidâ & superbâ ejus cæsarie usus pro funibus, catenis, compedibus & vinculis, quibus perduellionis reum constringeret, & ramis arboris densissimæ, quibus capilli ejus implicabantur, pro carcere & lictoribus suis; cumque in populo

Israëlitico nullus inveniretur carnifex, regium sanguinem fusurus; excitavit Deus Joabum, hujus amitinum, qui Dei manus factus, tribus lanceis impium illius cor trajecit, 2. Reg. 15. & 18.

Absolonis exemplo Chranus Clotarii Francorum Regis filius, in patrem cum Velisario, Aquitaniæ Duce, & Conabo, Britannorum Comite, socero suo, conspirans, prælio ab ipso captus, cumque uxore, & quatuor filiabus in tugurio quodam inclusus, igne est consumptus, teste Gregorio Turonensi lib. 4. c. 16. & 20.

Sed nec silentio prætereunda execranda ista ἀστοργία, & miserabilis interitus Adolphi Egmondani, Ducis Geldriæ, qui patris Arnoldi longævam vitam ægerrimè ferens, pertractis in suas partes Neomagensibus, aliisque Geldriæ civitatibus ac nobilibus, in caput ejus conjuravit; tandemque noctu cùm quieti se daturus esset, acerrimâ hyeme Gravæ captum, perque quinque milliaria seminudum absque calceis deductum, Neomagi in deterrimum obscurissimumque detrusit carcerem, ex quo post 6. demum annum operâ Caroli Burgundi liberatus, cum moriens heredē instituit ob filii ingratitudinem, qui tum captivus tenebatur Namurti à Carolo Burgundo, quo in obsidione Nanzæi Castri ab Helvetiis trucidato, à Gandavensibus ex carcere liberatus, copiisque bellicis, quas contra Ludovicum XI. Galliç Regem Flandri conscripserant, præfectus

paulò

paulò pòst ad Tornacum cum paucis ſpeculatum egreſſus, levi in pugnâ cecidit, inq; minutas partes eſt disſectus, ultore & vindice Deo, qui ſcelus nullum ſinit impunitũ, ut author eſt Cominæus lib. 5. de rebus geſtis Ludovici XI. Regis Galliæ.

Plura exempla ἀστοργίας & ingratitudinis liberorum erga parentes divinitus punitæ, require in axiomate Richteri œconomico 37. Quàm verò ultrice pœnâ, per omne tẽpus proſecutus ſit Deus parricidas, notũ eſt exemplis; Serviæ Tulliæ, quæ ſuper parentis cadaver carpentum egit; Neronis, qui Agrippinę matris, ſuo juſſu confoſſæ, ſingula membra impudenter contrectavit; Vitellii, qui matrem Sextiliam ſuſtulit; Theodati, Athalarici filii, qui matrem in balneo ſuffocavit; Manfredi, Friderici II. Imperatoris ſpurii, qui pulvino ſenem ægrumque patrem oppreſſit, ut Neapolitanum regnũ occùparet; Actii, Marchionis Eſthenſis, qui ſimiliter Opizum patrem in lecto jacentem oppreſſit, ut paternas opes & principatus occuparet; Johannis Mariæ, Vice-comitis Mediolanenſis, qui Catharinam matrem viduam, facta ſua acerbiùs objurgantem, in turri concluſit, ibidemque emori fecit; Jacobi IV. Regis Scotorum, qui ſuis & quorundam ſeditioſorum procerum armis patrem oppugnatum vitâ & regno exuit; Selimi, Tur-

carum tyranni, qui Bajazetem, ex podagrâ decumbentem, veneno per medicum Judæum clanculùm porrecto, perfidè sustulit; & aliorum complurium scelestissimorum monstrorum, in quos nullum supplicium satis acre reperiri unquam potest; quandoquidem nullum scelus parricidio comparandum venit, quia nemo est, cui plus honoris debeamus, quàm parentibus, pro quibus mori filios, res si postularet, jura divina atque humana flagitant.

FLOS VII.

Parentum diræ liberorum sunt furiæ.

QUemadmodum bona parentum vota atque omina liberis salutaria sunt, magnumq́; iis pondus inest, ut in Isaaco, Jacobo, ejusq́ue filiis, itemque in Tobia videre est: ita quoque eorundem diræ atque execrationes rarò solent esse irritæ, sed plerunque tristes liberis calamitates accersunt. Quod Siracides quoq; in suo docet Ecclesiastico cap. 3. *Benedictio paterna domos liberorum ædificat, at maledictio materna funditus eas evertit.* Quo aphorismo monet, diras atq; execrationes parentum magnopere esse metuendas, utpote quæ furiæ sint ultrices inobedientiæ & petulantiæ contumacium liberórum, exigentes ab iis pœnas. Quem in modum & Plato in lib.

de ll.

de ll. attendi jubet parentum execrationes atque vota, quòd à Deo facilè exaudiantur; quemadmodum in Germanico quoque proverbio dici solet; Der Eltern fluch bekleibet selten. Exemplo est Camus, à Noâ patre diris devotus ob pudenda ipsius denudata & irrisa. Nam & Deus ipse apud Ezech. cap. 22. inter cætera scelera, quæ excidio & ferro se ulturum minatur, parentibus illatam contumeliam recenset; Patrem, inquiens, & matrem contumeliâ affecerunt, pudenda patris discooperuerunt. Efficaciam irarum paternarum senserunt quoque filii Jacobi. Etenim Rubeni stirps numero semper exigua, viribusq; minùs potens fuit cæteris. Simeonis verò stirps exiguam sortem in tribu Juda excepit; Levi denique stirps dispersa est inter omnes tribus; quòd ille incestu torum patris inquinaverat, hi verò suâ confœderatione horrendum scelus in Sichemitarum internecione designaverant. Parentum in liberos devotiones nō esse irritas, docet quoq; Timoleontis historia apud Plut. in ejus vita, & Diodor. Sicul. lib. 16. Hic cùm fratrem suum Timophanem, Corinthiorum tyrannum, sicariis subornatis trucidandum curasset, mater devovere ipsius caput, dirasque imprecari cœpit, nec in conspectum suum deinceps admisit: unde ille dolore oppressus, seipsum inediâ conficere instituit.

Cùm Alphonsus, cognomento Astrologus,

Rex Castulonensis, Ferdinando majori filio, ejusque liberis, excluso fratre minore Sanctio, successionem regni destinasset, isq; superstitibus duob. ex se filiis, paulò pôst decessisset; Sanctius, ne morte quidē patris exspectatâ, regnū invasit, turbasq; excitavit. Alphonsus furiali eū carmine devovens, & jure paterno maledicens, hac execratione non solùm apud subditos effecit, ut adversus filiū socia arma sumerent, sed & breviore vitâ à Deo punitus est, utpote qui patri tantùm octo annis superstes fuit, teste Æmilio libr. 7. Plura exempla dirarum paternarum in filios, require in meditationum historicarum Camerarii tom. 1. c. 86. & tom. 3. c. 36. Quibus addere placet execrationis illam formulam Popieli primi, Polonorum Principis; *Nisi hoc sit, à muribus devorer.* Cujus filius homonymus, in regno successor, ob crudelitatem in proceres, à muribus cum uxore & liberis devoratus traditur, teste Alexandro Gaguino in vitis Regum Polonię. Quo exemplo monemur, etiam suiipsius imprecationes esse vitandas; quemadmodum & oppressorum, & sacerdotum, aliorumque piorum hominum imprecationes non esse irritas, notum exemplo Jothami, Gideonis filiorū natu minimi, qui solus è 70. fratribus Abimelechi, fratris spurii, sceleratas evasit manus, Judic. c. 9. itemq; Davidis regis, Joabo polemarcho suo, ejusque domui, dira imprecantis, 2. Reg. 3. Josuæ, Hierichuntis

chuntis instauratori imprecantis, ut nece primogeniti sui jaciat fundamenta, & morte minimi natu filii ejus portas, Jos. c. 9. Cujus execrationis virtutem declaravit eventus post annos fermè 536. in Hiele, cive Bethelensi, 1. Reg. 16.

FLOS VIII.

Heroum filii, noxæ.

PErmultum quidem refert, cùm ad virtutem, tum ad dignitatem comparandam, quo quis genere, quibus parentibus & majoribus sit prognatus; utpote in quorum virtute vis quædam admirabilis & occulta inest propagãdæ, & instirpem quasi derivandæ virtutis. Hinc Plato Charmidam laudaturus, felicissimo eum cõjugio, virtute, decoreq; præcellenti prognatum prædicat. Quem in modũ & Horatius lib 4. Carm. Od. 4. *Fortes creantur fortibus & bonis.* Sed communis testatur experientia, quàm sæpe parentum virtus in liberis aut degeneret, aut segnescat, aut languescat, aut prorsus intereat; & quàm stupidi & fatui, aut etiam scelerati & perditi non rarò evadant virorum, virtute, eruditione & sapientiâ præstantissimorum, filii, qui ad extremum ab omni re & spe deserti, vitam producunt miseram, omnium odiis expositam, omniumque injuriis obnoxiam; adeò ut in proverbium abierit, *Heroum filii, noxa.* Notum hoc ex sacrâ historiâ,

exemplis, Adami, qui Cainum parricidam, patriæque religionis desertorem genuit; Noæ, qui Camum ad suæ nuditatis ignominiam suscepit; Isaaci, qui Esau parentum carnificem, fratrisque juratum hostem protulit; Jacobi, qui Rubenem incestuosum, Simeonem & Levi homicidas, & hos ipsos cum cæteris ferè omnibus fratribus plagiarios habuit: Mosis, qui filios obscuros & inertes proseminavit: Heli, qui pessimos filios in bello Philistino amisit: Samuelis, qui filiorum injuriis & avaritiâ propè coactus est, Israëlitis, aliarum gentium more, Regem dare: Davidis, cujus ædes Amnon incestâ sororis consuetudine polluit: Absolon fraterno sanguine respersit, ipsumque patrem parricidiali bello petitum, regno exuit, & novercas constupravit; Adonias denique stultâ regnandi cupiditate coronam fratri præripere, per seditionem conatus est: Salomonis, qui Roboamum stolidissimum & arrogantissimum regni successorem reliquit: Josaphati, qui Joramum fratricidam: Ezechiæ, qui Manassem, omnis barbarorum populorum impietatis æmulatorem: Josiæ denique, qui tres filios idololatras turpissimos & infelicissimos habuit. Patet hoc quoque ex profanis historiis, è quibus paucula exempla in scenam producere, operæ pretium videtur. Cyrus Persicæ Monarchiæ conditor, Ecclesiæ populi Judaici in sedes patrias restitutor, nulli propè Regum vel pietate, vel cle-

vel clementiâ, vel potentiâ secundus, Cambysem habuit filium scelestissimum, qui se & incestis cum sorore nuptiis, ejusdemque ut & fratris parricidio polluit. In Atheniensium Rep. Pericles eloquentiâ & magnanimitate, Aristides justitiâ & moderatione, Themistocles prudentiâ & fortitudine inter alios principem tenuêre locum; ex his primus Paralum & Xantippum, stupidos & fatuos; medius Lysimachum inertem & obscurum; postremus Cleophantum, bonum quidem equitem, at cætera inertem & degenerem reliquit. Geloni Syracusano, singulari virtute atq; bellicis artibus claro, & magnâ apud Siculos gratiâ & authoritate florenti, in regno successit Hiero filiorum natu major, avarus, ferox, ad vim paratus, & à puritate & honesto penitus alienus, teste Diod. Sicul. lib. 11. Quomodo à paternis avitisque virtutibus degenerarint Cneus Scipio, Africani majoris, & Q. Fabius Allobrogici, filii; iteq; P. Clodius, & M. Hortensius Cordius, lege Val. Max. lib. 3. c. 5. Consimilis mutatio in domo Curionum extitit, inquit idem lib. 9. c. 1. Siquidem forum Romanum, & patris Curionis gravissimum supercilium, & filii sexcenties sestertiûm æris alieni aspexit contractum, famosâ injuriâ nobilium juvenum; *itaq; eodem tempore, & in iisdem penatibus diversa secula habitarunt, frugalissimum alterum, alterum nequissimum.*

De M. Cicerone, Tullii, eloquentiæ parentis

Romanæ filio, refert Plinius lib. 14. c. 22. quòd ita fuerit bibulus, ut uno haustu potuerit evacuare duos congos, & temulentus M. Agrippæ, viro gravissimo, cyathum impegerit; *unde dictus fuit bicongius, & κυπελλόμαχος*, cùm tamen pater ipsius fuerit abstinentissimus. Augustum Cæsarem, qui civilium bellorum incendia feliciter restinxit, pacemque toti Imperio Romano restituit, domestica in liberis fortuna planè destituit, utpote qui sobolem masculam omnino nullam procreavit: Julias duas, filiam & neptem, projectissimæ pudicitiæ mulierculas, & nepotem Agrippam, adolescentem ingenio sordido & intractabili, non modò relegavit, sed & *tria carcinomata sua, & tres vomicas* appellare non erubuit, & ad horũ mentionem cum gemitu & fremitu versum proferre Homericum; *O utinam aut cælebs mansissem, aut prole carerem!*

Drusi, viri prudentissimi, Ducis fortissimi, Germanorum debellatoris fortunatissimi, filius, Claudius Cæsar, hebes fuit & stolidus, iners & ignavus, invisus subditis, odiosus exteris, despectus universis, in quo Imperatoria dignitas planè concidit.

Germanicus, Claudii Cęsaris frater, quantum animi vigore, prudentiâ, atq; morum honestate præstitit, tantum Caligula filius animi ignaviâ, libidinibus atque stultitiâ ab eo degeneravit. Defunctum Germanicum, non Romanus tantùm populus,

populus, amicæque gentes, sed Barbari quoque lachrymis, ceu communem parentem, prosecuti sunt. At filius Caligula ob scelera ne publicâ quidē sepulturâ dignus est judicatus, ut ex Suetonio memorat Fulgosus lib.3.c.5.

Domitianus, Vespasiani Cæsaris filius, frater Titi, à paternâ virtute ita degeneravit, ut Caligulæ & Neroni similior esset, quàm patri aut fratri. Quid Marco Antonino philosopho Imperatore beatius? quid Septimio Severo illustrius? si non ille Commodum omnibus incommodum, hic Bassianum Caracallam, fratris parricidam, Papiniani homicidam, novercæ maritum, filios suos hæredes reliquissent? Carus Imperator, qui, animo ingenti finibus auctis, singulari sanctitate populos rexerat, Carinum filium Imperii successorem habuit, moribus adeò patri dissimilem, ut pater eum & Imperio & vitâ privaturus fuisset, nisi iniqua nimis Romani Imperii fortuna hæc animo agitantem Carum repentinâ morte intercepisset.

Constantini Magni filii tantùm à paternâ indole in omni genere laudis atque officii recesserunt, quàm ille superiores Principes omnes pietate animique magnitudine superavit. Neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior; Constante, ad indecoras voluptates proclivior; Constantio aut levior, aut ad arrogantiam intolerabilior fuit.

Theodosius Magnus, Imperator felicissimus & fortissimus, filios duos habuit admodũ ignavos, Honorium Occidentis, & Arcadium Orientis, Imperatores, quorum desidiâ simul & hinc Ruffini, illinc Stiliconis ducum perfidiâ, Imperium à Gothis, Hunnis, Vandalis fœdè dilaceratum est.

Alexander Imperator, filius Basilii, frater Leonis Quinti, cui in Imperio successit, utrique tamen moribus dissimilis, totus deliciis deditus, venationibus, potationibus, petulantiæ, impudicitiæ indulsit; nihil regium meditans, regni curam in adulatores, præstigiatores, & eos, quos ex trivio sibi delegerat, scelerum comites, rejecit.

Ferquardus, Eugenii IV. Scotorum Regis filius, à paternâ æquitate multum diversus, cùm factiones inter proceres suæ securitatis causâ foveret; tandem in vincula conjectus, & morbis variis divexatus, ne tantis calamitatibus diutiùs superesset in contumeliam, mortem sibi intulit, *ut, qui seditionibus civiumq; cædibus vivens impiè fuerat delectatus, neq; sibiipsi in vita exitu parceret*, ut scribit Hector Boëtius lib. 9.

Wenceslaus V. Bohemorum Rex, nomine patris similis, moribus dissimilimus, luxuriæ & luxus mancipium; Olomutii in Moravia, in privatis ædibus, incerto authore confossus interiit, teste Æneâ Sylvio c. 29. hist. Bohem.

Casimiro, ex Monacho Regi Poloniæ, Boleslaus

laus filius successit, à patris virtute degenerans, religionis contemptor, justitiæ negligens, sancti Stanislai, Archiepiscopi Cracoviensi homicida nefarius, in exilio tandem periit, ut Crantzius scribit lib.3. Vandal.c.12.

Johannes Galeacius, qui Mediolanensis ducatus titulum primus adeptus est, suis charus, hostibus formidolosus, magnam Italiæ partem possedit, quam ingenti virtute & gloriâ comparaverat, inter filios, quos reliquit, Johannes Maria in Ducatu ipsi succedens, Phalaride ipso crudelior, à suis est occisus. Gabriel spurius haud amentiâ dispar, amissis Pisis, quas possidebat, Genuæ securi palàm est percussus, teste Fulgoso lib.3. c.5.

Sic & Franciscus Sfortia, Mediolanensis Dux, omni virtutis genere inter Christianos Principes excelluit; at inter filios natu major Galeacius ambitiosus, mulierosus, indignus tanto patre: in Philippo, qui secundus fuit, si corpulentiæ, quam in juventâ præ se tulit, par ingenium fuisset, de ejus vecordiâ concitati rumores dicendi minorem materiam præbuissent. Ludovicus deniq; religionis simulator egregius, superbus, avarus, libidinosus, partum armis à patre Imperium à Ludovico duodecimo, Gallorum Rege, licet ipse numero militum superior esset, victus, amisit; eodem teste Fulgoso, & Egnatio libr.3. cap.5.

Porrò ἀνομαλίας hujus causæ, quî nimirum fiat, quòd parentes optimi pessimos, sapientissimi stultissimos, felicissimi miserrimos suscipiant, & relinquant liberos, referri possunt partim ad Dei Opt. Max. providentiã & justitiam, quarum illa ad ea omnia pertinet, quę ambitu & circuitu mundi continentur; hæc ab hominibus rectè facta præmiis ornat, secus acta, pœnis gravissimis vindicat: partim ad Diaboli insidias, partim denique ad hominum negligentem & præposteram educationem, pravorum consortium, & insolentiam in rebus secundis.

Primùm nempe Deus, qui in hoc amplissimo mundi theatro pręter seipsum nihil esse vult perpetuum, firmum, stabile, immutabile, ejusmodi semper dare solet ludos, ut, quæ vix edita sunt, subitò intereant; quæ jam surrexêre, corruãt; quę paululum floruêre, marcescant & tabescãt. Hinc videmus, totum hunc mundum, quem pulcherrimum Dei opus esse, gentiles quoq; profitentur, situm contrahere & senescere, suas quoq; regionibus, gentibus, imperiis mutationes incumbere, omniaque in hunc fatalem nascendi pereundique gyrum abire. Quid igitur mirum, si singulæ quoque familiæ in hanc labem trahantur, si familiæ nobiles occidant, ignobiliores oriantur; si potentes concidant, tenuiores extollantur? Utrumque tum demum fieri certum est, quando boni improbos, & improbi bonos sortiuntur liberos;

beros; quem ſanè ludum in rebus humanis ludit Deus, & ex hac argillâ varias ſubinde fingit & diffingit formas, neque tamen injuriæ aut culpæ ullius à quoquam inſimulari poteſt. Agit enim vigilantem hortulanum Deus, & alias plantas ſerit, inſerit, transfert, alit, auget; alias decerpit, evellit, exſcindit: agit idem peritum medicum, qui aſſiduò mel abſynthio, & abſynthiũ melle temperat, ne vel illius dulcedo noxam, vel hujus amaror nauſeam ſumentibus afferat; agit deniq; circumſpectum Imperatorem, qui non eoſdem ſemper duces, tribunos, centuriones ſuis in caſtris eſſe ſinit; ſed quos olim evexerat, nunc deprimit; quos depreſſerat, extollit. Documento ſit è multis Moſes, qui olim paſtor, Hebræum populum durâ cervice ſeditionibusque infamem rexit, magnisq; contentionibus perpetuum fratri ejusque poſteritati reliquit ſacerdotium; & tamen Eleazarem & Gerſon filios, juxta legem ex ſe ortos, in ſuæ dignitatis ſucceſſione præteriit; utpote in quibus nec ingenium, nec ullum intuitus eſt virtutis genus, quod tantò poſſet oneri ſufficere. Hinc rectè Demoſthenes, veluti numine quodam afflatus, dixit; magnorum virorum liberos evadere ignavos, perinde quaſi fato quodam id accidat.

Deinde idem Deus, etſi bonus & beneficus, longanimis & manſuetus eſt, ſimul tamen dolet læſus, & vindicem habens oculum, juſtè paren-

tum iniquitates visitat in tertiã usq; & quartam liberorum generationem. Et quamvis interdum aliquid moræ inter delicta pœnasq; interveniat, hæc ipsa tamen mora non tam intervallum est pœnæ, quàm augmentum. *Nec enim dormit Dei oculus, sed connivet, non aufert pœnas, sed differt; atq; ita lento quidẽ gradu pedibusq; laneis ad impiorũ πανολεθρίαν procedit, sed interim gravitate supplicii tarditatem abundè pensat*; idque multò graviùs in magnis viris & potentibus, quàm in tenuioris conditionis & fortunæ hominibus; utpote in quibus & plures & commodiores & violentiores ad peccandum se offerunt occasiones, quàm in his. Etenim in secundis illi reb. modum plerunq; tenere nesciunt, suæ industriæ accepta ferunt omnia, nec ullum Deo felicitatis reddunt hostimentũ, odiis fascinati bonos evertunt, inferiores superciliosè despiciunt, miseræ plebeculæ clamores non exaudiunt, munerum escâ, veluti hamo capiuntur; fumos sæpe vendunt, pauperes expilant, opes alienas variis ad se raptant artib. imò & gravissimis sæpe flagitiis ne sentientes quidem se implicant; unde delictorum suorũ pœnas vel ipsi viventes luunt, vel mortui posthumas ad infelicem posteritatẽ transmittunt, ut tam sacra, quàm profana testatur historia. Impius in parentem erat Cam', sed in filii Canaan caput Noę imprecatio recidit, Gen. c. 9. Achanus, qui in direptione Hierichuntis de anathemate pallium

purpu-

purpureum auro intertextum, & argenti prędam placitam surripuerat, cum omni familiâ lapidibus obruitur, Jos.c.7.

Gyges pastor regi⁹, annuli cujusdã ministerio, Candaulem, Lydiæ regẽ interfecerat, & Reginâ in uxorem ductâ, regnum occuparat, quod ipse quidem impunè administravit, quietè filius, pacatè nepos, tranquillè pronepos, sed Crœsus abnepos, qui & pietate & virtute malorũ omnium luminib. obstruebat, bello à Persis victus regno exuitur, rogo imponitur, & ægrè, partim Solonis inclamatione, partim cadente subitâ pluviâ servatus, indignam apud Persas ad exitum usq; vitę servitutem servire cogitur. *Dei nempe judicia arcana & ignota sunt, non iniqua, injusta, tyrannica; quæ mirari, non rimari; venerari, non scrutari; vereri, non insectari nos oportet.*

Porrò, quòd Heroum liberi nõ rarò à paternâ pietate degenerent, causa hujus anomaliæ à Diabolo dependere videtur; hoste humani generis infensissimo, audaciâ promptissimo, viribus robustissimo, artibus callidissimo, mendaciis impudentissimo, machinis omnibus refertissimo, & in omnes formas Protheo magis variabili, qui piis inprimis & sanctis insidiatur parentibus, ut in iis contristet Spiritum sanctum, ut ex sanctorum patrum & Regum videre est historiâ, quorum pectora, quoniam munita vidit armaturâ Spiritus S. tela sua venenata in horum

potissimùm contorsit liberos, in varia eos illiciens crimina, prout uniuscujusq; propensionem perspexit. Quos enim heroicus spiritus animavit, eos iratum stimulis inflammavit; ut Cainum, Esau, Simeonem & Levi; quos vidit paulò lętiores, eos ad insanæ libidinis fervorem incitavit, ut Camum, Rubenem, Amnonem; quos in dignitatibus vidit constitutos, ambitionis percelluit facibus, ut Absolonem, Adoniam; quos parsimoniâ vidit delectari, inexplebilis cupiditatis compedibus illigavit, ut Samuelis filios; quos vidit ferventes in religione, eos vanâ implicare superstitione non puduit, ut Salomonem, & fortasse Manassem, & Josiæ filios. Eademque hæc fabula adhuc in mundo agitur, mutatis tantùm personis, ita ut in omnibus omnino Diaboli cavendæ sint insidiæ, & contra eas spiritualium armorum quærendę suppetiæ, de quibus Apostolus monet ad Ephes. c. 6.

Superest, ut ostendamus, quomodo præstantium virorum liberi, modò ex educationis negligentiâ, modò ex sodalium malitiâ, modò deniq; ex insolentiâ in rebus secundis, veluti Circeis quibusdā poculis, ex hominibus evadant noxæ, furiæ, bestiæ.

Primùm igitur ad educationis negligentiam quod attinet, non levis certè culpa, cur Heroum & Magnatum filii à paternâ virtute degenerent, in ipsis hæret matribus nimis delicatis, quæ ipsæ nutri-

nutricationis curam partui adjungere nolunt, sed infantes nutricibus lactandos tradunt, quæ, quia plerunque sunt degeneres, pueris unà cum lacte instillant petulantiam & improbitatem. Quoniam enim temperamentum corporis in infantibus nondum est confirmatum, sed instar ceræ mollis omnium impressionum adhuc capax; ipsum verò nutrimentum in substantiam rei nutriendæ convertitur: hinc fit, ut usu lactis alieni à nutrice suppeditato non raro totum temperamentum immutetur, & simul cum eo naturales mores & virtutes à parentibus in liberos per semina, tanquam canalem, derivatæ extinguantur; & econtrà mores nutricum per alimoniam lactis infundantur; utpote quod maximam habet vim ad immutandum temperamentum & mores, qui temperamentum sequuntur. Hinc de Tiberio scribitur, quòd per nutricem ebriosam factus sit & ipse ebriosus; itemque de Caligula, quòd non ex parentibus, sed ex nutrice suâ tyrannidem hauserit.

Altera præposteræ educationis causa itidem in ipsis hæret parentibus naturæ generosioris, & plus nimio φιλοστόργοις καὶ φιλοτέκνοις, qui tenerrimo amore liberos suos parvulos cõplexi, non tantùm delicatè eos enutriunt, exquisitissimisq; epulis differciunt, sed & sæpe eis dant, largiuntur & permittunt omnia; imò amentiâ adeò cæcutiunt, ut illorum vitia non videant, aut si vi-

dent, laudent etiam aut excusent; denique ex Thersite Ulyssem, ex Dolone Diomedem, ex Paride Achillem quempiam efficiunt; haud absimiles simiis, quæ catulos suos, quasi pulcherrimi sint omnium, in Jovis etiam conspectum producere, & glabras ac depiles ostentare nates non verentur, eosque sæpe nimiis complexibus enecant; teste Plin. lib. 8. c. 54.

Documento sit Heli, summus Judæorum pontifex, cujus blandâ indulgentiâ filii evaserunt avari, libidinosi, vecordes, impii, de quorum flagitiis cùm multa audiret quotidie, vix verbulo castigare eos satis habuit. Unde divinâ Nemesi factum, ut lenitatis hujus suæ & indulgentiæ, unà cum filiis ipse inopinatas pœnas lueret, 1. Reg. 4.

Sæpe tamen non tam voluntate, quàm necessitate quâdam parentes educationi liberorum minùs vacare possunt, utpote qui publicis occupationibus distinentur, dum vel in Ecclesiâ sermonem veritatis rectè secare, puram Evangelii doctrinam è situ & tenebris educere, contradicentes refellere, vel in Rep. jus dicere, lites dirimere, obire legationes, pro aris & focis excubare, ad sagum ire, & sub pellibus degere necesse habent; quo interim tempore bonam ætatis partem liberi in gynæceis inter ancillulas & aniculas apud matres educantur muliebriter, molliter, lautè, perditè. Sic nimirum Telemachus absente patre

patre Ulyſſe ad Trojam, ſub matris Penelopes tutelâ molliter educatus, per quorum etiam converſationem corruptus, ſtolidus & imperitus, & prorſus patri disſimilis evaſit. Et quamvis magni viri magnis ſæpe impendiis præceptores alunt, qui filios ſuos ad pietatem & eruditionem inſtituant, ita tamen comparatum eſt, ut magiſtrorum plurimi Heroinarum gratiam aucupentur, & diſcipulorũ captent benevolentiam, à quibus præmia ſperent, mercedemque paciſcantur olim, ſi adoleverint, ſolvendam; quibus ut potiantur, nihil non permittunt alumnis, ſtertere, aleâ ludere, potare, amori operam dare, nihili pietatem, nihili ſtudia literarum facere. Talis olim fuit Leonidas, præceptor Alexandri Magni, cùm Lyſimacho, quorum negligentiæ multi temulentiam Alexandri aſſcribunt, *quòd adulari magis, quàm inſtituere Regem viderentur*, teſte Plut. in ejus vita. Alii & melioris notę præceptores, quæ non probanda, vident quidem, & dolent atque corrigere avent, ſed emendare non audent, dum nolunt ſibi cum urſis feroculis eſſe negotium, qui irritati dentibus & unguibus ſuis in magiſtros ruunt. Hujusmodi nempe διδασκαλῶν ab Hercule retulit Linus, quẽ ruſticis canentem, cùm acerbiùs reprehenderet, hic reprehenſionis impatiens, pleſtro capiti præceptoris impacto, miſerum interemit, ut Ælianus ſcribit libr. 3. variar. hiſt.

Sic & Seneca ob plagas, quas Neroni puero inflixerat, postquam iste luporum catulus adolevit, in labro aquæ calidæ venas secare jussus interiit, teste Sueton. in vita Neronis.

Pari modo Arcadius Imperator, ab Arsenio virgis cæsus, percussorem in præceptorem subornavit, ut author est Nicephorus lib. 12. c. 23.

Sic & Galeacius Maria Sfortia, Dux Mediolanensis, cùm à Colâ sive Nicolao Montano pædagogo puer vapulasset, postquam ad Imperium evectus est, totidem plagas, nudis natibus, ei rependi, se inspectante, jussit, quæ injuria effecit, ut is tres ex suis discipulis, præsertim verò Hieronymum Olgiatum ad tyranni cędem inflammaret, teste Jovio in Galeacii elogio.

Neq; verò probamus plagosos illos Orbilios, nimis asperos in cædendo & reprehendẽdo, cujusmodi fuit Petrus iste Novæ civitatis antistes, sub quo magistro Maximilianus I. Imperator, cum nobilium quorundam filiis contubernalibus, aliquot annis Latinas didicit literas. Huic cùm Petrus sophismata inculcare vellet, ad quæ capessenda aptus non erat, verberibus tandem effecit, ut literas magis odio haberet, quàm diligeret. Itaque jam Romanorum Rex factus, dixisse fertur; *Si hodie præceptor meus Petrus viveret, quanquam multa præceptoribus debeamus, efficerem, ut imperitæ institutionis illum pœniteret*, teste Cuspiniano. *Etenim ingenia liberalia humanitate*

manitate & gloria stimulis accenduntur, plagis & verberibus corrumpuntur & indurescunt. Et quis verò non illorum parentum detestetur amentiam, qui filios suos Reip. destinatos, deliciis tantùm ab incunabulis imbuunt, nullâque præterea institutione adhibitâ stupescere & obbrutescere sinunt; quorum alterū Dionysii junioris, alterum Neronis constat exemplo. Non erat Dionysius minor, Syracusanorum tyrannus, naturâ malus, sed veritus pater ejus, ne, si animi ei crevissent, & consuetudine uteretur hominum cordatorum, insidiaretur sibi, & dominatu spoliaret, inclusum asservavit in conclavi, ubi usu destitutus alio, parva plaustra, sedes ligneas, & mensas, itemq; candelabra fabricabat, teste Plut. in Dione.

Nero Imperator, apud amitã Lepidam enutritus, quia trimus patrem Domitium Ænobarbum amisit, sub saltatore atque tonsore educatus, undecimo demum ætatis anno à Claudio Cæsare adoptatus, Senecæ philosopho in disciplinam est traditus; sed quem à philosophia Agrippina mater avertit, *imperaturo contrariam esse dictitans.* Qui postmodo portentosum libidinis monstrum, & rabiosus lupus, imò fex totius orbis, impuraque scelerum omnium sentina evasit. Nimirum juxta Siracidæ illud c. 30. *Filius indulgentiâ corruptus, fit ferox, instar equi indomiti.* Et ut ex Plut. libello περὶ παίδων &c. scribit

Osorius lib. 1. de Regis institutione; *quemadmodum solum bonum cessante culturâ sterilescit, & arbores per incuriam fiunt tortuosæ & infrugiferæ; novæ deniq; plantulæ faciliùs à tempestate læduntur, quàm adultæ & grandiores; ita adolescentes institutione neglectâ pestes fiunt familiarum.* Imò, quemadmodum bonus ager, nisi accuratè colatur, inter bonos fructus etiam multum veprium & spinarum gignit: sic animus juvenilis, ubi bonarum artium exercitatione destituitur, tantò vehementiores scelerum vitiorumque impetus sentit, quantò majoribus antea rebus per bonas disciplinas par erat. Hujus rei illustre exhibent testimonium Alcibiades, Coriolanus, M Antonius & alii, in quibus etsi robur animi & constantia ad res præclarè gerendas efficaces fuêre, ob disciplinæ tamen inopiam contracta illorum vitia invisa suspectaq; omnibus fuêre.

Ludovicus XI Galliæ Rex, teste Æmilio lib. 10. filium Carolum VIII. Ambasię educatum, literis erudiri noluit, duplici de causâ: Unâ, ne dum literarum sectaretur otium, regni negotia negligeret; Alterâ, ne historiarum cognitione ad res agendas timidus redderetur, aliorum exempla potiùs intuens, quàm suo ingenio obsequens. Egregium verò de filio patris judicium, dignus certè, qui metamorphosi Nabuchodonosorianâ in feram mutaretur, ut rationis adminiculo nec pręsentia declinare, nec futura prospi-

cere

cere possit pericula. Et verò expeditio Neapolitana à Carolo temere suscepta, præclare istius institutionis primus fœtus, stultum Ludovici judicium satis redarguit, ut quod de Atheniensibus olim, tunc quoq; de Galliâ jactatum fuerit; *imprudentiam illorum divinâ providentiâ corrigi solere*, ut eleganter scribit Ægidius Corrozetus de dictis & factis memorabilibus. Sed nec silentio prætereunda Carneadis illa vox, qui magnorum & opulentiorum filios nihil probè discere dixit, præter unam equitandi artem, quòd eis cæteri omnes adulentur; solus autem equus sessorem, Princeps sit, an privatus, nihil moretur, sed tergo eum excutiat, quicunque equitare nesciat, teste Plut. de dignoscendis adulatoribus.

Porrò, quamvis multo præceptorum labore, multoque sudore nonnunquam Heroum filii è voluptatum cœno eruti, ad virtutis arcem sint perducti, & ad summum honoris fastigium evecti; non pauci tamen in beluas degenerare turpissimas reperiuntur, & ad turpissimorum scelerum præcipitia sensim abducuntur; pravorum hominum, & inprimis adulatorũ consortio, qui omnis impietatis magistros, præceptores libidinum, flagitiorum doctores eis se præbentes, *nihil minùs convenire homini forti, quàm humaniores disciplinas clamitant*; literas ajunt esse nugas; pietatem, persuasionem ridiculam; Dei verbum, inanes fabellas; preces, odiosam battologiam; pœnarum metum, commentitia μορμολύκεια in-

terpretantur; parentes denique circumvenire, argento senes emungere, omnia abligurire, helluari, scortari, tumultuari, in omni voluptatum cœno volutari eos docent. Sic verè, ut Cic. docet lib. 1. de ll. *Corruptelâ malæ consuetudinis igniculi extinguuntur à naturâ dati, exoriunturq; & confirmantur vitia contraria.* Et ut ex Menandro divus Apostolus scribit 1. ad Cor. 5. *Bonos corrumpunt mores cōmercia prava.* Etenim quemadmodum scabiosæ oves, si confriantur cæteris, morbo tentantur; ita & hi homines nequam, si simplicioribus quibusque conversentur, veneno eos suæ malignitatis inficiunt, ut Chrysost. loquitur homil. 17. in 1. epist. ad Timoth.

Sic Marcus Antonius Triumvir, Curionis familiaritate vitia ea, quibus postea obnoxius fuit, contraxit, teste Plut. in ejus vita.

Galba Imperator fertur initio bonæ naturæ fuisse, sed consuetudine perniciosorum quorundam perditus, in deterrimā degeneravit beluam, ut Tacitus scribit lib. 17.

Sic Boleslaus, Polonorum Rex, Casimiri ex Monacho Regis filius, commixtus gentilibus, didicit opera eorum, intermissoque virtutum studio factus est sentina omnium vitiorum, ut Crantzius scribit lib. 3. Vandaliæ c. 12.

Sic & de Johanne Mariâ Galeacio Vicecomite scribit Jovius, insanę feritatis morbum concepisse illum usque adeò horrendum, ut, iracundiâ in

diâ in rabiem versâ, damnatos aut ſibi inviſos, voraciſſimis canibus laniandos objiceret, eoque ſpectaculo magnopere lętaretur, quòd in deliciis haberet Squartiam Giramũ, inhumanæ ſævitiæ miniſtrum, qui ad eam carnificinam ingentes moloſſos humanâ carne alendos ſuſceperat. Tantam nimirum vim habet aſſidua conſuetudo, ut imprudentes etiam imitemur eorum vitia, quibuscum vivimus, ut author eſt Plut. in libello de dignoſcendis adulatoribus.

Poſtremò, quòd Heroum liberi à parentum integritate & virtute degenerant, culpa ipſiſmet liberis imputatur, qui è parentum authoritate, potentiâ, gloriâ, divitiis tantos capiunt ſpiritus, ut fas & nefas indiſcriminatim ſibi conceſſum putent, & nullis à piaculis animum abducant, oculos avertant, manus abſtineant; ac proinde probrum inferre caſtis, labem integris, infamiam bonis, injuriam omnibus non verentur. A quâ arrogantiâ & in rebus ſecundis inſolentiâ, divina tandem ἀδράστεια debitas, & non rarò admodum funeſtas atque luctuoſas ſumit pœnas. Exemplo ſint Johel & Abias, Samuelis filii, qui à patre ætate confecto, Principes & Sacrifici declarati, à paternâ integritate & ſanctimoniâ penitus degeneraverunt, cõtumaces, avari, injuſti, utpote qui diſciplinam domeſticam turbarunt, pecuniæ cupiditate flagrarunt; venales habuerunt linguas & ſententias, legum & judiciorum corruptelam in-

duxerunt. Quocirca cùm neque domi, neque foris essent verendi, populus traditum ipsis honorem indignatione ademit, Regemq; sibi aliarum gentium more creari postulavit; à quo tempore vixerunt planè ignobiles & contempti. Sic & Davidis Regis filios, Amnonem, Absolonem, Adoniam, dum fortuna nimiùm favit, stultos fecit, h.e. immemores suæ sortis & conditionis, qui Dei obliti, promiserunt sibi licentiam faciendi quodlibet, inque omne genus flagitiorum ruentes, in acerbas calamitates semetipsos præcipitarunt. Ita semper, juxta Pythagoricum illud, κόρον excipit τρυφὴ, cui succedit ὕβρις, donec ipsa tandem sequatur πανωλεθρία.

Flos IX.

Fratrum & consanguineorum odia Cainica.

Sanctissimum pariter atque arctissimum sanguinis & cognationis vinculum à fratribus & cōsanguineis exigit, ut sese mutuò ex animo diligant, & inter se pacificè & concorditer vivant.

Hanc φιλαδελφίαν regius propheta Psal. 133. mirificè commendans, nihil eâ suavius, nihil utilius, nihil fortius esse astruit, utpote quâ animi fratrum arctissimè colligantur & constringuntur, ipsique inter se prompti & validi redduntur, non

non tantùm ad mutua benevolentiæ officia sibi invicem præstanda, sed etiam ad mutuum auxilium & defensionem adversus externos atq; injuriosos aliorum insultus. Hinc & Salomon Prov. 18. *Frater*, inquit, *à fratre adjutus, est tanquam civitas munita & excelsa, & æquipollet fundato palatio.* Notum illud est ex memorabili facto Canchii Chami, primi Tartarorum Regis, qui morti jam proximus, duodecim sagittas uno fasce comprehensas, singulis suis filiis, quos duodecim habebat, frangẽdas dedit; quod cùm nemo illorũ posset, fascem solvit, minimoq; natu præcepit, ut sagittas singulas confringeret. Hoc cùm ille nullo præstitisset negotio, conversus ad omnes: *Neq; vos*, ait, *filii charissimi, si concordes fueritis, à quoquam superari poteritis, discordes facilè cõvincemini*, ut author est Haitom. Armenus in lib. de Tartaris. Simile factum de Sciluro Scythâ, octuaginta filiorum patre, qui simili imagine hastilium fasciculi docere voluit, concordiam invictam esse, refert Plut. in apoph. Reg. & Imp. Hæc φιλαδελφία ubicunque locorum viget, non tantùm maximam parentibus affert voluptatem & lætitiam, sed etiam ipsis liberis laudem parit, & commendationem honorificam, omniaque ibi commoda perpetuò mansura divinitus redundant. Sed quò præstantior virtus est, mutua fratrum benevolentia atque concordia, eò rarior esse solet, præsertim inter

Reges & Principes, qui ſuſpicionibus, quæ plerunque cognatorum inſident animis, & ſiniſtris rumuſculis, qui malis à geniis paſſim feruntur, non minimum relinquunt locum. Unde acerbiſſimæ iræ & ſimultates, ſi præſertim convitia & probra accedant, exiſtere ſolent; quæ difficiliùs tardiúſque expugnari poſſunt, quàm urbs repagulis æneis munita. Cainum ſanè æmulatio armavit in perniciem Abelis, ortaque eſt nefaria cædes ex invidiâ. Eſavus ob præreptam ſibi benedictionem tanto erga fratrem Jacobum intumuit odio, ut de eo interficiendo conſilia iniret, quem ipſe Jacobus, vitæ ſuæ inſidiantem, maluit fugere etiam in longinquas regiones, quàm vicem odii compenſare; hinc poſt multos annos ex Meſopotamiâ domum repetens, pręmiſit, qui Eſavum fratrem donis & muneribus delinirent, ſi qua forte veteris in eo injuriæ ira adhuc inſideret, Gen. 27. & 32. Cæteroquin rarò aut nunquam penitus, vel abſque cicatrice coaleſcunt ejusmodi vulnera, tantum abeſt, ut benignitate aut beneficio vincantur. Sic & Jacobi filii Joſephum fratrem ſummo proſecuti ſunt odio, eò quòd turpitudinem illorum ad patrem deferret, & à patre præ cæteris amaretur; quem rus ad ipſos ablegatum clàm in puteum abjecerunt, indeque extractum Iſmaëlitis vendiderunt, Geneſ. 37. Abſolon Davidis filius, Amnonem fratrem, qui Thamarem ſororem ſuam uterinam per vim

con-

constupraràt, tanto prosecutus est odio, ut per integrum biennium cum ipso abstineret; quem tandem cum cæteris filiis Regis ad convivium invitatum inter vina obtruncavit, 2.Reg.13.

Eteocles & Polynices, OEdipi filii, de regno Thebanorum hac lege pacti erant, ut Imperium alternis vicibus administrarent. Cùm autem Eteocles, cui sorte primus obtigerat annus, tempore exacto, recusaret fratri regni vices tradere, Polynices, Argos profugus, (urbs ea Græciæ) & ab Adrasto (Rex Argivorum) in generũ ascitus, parricidiale Thebanis bellum intulit, in quo, mutuis cum fratre vulneribus, cecidit, ut author est Diodorus Sic.lib.4.c.6. & Pausanias in Boëticis. Extat de iis hoc epigramma Ausonii;

Nec Stygiis lucis ineunt sua fœdera fratres
OEdipodionidæ, de misero ah miseri.
Namq; etiam ex uno surgentes aggere flammæ,
In diversa sui dissiliunt cineris.
Infandos juvenes, quos nec discordia cassos
Luce, nec in semet linquit atrox animus.
Atq; utinam in Thebas quissem partirier ipsas
Regnorum & metas, ut cinerum nebulas.

Abimelechus, Gideonis spurius, 70. fratres ex legitimis illius uxoribus, in domo patria Ephreme interfecit in uno saxo, excepto Jothamo natu minimo, qui latuerat, & imperium in Sichemitas occupavit, Jud.9. Sic & Joramus, à Josaphato patre Judæorũ Rex constitutus, sex fratres suos

interfecit, & Israëlitarum Principes aliquot, Ataliæ uxoris suæ consiliis, 2. Paral. 21. Quid multa? hujusmodi odiorum inter fratres cæterosq; consanguineos ex merâ ambitione, Imperiique usurpatione ortorum, exemplis omnes refertæ sunt historiæ. Nec eorum pauca recenset Camerarius tom. 1. meditat. hist. c. 92. Sed & aliis ex causis odia & simultates inter fratres & consanguineos exortas esse legimus. Menelaus, Oniæ Pontificis filius, sacra vasa depeculatus, cùm ab Oniâ Pontifice justè reprehenderetur, donis Andronicum Antiochi Epiphanis procuratorem corrupit, ut Oniam, qui in suburbium Antiochiæ Daphnim, tanquam in asylum se receperat, blandis promissis evocatum, interficeret, 2. Maccab. 4.

Sic & Richardus II. Anglorum Rex, Thomam fratrem, Ducem Glocestriæ, ignaviam sibi exprobrantem, in venatione seductũ, ex insidiis interfici curavit, & alterius sui fratris Johannis, Ducis Lancastri, filium Henricum paternâ hæreditate spoliatum, in exilium egit, teste Polydoro lib. 20. Saxo lib. 3. Feragonem Danorum Regem memorat insidiis positis fratrem trucidasse, ejusque uxore abusum, incestuosam libidinem parricidio adjecisse.

Inprimis verò odia acerbiora & immortalia inter eos existere solent, qui in fide & religione con-

conjunctissimis antea fuère animis, & inter se postea dissidere cœperunt, transitione factâ ad hostes. Nihil enim magis conjungit aut disjungit mentes hominum, quàm vel similis, vel dispar religio. Exemplo est Maximianus Imperator, qui Artemiam sororem gladio percussit, quòd relictâ idololatriâ Christiana facta esset.

Alphonsus Diazius JCtus, Româ in Germaniam profectus, Johannem Diazium fratrem, virum doctissimum, cùm frustra à religione Lutheranâ avertere studuisset, Neuburgi per sicarium, qui oblatis ex composito literis, securim capiti attentè legentis inflixerat, sustulit, ut author est Sleidanus lib. 17.

Ex his exemplis liquet, quòd, sicut mel in amarissimam bilem convertitur, sic amor fratrum, quò major, in majus odium degenerare soleat, cujus rei sanè causa esse videtur, quòd, à quibus sibi deberi beneficium existimet, ab iisdem non solùm privari se beneficio, sed lædi insuper, contra naturæ jus atq; æquitatem putent. Quod quia contra omnem spem illis nonnunquam accidit, (*improvisa autem magis in animos hominum descendunt, quàm expectata,*) fit, ut longè ægriùs ferant, si quam injuriam à fratribus aut consanguineis contra opinionem suam acceperunt. Interdum etiam parentes ipsi istiusmodi discordiis & simultatibus

occasiones præbent,& semina jaciunt,cùm conditis testamentis filiorum naturâ parium suo judicio alterum alteri præferunt, & in majore parte hæredem volunt esse unum,alterum in minore.

Sic nimirum Franciscus & Ludovicus Gonzagæ,Ugolinum fratrem simulatâ amicitiâ ad cænam invitatum interfecerunt,solâ invidiâ moti, quòd Guido Gonzaga pater , Mantuanorum Dux,huic soli principatum testamento reliquisset. Nec rarò quoq; , intestatò defunctis parentibus,bona sic relicta ex æqualibus partibus nesciunt nolùntve dividere filii, aut cæteri agnati, relicti hæredes. Ut igitur mutua inter liberos conservetur dilectio atq; concordia, cavendum non modò parentibus , ne inæqualitatem in amandis & curandis liberis adhibeant, sed etiam ipsis liberis,ne suspicioni & invidiæ locum concedant. Ista enim omnia ad malevolentiam,dissidium,odiumq; mutuum liberorum,fenestram aperiunt,quæ parentum senectutem malè alunt, ipsósque liberos apud cives criminibus objiciunt, utpote quos existimant ex tantâ necessitudine,convictu & familiaritate delabi ad inimicitias nunquā potuisse, nisi atrocium sibi invicem essent flagitiorum conscii. *Utiq; enim magnas oportet esse causas,quæ magnam benevolentiam amicitiamq; dissipent*; unde fit,ut non facilè locus sit reconciliationi. Nam sicut, quæ comparata sunt,

ſunt, & glutino ſoluto rurſus colligari ac coire poſſunt. Corpus autem, quod natura univit, ſi rumpatur aut ſcindatur, difficulter glutinari aut coaleſcere poteſt; ita, quas uſus contraxit amicitias, eę diſſidię, interveniente parvo negotio, redintegrantur. Fratres verò, ubi naturali amore exciderunt, neq; in gratiam facilè redeunt, & reconciliatio ſemper cicatricem ſordidam, & latente malo infectam, retinet.



FLORUM

HORTULI HISTORICO-POLITICI

Corona ſexta, ſcil. Martia.

De bellorum auſpiciis, progreſſu & ſucceſſu, &c.

FLOS I.

Preces piæ, & Dei potentia in bellis omnia efficiunt.

PRinceps bellum juſtum ſuſcepturus, ante & in ipſo bello divinum auxilium ardentibus fideique plenis precibus indeſinenter ut imploret, inprimis neceſſariũ ſibi ducat. *Oratio nimirum,*

teste Siracide cap.35. *si fidelis & humilis & fervens fuerit, nubes calumq; penetrans, vacua non redit*, sed tanquam fidelis nuncia peragens mandata à Deo, aut quod petitur, aut quod nobis utilius est, impetrat; idq; eò magis, si causa orandi cum oratione ipsâ respondeat. *Bonus enim & benignus est Deus*, qui in auxilium justa petentibus semper adesse solet, &, ut Polybius loquitur lib.13. hist. virtutem impertit non illis, qui injuriarum sunt authores, sed iis, qui se contra injustam invasionem defendunt.

Documento sit bellum Jerobeami, regis Israëlitici, Judaicum, qui non contentus regno decem tribuum, ut residuas duas tribus regno suo adjiceret, commodissimam rei gerendæ occasionem arbitratus, Abiæ regis Judæ adolescentiam, & in rebus bellicis imperitiam, exercitum contra hunc (*an.M.2988.*) eduxit numerosissimum, ut, quos non potuit jure, multitudine vinceret. His Abia manũ opposuit duplo minorem, quæ illius insidiis circumventa, in extremo periculo, cùm preces ad Deũ funderet, tantus hostib. divinitus injectus est terror, ut ad illorũ, quos circumvallaverant, conspectum trepidarent, seq; in fugam effusè conjicerent: in qua perierunt quinquies centena hominum millia, 2. Paral.13. Hanc autem victoriam retulit Abia non suâ pietate, (erat enim Roboamo patre non minùs temerarius atque impius,) sed populi precibus, quæ nubes

cælumq;

cælumq; penetrantes ultionis hunc gladium ex Dei manibus extorserunt. Deus nempe unius pii voce flectitur, cùm mille cohortiū manu non trahatur, habetq; oratio ipsa quandam omnipotentiam, non ex spiritu nostro, sed ex spiritu, qui est in spiritu nostro. Quemadmodum autem in bello Israëlitarum cum Amalekitis, Exod.17. in quo Moses plus effecit orando, quàm Josua pugnando, graves & lassas Mosis manus fulciunt Aaron & Hur; ita quoq; fides nostra fatigata sustentanda è verbo Dei & promissione; quibus mediis fulcit & roborat manus nostras Spiritus sanctus; *lapis autem est Christus*, Psal.118. in cujus nomine & invocamus, & exaudimur.

Pari modo Asa, rex Judæ, à decies cētenis mill. lib. Æthiopum arctissimè obsessus, cùm majorē à Deo ipso, quàm in exercitu suo, fiduciā collocaret, ad internecionē hostes suos cęcidit, nō quidē armis suis, sed precib. & divino terrore, *in quo, ut Pindarus ait, etiā deorū liberi fugiunt*, 2. Par.14.

Sic & bello Ammonitico & Moabitico pressus Josaphatus rex, in tanto periculo ad preces & jejunia conversus, in templo coram maximâ hominum frequentiâ, à Jahaziele prophetâ in hostes sine formidine, & ex solâ in Deum fiduciâ pugnare jussus erat. Cantoribus ergo in primâ acie collocatis, qui Psal.136. canerent; ecce, ubi aër divinis clangeret laudibus, hostes divinitus immisso terrore atque errore in semetipsos

conversi, tanto furore invicem debacchantur, ut de tot millibus ne unus quidẽ superstes remanserit; tantâ post se relictâ prædâ, totq; spoliis, ut milites in colligendo totos tres dies consumpserint, 2. Paral. 20. In hujusmodi nempe divino sive Panico pavore, ut Esaias c. 13. loquitur, hominum manus dissolvuntur, omne cor virile liquescit, consternatos angustiæ, & dolores quasi parturientis, apprehendunt, & unusquisque proximum suum reformidat, præque nimio timore facies rubent flammarum instar. Sic & in pugna Marathonia, quâ Miltiades Atheniensis *(a. M. 3480.)* civium suorum decem millibus profligavit Persarum sexies centena millia, teste Herod. lib. *6.* itemque cùm Galli, Duce Brenno, numerosissimo cum exercitu in Græciam irrumpentes, in direptione templi Delphici à parvâ Phocensium manu ad internecionem cæsi sunt, scribitur Panicus quidam terror hostibus omnem animum ademisse, eosq; perterruisse; ut, quæcunq; saltem aspexerint vel audierint, terrorem & metum illis incusserint, ut Pausanias hæc prolixè commemorat lib. 10. itemque Justinus lib. 25. ubi præterea addit, terræmotu portionem montis abruptam Gallorum stravisse exercitum, & confertissimos cuneos, non sine vulneribus hostiũ, dissipatos ruisse, insecutam deinde tempestatem, quæ grandine & frigore saucios ex vulneribus absumpsit.

Sic &

Sic & in divinâ illâ Josuæ de quinque Amorræorum Regibus victoriâ, super hostes fugientes tam validam Deus immisit grandinem, ut multò plures grandinis lapidibus prostrati sint, quàm Israëlitarum gladiis cæsi, Jos. c. 10.

Samuele pro Israëlitis suis, diu â Philistinorum servitute & bello pressis, orante, (*anno M. 2870.*) Deus crebris fulminum ictibus, horrendoque tonitru, numerosum acervum hostiũ, ingentem ferociam spirantium, prostravit & dissipavit exercitum, 1. Reg. 7.

Pari modo fulgure cælitus demisso, sternuntur Quadi & Marcomanni, sub Marco Antonino Imperatore, itemq; Attila Hunnus, ad urbem Aureliam. Sic & Theodosio Augusto satis parvâ manu cum Arbogasto & Eugenio tyrannis confligenti, tempestas repentè cælo immisso opitulata est, tantâ ventorum mole à tergo suo in hostium oculos atque acies, ut tela ab iis ipsis immissa retorqueret, ictusq; hostium frustraretur, retroversumque terga ut daret, cogeret.

Bello Sauli Philistino primo (*a. M. 2883.*) cùm Jonathan, uno comitatus armigero suo, in hostes impetum faceret, non unus cum decem, sicut ad Marathonem, nec unus cum tribus millibus, ut ad Thermopylas (ubi Leonidas Spartanus, postquam 20. millia Persarũ trucidasset (*a. M. 3492.*) cum trecentis suis Lacedæmoniis gloriosè occubuit, ut author est Herodotus lib. 7.) congredie-

batur, sed Philistinorum copiæ tantum non arenæ æquabant numerum, utpote quæ constabant sex millibus equitum, & 30. millibus curruum falcatorum, (hoc est, hastis, gladiis & falcibus ita armatorum, ut proxima quæque demeterent atque conciderent, & vastam inter hostes ederent stragem, quemadmodum à Diodoro, Xenophonte & Curtio describuntur.) Has tantas & tam numerosas copias Jonathas, solus divino auxilio confisus, eo successu aggressus est, ut hostes omnes in effusissimam conjicerentur fugam, adeò ut ipsa tellus sub pedibus balantium hostium tremeret, 1. Regum 14.

Huc quoq; referenda miraculosa Abrahami victoria de quinque Assyriorum Regibus, quos cum pauca 318. servorum manu, in Phœniciam usque insecutus, noctu diviso exercitu, oppressit, captivis unà cum prędâ receptis omnibus; itemq; Judæ Maccabæi creberrimæ & celeberrimæ victoriæ de Antiochis & Demetrio, Syriæ regibus, eorundemq; legatis, quorũ numerosissimas copias ipse, solo divino fretus auxilio & causę bonitate, cum parvâ suorũ manu multoties profligavit, nec rarò ex his plurimos trucidavit, ne ullo quidẽ milite suo aut amisso aut vulnerato. Divinã certè manũ præstò ipsi fuisse, manifestò indicant, eques albâ veste aureâ visus in prælio contra Ly-

tra Lysiam procedere, Judæos & arma quatere; & quinque illi viri in prælio contra Timotheum etiam ab ipsis hostibus visi, insigniter aureis armis conspicui, quorum duo Maccabæum stipabant, & telis hostes profligabant, 1. Maccab. 4. & 5.

Nec dubitandum, ipsummet Dei filium Judæ adjuvisse exercitum in recuperando templo Hierosolymitano, in evertendâ Jovis Olympii statuâ, in abolendis Bacchanalibus, & aliis abominandis ritibus.

Sic & Zonaras scribit Tom. 3. Constantinum Magnum in præliis cum Maxentio & Licinio commissis, vidisse armatum equitem, signum crucis pro vexillo ante aciem suam præferentem; ac rursus Adrianopoli duos ei visos adolescentes, qui hostium phalanges cæderent, item circa Bizantium, noctu omnibus dormientibus, conspectum ab eo ignem, qui micantis fulguris instar vallum exercitus sui lumine suo collustraret.

De Michaële, qui in trajectu Bosphori in somnis apparuit Constantino Magno, eumque his verbis allocutus fuit: *Ego sum Michaël Archidux Domini, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, auxilio arma contuli*, vide Nicephorum lib. 7. histor. Ecclesiast. cap. 50.

Sic & cùm Tigranes, Armeniæ Rex, soceri sui Mithridatis, Ponti Regis, calamitate permotus, contra Romanos exercitum bis centenorum quinquaginta millium educeret, immensæ istæ copiæ, quibus superbus Rex magis confidebat, quàm divino auxilio, Romanorũ impetum non sustinentes, profligatæ sunt, antequam certamen iniretur. Et narrat Plut. in Lucullo, eâ in fugâ ex tanto exercitu cecidisse ultra centena millia peditum; ex equitibus verò quorum quinquaginta millia fuerant, evasisse admodum paucos, ex Romanis verò cæsos esse tantùm quinque, & centum vulneratos.

Quæ omnes aliorumq; omnium temporum historiæ abundè testantur; *equum quidem*, juxta Salomonis illud Prov. 21. *aptari ad diem prælii, sed à Deo dari victoriam, qui æquè in paucis, atq; permultos juvare & vincere potest*; utpote qui auferre solet spiritum Principibus, nec rarò vehementiori ventorum sono, aut nudo etiam adventantis exercitus strepitu, tantum numerosissimis copiis incutere terrorem, ut consternatæ mox in effusam se dent fugam, & tantùm non præ metu moriantur. Non quidem omnino à victoriâ in bello excludimus Ducum belli, militumque peritiam & industriam, aliaque præsidia humana: quia tamen hæc omnia, si cum defensione divinâ comparentur, nihil sunt aliud, nisi somnium, umbra & superbia; fumi, & si quid vanius

vanius nominari potest, ideo nec quicquam in brachio humano fidere nos oportet, sed ardentibus inprimis gemitibus defensionem à Deo petere & expectare, firmâ fide statuentes, Deum omnibus seculis suam Ecclesiam, velut in rubro mari stantem, inter fluctus & hostes potenti manu servasse, & adhuc ad finem usque mundi servaturum: Et licet hæc arcis instar obsidione undique cincta, acerrimè innumeris ab hostibus oppugnetur; tamen hanc ipsam præsidio divino tutam, majoribus præsidiis atq; copiis defendi, quàm oppugnari, victoriamque ex solius Dei voluntate & potestate, non ex hominum consiliis proficisci.

Cæterùm quanta vis sit sanctarum precum, & quàm necessarium in bellis divinū auxilium, fusiùs disseruimus in strategematog. nostra, c.17. & lib.2.c.2.

FLOS II.

Belli æquitas bono, iniquitas malo plerunque litat eventui.

PRinceps bellum suscepturus secundùm pias preces, maturâ deliberatione cum suis institutâ, belli causam apprimè attendat, de qua in strategematographiâ nostrâ lib.1. c.8.9.10.12. & 13. multa monuimus. Hæc si bona fuerit, pugnæ

exitus malus esse non potest; sicut nec bonus judicabitur finis, si causa non bona, & intentio non recta præcesserit, ut Bernhardus scribit lib. de novâ militiâ.

Non ergo sibi quisquam persuadeat, Deum, qui ipsissima est justitia, injustæ suæ causæ fore patronum, licet vel mille precibus ejus imploret auxilium. *Deus enim est scelerum osor & ultor, nec ullum maleficium sinit inultum.* Deum autem victoriam inde largiri, unde jus est, vel, ut Livius loquitur lib. 3. dec. 1. *eventum belli, velut æquum judicem, unde jus stat, ei victoriam dare solere*, tam sacræ, quàm profanæ omnium seculorum testantur historiæ.

Ac primùm quidem, defensionē contra vim injustam, sibi suisque, & præcipuè patriæ atque Ecclesiæ illatam, omni jure licitam esse; imò & sociorum periculum justa & pia Principibus inducere arma, & felicem plerunque sortiri exitum, congruentem ad normam justitiæ, satis liquet ex celeberrimis, quę sequuntur, victoriis; Abrahami nimirum, de quinque Assyriorum Regibus, qui Sodomæ Regulo acie victo & profligato, unà cum ingenti prędâ, magnoq; captivorum numero, Lothum quoq; abduxerant, Genes. 14; Davidis exulis, de Amalekitis, qui oppido Ziklag incenso, cum reliquâ multitudine duas ejus uxores abduxerant, 1. Reg. 30; Asæ Regis Judæ, de Zarâ Æthiopum, & Baësâ Israëlitico, Regibus,

gibus, quorum ille validissimâ manu irruptionem in Judæam fecerat; hic insuper urbem Ramam occuparat, 2. Paral. 14. & 16; Josaphati, de Ammonitis & Moabitis, qui & ipsi, tractis in suas partes Idumæis, latrocinandi animo in regnũ ipsius irruerant, 2. Par. 20. Non enim modò jus naturæ apertam vim vi repellendam dictitat, sed & approbat jus gentium, quo distincta sunt dominia, fixi limites, constituti fines, quos unusquisque adversus quoslibet defendere tenetur.

Hinc & Plateenses apud Thucyd. lib. 3. *hanc communem omnium mortalium esse legem* asserunt, *ulcisci eos, qui nostra deprædantur.* Huc etiam pertinent varia illa Romanorum bella, non solùm pro suorum finium, sed & pro sociorum suorum defensione contra varios populos justè suscepta, & feliciter confecta. Unde rectè Siracides cap. 4. v. 9. *eum cui fit injuria, de manu injurii eximere jubet.* Et divus Ambrosius lib. 1. de officiis c. 27. *fortitudinem, quæ domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plenam vocat justitiam.*

Deinde justa quoque sunt, felicemque plerunque sortiuntur exitum bella ad vindicandam injuriam Reip. illatam suscepta, cujusmodi fuerunt bella Davidis, Romanorum, & aliorum populorum adversus violatores legatorum, quorum nomen, teste Cæsare lib. 3. de bello Gallico

apud omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit, ut fusiùs probavimus suprà in Coronæ tertiæ flosculo 12. cujusmodi item fuerunt bella Israëlitarum, post Josuæ mortem, à Judicibus contra Syros, Moabitas, Cananæos, Midianitas, Ammonitas, & Philistæos, à quibus diversis temporibus armis vexati & subacti durissimâ servitute premebantur, feliciter confecta, Judic. 3.4.6.7.11.12 15. & 1.Reg.7.

Huc etiam pertinent Romanorum bella pro libertate, cum Porsennâ, Hetruscorum Rege, & cum Æmilio Octavo, cum quo Latini populi omnes in urbis Romanæ perniciem conspirarant, feliciter gesta, quorum omnium exitus consentaneus est justitiæ. Etenim jus naturæ vitam & libertatem, sine quâ vix vita vitalis est, adversus omnem vim & injuriam esse defendendam dictitat; ac proinde, quia servitus misera est, & quovis malo atque damno intolerabilior, imò postremum omnium malorum, ideo non modò bello, sed & ipsâ morte est repellenda, ut in suis Philippicis graviter disputat M. Cicero. *Sunt enim homines ad decus & libertatem nati, nec ulla voluptas viris ingenuis suavior est libertate*, quæ secundùm JCtum Paulum l.106. de reg. jur. *res est inæstimabilis*, & nõ modò ære quovis preciosior, potiorque metallis, sed & ipsâ vitâ charior viris sapientibus. Unde rectè Senec. ep. 105. *Non potest parvo*

parvo constare libertas; quam si magno æstimas, omnia parvo æstimanda sunt.

Porrò justissima quoque bella sunt ab ipso Deo, scelerum justissimo vindice, Israëlitis contra Hethæos, Gergesæos, Amorræos, Cananæos, Pheresæos, Hevæos & Jebusæos mandata, Exod. 34 & Deut. 7.

Etsi enim Aradus, rex Cananæus, justè videtur repulisse Israëlitas, se suaque contra eos defendens; unde quoque initio aliquam reportavit victoriam, & secum aliquot captivos abduxit: justior tamen erat causa Israëlitarum, qui voce Dei bellum hoc Cananæis intulerant, quibus devictis supplicium quoque de Arado sumpserunt, & tandem totum regnum Cananæorum exciderunt, Num. 21. & Deut. 2.

Ubi & illud notandum, Mosen, quamvis justissimam haberet causam, jussum nempe Dei, nihilominus tamen, ut probabilem quoq; belli causam haberet, per nuncios ab Amorræis pacificum petiisse transitum. Quo denegato, ad internecionem omnium primi ex Cananæorum gente cum liberis & uxoribus sunt deleti. Innoxius nimirum transitus jure humanæ societatis æquissimo cuivis patere debet, qui rem non tentat illicitam. Huc quoque pertinent variæ Davidis Regis victoriæ partæ de Jebusæis, Cananæarum gentium reliquiis, Hierosolymâ ejectis & exterminatis, itemq; de Philistinis, Moa-

bitis, Syris, & Idumæis, quibus in bellis David non tam illorum author, quàm minister judicandus est, 2. Reg. 5. & 2. Paral. 19.

Postremò subditos quoque sine justâ causâ rebellantes & seditiosos, ceu perfidos erga suum magistratum, bello licet cohercere, quod præter alia exempla in flore penult. Coronę 4. adducta, patet ex bello Jorami, regis Israëlitici, Moabitico, à quo cùm post Achabi mortem deficeret Mesa, Moabitarum Rex, Regum Israëliticorum tributarius, ipse rebelles armis denuò subjugaturus, in belli consortium tracto Josaphato, in castris Elisæum prophetam audiit, ad cantum citharæ de prospero belli eventu vaticinantem, utpote cui ipsa quoque causæ æquitas favebat, 4. Reg. 3.

E diverso, quemadmodum *causa jubet superos melior sperare secundos*, ita bella ex cæcâ vindictæ cupiditate atque irâ, aut etiam ex ambitione vel avaritiâ suscepta, plerunque succedunt & desinunt infeliciter, ut omnium seculorum testantur historiæ.

Jeroboamus, Rex Israëliticus, non contentus regno decem tribuum, residuas quoque duas tribus regno suo adjicere satagens, rei perficiendæ idoneum ratus tempus, Abiæ Regis Judaici adolescentiã, & in reb. bellicis imperitiam, exercitum contra hunc eduxit numerosissimum, ut, quos non potuit jure, eos multitudine vinceret;

sed

sed quo, divinit' immisso terrore, dissipato, cruentissimâ istâ clade adeò fractus est ejus animus, ut perpetuò deinceps dum viveret, bello & armis abstineret, 2. Paral. 13.

Cùm regno Israëlitico inhians Benhadad, Syriæ Rex, innumerabili coacto exercitu, secumque eductis 32. Regibus confœderatis, Samariam obsideret, ut, quos æquitate causæ non posset, eos similiter copiarum multitudine debellaret, & sub durissimũ servitutis jugum redigeret. Achab, Israëlitarum Rex impius, prophetę cujusdam instinctu 232. prætorum calones, & prætetea septem millia virorum contra eum eduxit; quâ exiguâ manu numerosissimum Benhadadi exercitum, qui se in manibus habere victoriam credebat, fudit & profligavit, 3. Regum 20.

Sennacherib, Assyriorum Rex, inhians regno Judaico (*anno Mundi 3240.*) stultâ patris Salmanasseris, qui decem tribus abduxerat, κακοζηλίᾳ, validissimâ manu Hierosolymam obsidens, unicâ nocte ex suo exercitu cæsis ab Angelo 185. millibus, tantâ clade territus, re infectâ, & cum maximo dedecore Ninevem ad mactationis suæ locum properè contendit, 4. Reg. 18. & 2. Paral. 32.

Cyrus junior non contentus florentissimis Asiæ minoris, Ioniæ, Lydiæ, cæterisque vicinis,

quibus à patre Dario Notho profectus erat, provinciis, ambitioni suæ frenos laxans, Parysatidis matris instinctu (*a.M.3570.*) bellum parricidiale intulit fratri Artaxerxi, Regi Persarum, in quo post biennium victus, vitam cum regnis amisit, ut author est Justinus lib.5.

Darius, Persarum Rex, ab Hippiâ Atheniensium tyranno exule, magnâ potiundæ Atticæ cupiditate accensus, ut in sua provincia natas ficus Atticas redderet, h.e. Atticam in suam ditionem redigeret; ardens præterea odio contra Athenienses, quòd Iones, ab ipso qui defecerant, adjuvissent, infelici in eos expeditione susceptâ, in campo Marathonio magnâ suorum clade (*a.M. 3480.*) ab his est profligatus, teste Herodot. lib. 6. Quam maculam ut deleret, multò majoribus copiis Græciam invadere constituerat. Verùm in ipso belli apparatu (*a.M.3487.*) morte præventus, odium hoc suum, & bellum in filium Xerxen transtulit; qui, ut ultionem de Atheniensibus exigeret, & præterea ut gloriam amplam, & regionem uberem, adeoque Europam universam Persico Imperio adjiceret, numerosissimum contra eos tricies ter centenorum septendecim millium nongentorum viginti hominum eduxit exercitum (*a.M.3492.*) at infelicissimo fato, utpote ex quo viginti millia ad Thermopylas cæsa sunt à Leonidâ & parvâ Spartanorum manu; ad Artemisium verò Eubœæ promontoriū, vi tem-

pestatis

pestatis multas triremes perdidit; ad Salaminem exinde maximâ clade acceptâ profligatus, parvo navigio trepidus in Asiam repedavit; relictis Mardonio petenti copiis terrestribus, qui insequenti anno ad Plateas, amissis peditum centum millibus, equitum 20. millibus, profligatis tercentum millibus à Pausaniâ Spartano, Atheniensium Duce, cæsus occubuit. Quo eodem die, alio prælio ad Mycalem, Asiæ minoris promontorium, Persarum 40. millia terrâ mariq; itidem à Græcis cæsa sunt, teste eodem Herodoto lib. 7. 8. 9. Quâ historiâ docemur, quàm facile sit Deo magnam delere potentiam, & quàm infeliciter cedant bella non necessaria, suscepta gloriæ & regnandi cupiditate, aut odio, aut etiam fiduciâ humanæ potentiæ; quòd denique ad extremum deleantur penè, & evertantur ipsi bellorum authores, juxta illud Esaiæ c.33. *Væ qui spolias, quia spoliaveris.*

Antiochus Magnus, Syriæ Rex, prosperis successibus elatus, Ætolorum insuper adulatione, & promissorum vanorum confidentiâ dementatus; Hannibalis denique, qui patriâ profugus apud ipsum exulabat, crebris cohortationibus stimulatus, non contentus regno Asiæ amplissimo, in Europam quoq; Imperii sui proferre terminos, & Romanorum, quos solos impedimento sibi fore metuebat, potentiam retundere conabatur (*a.M.3781.*) sed is eodem anno è Thermopylis,

quas insederat, non solùm naturâ loci tutis, sed & præsidio atque muro obseptis, M. Acilii Glabrionis consulis virtute deturbatus, Ephesumq; in Asiam ex Europâ expulsus, ibi à Lucio Æmilio Regillo prætore maximâ clade victus fusúsque, amissis navibus longis 62. cum omnibus sociis, iterum anno vertente, ad Magnesiam (*a.M.3782.*) à Lucilio Cornelio Scipione acerrimo prælio, quo peditum circiter 50. millia, equitum quatuor millia perdidit, victus fractusque durissimas pacis conditiones accipere est coactus, ut testantur Florus lib.2.c.8. Justinus lib.31. & Appianus in Syriaca. Sic verè *desipit, incertum qui captans certa relinquit.* Eadem insatiabilis dominandi cupiditas Jugurtham quoque ad anguinam mercedem Micipsæ patruo suo & nutritio rependendam, ejusq; filios duos, quos regni consortes habebat, è medio tollendos, compulit, & M. Antoniū Triumvirum, qui non contentus Orientalibus Imperii Romani provinciis, ab Euphrate usq; ad Hellespontum contra fœdera & pacta in Augustum Cæsarem (*a.M.3941.*) armavit: è quibus ille à Romanis debellatus, & à Mario Romam in triumphū ductus (*a.M.3870.*) in carcere tandem illic fame & frigore necatus est; hic ab Augusto in pugna Actiaca victus, & in Ægyptum cum suâ Cleopatrâ fugatus (*anno Mundi 3942.*) cùm ab irato victore vitam impetrare non posset, ipse sibi necem conscivit.

Sic &

Sic & M. Crassus, Romanorum ditissimus, licet in censu haberet millies septingenties quater sestertiûm, h. e. quadragies bis centena sexaginta millia aureorum, insuperque tantum haberet agri, quantum nec milvus oberret; Luculli tamen prædam & manubias ex Asiâ cernens, & provinciæ cupiditate incensus, populum Romanum verbis expugnavit, ut Parthicum bellũ sibi decerneret. Ergo quæstus inprimis gratiâ, & propriarum virium fiduciâ contra Parthos, quos ceu imbelles & infirmos contemnebat, expeditionem parans, in Judæam ubi pervenit, famâ divitiarũ templi Hierosolymitani permotus, duo millia talentorum, pecunias nempe pupillorum & viduarũ, quas Pompejus intactas reliquerat, inde abstulit, totoque reliquo auro ad octo talentorum millia templum spoliavit. His ita gestis, Mesopotamiam & Parthiam ingressus, à Parthis acie victus, & cum toto exercitu occisus, φιλοπλουτίας profundæque suæ avaritiæ, & nefarii simul sacrilegii justas luit pœnas, Parthis, auro in demortui os fuso, his ipsi verbis insultantibus: *Bibe fortiter, bibe aurum quod sitisti.* Quod idem Cyro quoque olim (*an. M. 3451.*) accidisse memorat Herodotus lib. 1. Cui itidẽ mortuo, Thomyris, Scytarum Regina in os infudit aurum, ut quo vivus non potuisset, mortuus satiaretur. Non multò dissimilem fortunam expertus est Nicephorus Imperator Bizantinus (*anno C. 811.*)

cujus calvam argento inductam Chrungnus, Bulgarorum Rex, proceribus suis propinavit, addito hoc sarcasmo: *Sic fore, ut auri cupidissimus Cæsar mero post fata expletus, alienam sitim eluat sedetq;*, ut author est Cuspinianus in Cæsaribus.

Constantinus Constantini Magni filius natu maximus, divisione orbis Romani sortitò ex patris testamento factâ, acceperat Galliam, Hispaniam, Alpes Cottias, Britanniam, Orcades, Hyberniam, Thulem; quâ sorte non contentus, parricidiali bello contra fratrem Constantem moto, vitam cum omnibus regnis perdidit (*anno Christi 340.*)

Albertus primus Austriacus Cæsar, in Thuringia ad Lucam oppidum prope Pegas, ingentem passus cladem, à Friderico & Dicemanno Marchionibus Misniæ, quibus ex amico & defensore factus hostis, cupiditate opulentæ ac cultæ regionis Mysorũ, & ad Bohemiæ regnum tum acquirendum, tum retinendum opportunę, contra jus & fidem datam, bellum fecerat. Ad hanc cladem vindicandã, & repetendam à Carinthio Bohemiam, dum bellum utrinque reparat, à Johanne fratris filio, cui tanquam prodigo administrationem Sueviç ademerat, juxta Bruccam Helvetiorum oppidum, inter Risam Adulamque fluvios jugulatur.

Sic & Carolus Burgundus, Princeps ambitiosus, fervidus ac præceps, cujus immensum animum

mum cùm ejus regionis, quam tenebat amplissimâ angustia non caperet, immodicâ bellorum proferendiq; Imperii cupiditate nimiùm deflagrans, ab Helvetiis semel iterumq; victus, in obsidione tandē Nanzæi castri, ab iisdem circumventus & trucidatus interiit. Hæc exēpla probè inspiciant omnes, qui sorte suâ non contenti, regnandi nunquā satiandâ libidine laborant, *qui*, ut Plut. ait in Pyrrho, *pravos majora habendi impulsus sequentes, non modò id assequuntur, ut anxii semper vivant; verùm etiam, ut in gravissimas calamitates, & in ipsam mortem absq; ullius remedii spe cum populorum summâ perturbatione incurrant.* Atque hinc ambitiosas curas magis frenare, sibique terrarumque orbi ad quietioris vitæ cursum rectiùs consulere discant.

Metum quoque alienæ potentiæ crescentis, causam nonnunquam præbuisse infelicibus bellis, testis est Crœsus, Lydorum Rex, qui Cyro bellum movit, cujus potentiam metuebat, ne totam opprimeret Asiam, in quo captus parum abfuit, quin unà cum regno vitam amisisset, teste Herod. lib. 1.

Testes sunt Galli Cisalpini, qui Senonū casu perpulsi, cùm rebus suis timerent, initâ cum Insubribus societate, eos quoque Gallos, qui trans Alpes ad Rhodanum habitabant, advocarunt; atque ita maximis contractis copiis in Hetruriam irruperunt, ubi à Romanis ad Telamonem,

Hetruriæ urbem maritimam maximâ clade sunt victi, occisis eo in prælio quadringentis millibus, captis cum Congolithano Rege decem millibus.

Testes denique sunt Philippus & Perseus, Reges Macedonici, arma Romana lacessentes, metu Romanæ potentiæ, quam cupiebant eversam, sed qui & ipsi eo in conatu à Romanis sunt oppressi.

Denique infidelitatem quoq; non esse justam belli causam, ac proinde bella religionis propagandæ ergo suscepta, ut plurimùm cadere in perniciem, docemur exemplo Alexandri, Ducis Litvanorum, Vitoldi primùm dicti, qui Christianus factus, propagandæ religionis causâ in Tartaros equitum peditumque supra centum millia eduxit. Primâ quidem & alterâ pugnâ ter centies millia Tartarorum cæsa, tertiâ tandem fusus Alexandri exercitus, cæsique ad internecionem penè omnes, vix ipse cum 7. comitibus evasit, ut scribit Crantzius lib. 9. Vandaliæ c. 39.

Cæterùm & hoc quoque notandum, non à solo eventu prospero aut infelici judicandum, utrùm justè an injustè susceptum sit bellum. Solet enim Deus plerunque vel hominum peccata, quorum pœnæ sunt bella, ita ulcisci, vel suos eò usque experiri, ut ipsorum consiliis, quamvis per se bonis atq; justis, longè alium tribuat exitum, quàm ipsi cogitarunt; & tamen interim nihilominus

minus manet juſtus, quocunq; inſtrumento ſua judicia exequatur.

Priorem rationem confirmat Troja à Græcis everſa, decennali bello raptũ Helenæ vindicantibus, in quo utrinque corruiſſe memorantur quindecies centena ſexaginta millia hominum, ex Græcis (ſi Dareti Phrygio credimus) octies centena octoginta ſex millia, ex Trojanis verò uſq; ad proditam urbem, ſexies centena ſeptuaginta ſex millia. Hinc Herod. lib. 1. *Troja favillas & cineres*, ait, *oculis hominum eſſe propoſitas, ut ſint exemplum regulæ, atrocia delicta atrocibus puniri pœnis à Deo.*

Poſteriorem rationem confirmat bellum Iſraëlitarum Benjamiticum, Deo ipſo approbante ſusceptum, in quo bis quidẽ maximâ cum clade à Benjamitis profligatus fuit exercitus Iſraëliticus; (occubuerunt enim priori in prælio 22. millia, in altero 18. millia,) tertio tamen in prælio ex Benjamitis ceciderunt 25. millia virorum fortiſſimorum. Atq; ita paucorũ ſcelus publico exitio punitum eſt, cujus defenſionem Benjamitæ publicè ſusceperant, impiiſque armis propugnarant, Judic. 20. Eandem quoque rationem confirmat infelix Iſraëlitarum pugna cum Aitis, clandeſtinum Achanis furtũ & ſacrilegium juſto Dei judicio, cujus vindicta acutè omnia perſpicit, etiam quæ in telluris receſſibus aguntur, luentium, Joſuæ c. 8. Quò populi quoque acceſſit

securitas ex felici Jordanis trajectu, & prosper successu in Hierichuntis eversione nata. Quan felicitatem perpetuò duraturã sibi persuadens ingentes conceperat spiritus, ac proinde omni timoris Dei expers, hostesq́ue contemnens, cum paucâ suorum manu expeditionem hanc susce perat. Unde, quia extra telorum jactum se ess opinabatur, ab hostibus fœdam in fugam e conjectus. Huc etiam pertinet pugna Maxent tyranni ad Mursam Pannoniæ, cum Cõstantin Imperatore, omnium gravissima, ubi multis u trinque cadentibus, prælium libenter Constan tinus diremisset, ne viribus Romanorum debili tatis, Imperium incursionibus Barbarorum pa teret. Tanto verò ex utrâque parte studio atqu ardore ibi pugnarunt, ut non solùm usque ad ve speram, sed etiam ad summã noctem dimicand pervenerint, ne tenebris quidem laxationem ul lam contentioni præbentibus. Ad extremum ta men pars Constantii superior evasit, hostibus in fugam versis, atque triginta millibus interfectis ut author est Sigonius lib. 5. Imperii Occiden talis.

Hinc patet, omnium horum bellorum exi tum fuisse secundùm justitiam, etiamsi magnæ & multæ calamitates utrinque interve nerint.

F L O

F L O S III.

Ne provoces bella, nec timeas: *Plinius in Panegyrico.*

NEque verò solùm injusta, verùm etiam non necessaria bella ex temeritate, aut superbâ virium propriarum confidentiâ suscepta, infelices sortiri solent exitus. Etenim, secundùm Val. Max. libr. 9. c. 8. *temeritatis subiti & vehementes sunt impulsus, quorum ictibus hominū mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, nec aliena facta justâ æstimatione prosequi valent.* Nec minùs superbia omnis immoderatos parit impetus, qui ad inferendam aliis injuriam homines incitant, adeò ut etiam Dei ipsius obliti, possibilia pariter atque impossibilia, seu magno, seu parvo apparatu, etiam sine Deo (ut Ajax ille Sophocleus) se confecturos confidant, & dum majora viribus audent, iis tandem evertantur. Hinc rectè à Ludovico XI. Gallorum Rege dictum; *dedecus & detrimentum esse comites ac veluti pedissequas superbiæ & temeritatis.*

Notum hoc ex infelici filiorum Ephraimi in Palæstinam expeditione, qui gloriâ famâq; majorum elati, & impatientes servitutis Ægyptiacæ, patre adhuc vivo, suis excutere virib. jugum tentarunt, terramque sibi promissam vi invase-

runt, sed Deo adverso prælíantes, clade magnâ sternuntur, omnisq; illis pecorum hominumque præda adimitur, 1. Paralip. 8.

Similem fortunam cæteri quoque Israëlitæ postmodò sunt experti, qui, cùm eos antea promissionibus divinis nimis incredulos pœnituisset, egressus ex Ægypto, in quam reditum quoq; multi parabant, intellectâ Dei severitate præ nimiâ audaciâ extemplo conati sunt omnes hostes opprimere, ut in terram promissam ingrederentur. Meritò igitur à Cananæis cæsi, sanguinolenti domum redeunt, Num. 14. *quia non minùs ac diffidentiam & incredulitatem, audacem temeritatem abominatur Deus*; severè præcipiens, ne quis declinet vel ad dextram, vel ad sinistram, & ne quid è dictis suis addat vel minuat.

Quàm infelix & calamitosa fuerit Xerxi, Persarum regi, expeditio in Græciã, utpote qui cum multâ numerosissimi exercitus sui cæde & fugâ, à paucissimis cęsus & profligatus, inconsulti certaminis & temerariæ expeditionis insignes pœnas dederit, ipseque tanti exercitus Imperator magnificus, tantâ clade oppressus, inermi nave per stragem corporum armorumq; vix evaserit, dictum in præcedenti flore.

Virturtus, Arvernorum Rex, virorũ numero fretus, jactare erat solitus, fore, ut Romani ob insignem paucitatẽ ad escam canibus, quos Galli in exercitu alerent, haud satis futuri essent. Habebat

bebat enim sub signis ad centũ octuaginta millia. Cæterùm victus est Gallus, centum quinquaginta millibus bellatorum partim cæsis, partim Rhodano submersis; præda ingens ex Gallorum torquibus sublata; Virturtusque vivus venit in Romanorum potestatem, de quo Cajus Cassius Longinus, & Domitius Calvinus, consules Romam reversi, celebrem triumphum egêre, ut ex Livianæ Epitomes libr. 61. refert Sabellicus lib. 1. Ennead. 6.

Zopyrion Ponticæ regioni præfectus, ab Alexãdro Magno otiosũ se haberi ratus, nisi aliquid suo ductu eâ quoq; parte gereretur, cum 20. millibus hominum, Scytis, qui supra Pontum incolunt, bellum intulit *(a. M. 3699.)* cæsusque cum toto exercitu, pœnas luit innoxiæ gentis temere lacessitę, ut author est Sabellicus lib. 5. Ennead. 4.

Anno Christi 955. Hungari, Conradi Lotharingiæ Ducis ductu tantâ multitudine in Bavariam descenderunt, *ut, nisi à terrâ absorberentur, aut à cœlo obruerentur, vinci se posse negarent.* Verùm occurrente eis cum expedito exercitu ad Lycum amnem Ottone Magno Imperatore, amisso Conrado, tantâ strage pugnarunt, ut parem se de Barbaris victoriam Germani retulisse non meminissent, ut ex Sigeberto author est Sigonius lib. 6. regni Italici.

Haraldus, Danorum Rex, contra Ringonem Suconum Regem, suum ex sorore nepotem, levi

de causâ bello moto ſeptennium integrum in ejus apparatu conſumpſit; mare,quod eſt inter Sialandiam & Scaniam,navibus ita conſtravit,ut pedeſtri itinere ultrò citroque commeari poſſet; Ringo bis mille ducentas naves habuit,prælio in campis Pravellanis inter Wick & Werundiam collato; Suecones amiſſis procerum duodecim millibus Danorum Regem Haraldum cum 30. millibus procerum occidêre, ut Saxo ſcribit lib.8.

Ottocarus Bohemiæ Rex, indignè ferens à Rudolpho primo Cæſare ſibi in præſtando obedientiæ ſacramento illuſum, quin etiam uxoris Cunegundæ furiis ſtimulatus, cùm in ſuos conſiliarios,quorum ſuaſu Imperium ſibi à Germanis oblatum reſpuerat, & in Rudolphi ſibi deinceps ſubſtituti verba juraverat,mulctis & proſcriptione ſæviret, & ad arma contra Cæſarem rediret;ab hoc ad fluvium Marum victus,in acie pugnans occubuit, teſte Dubravio lib.17.

Sic & Carolus Octavus, Galliæ Rex, tametſi neque manu,neque conſilio multum valeret,tamen ampliſſimis maximi atque opulenti regni viribus innixus,23.annorũ adoleſcens,& pacem in Italia evertit, & rem Gallicam armis atque auſu plurimùm illuſtravit,ut Jovius ſcribit lib.1. hiſtoriarum.

Sic & Pontificis authoritate ruptis à Juliano Cardinale federibus, cum Turcâ in decennium

à Vla-

à Vladislao, Rege Ungariæ, pactis, cùm in prælio ad Nicopolim sive Varnam Johannes Corvinus, & Michaël niger, exercitus Vladislai præfecti, duos Amurathis, Turcarum Imperatoris, Bassas fudissent; Rex gloriæ cupidus, ut veluti Duces cum Ducibus, ita Rex cum Rege congrederetur, moræ impatiens, quadrato in Amurathē agmine contendit, intra munitiones ac vallum cum Janizaris se continentem, & Corvini monitorum immemor, vix cū 70. equitibus per aditum intra castra rumpens, à Janizaris equo suffosso captus & interfectus, caputque hastæ præfixum, vallo impositum fuit.

Pari fato oppetierunt, quicunq; cum eo castra invaserunt, reliqui in fugâ, partim fame, partim voragine paludum absumpti supra 30. millia; ipse Amurathes victor è suis 40. millia desideravit, ut testantur Jovius in vita Amurathis, Crom. libr. 21. Bonfin. lib. 6. dec. 3.

Anno salutis 1514. Selimus, Turcarum Imperator in Armeniam irrumpens, cum centū quinquaginta millibus armatorum, in Calderanis campis ad Chom, quæ olim Artaxata fuit, contra 30. millia equitum Persarum cruento prælio conflixit, 30. millibus suorum, flore exercitus, desideratis, ita ut, licet victor, fugâ maturâ sibi consuluerit, relictis bellicis tormentis, quibus victoriam dubiam assecutus fuerat, ut ex Jovio refert Sabellici supplementator lib. 4. Hinc patet, quo-

modo Deus eminentissima quæque deprimere soleat, nec Adrastea insolentiam sinat abire impunitam; quomodo item temeritas homines ad insaniam, & ad nihilũ adducat, & quàm infelices sint eorum conatus, qui res non necessarias movent, utpote quæ semper conjunctam habent aliquam injustitię causam, licet quandam justitiæ imaginem illa repræsentet.

Probatur hoc bello Amasiæ, regis Judę, Israëlitico; hic nimirum cum Idumæis congressurus, 100. millia militum ex regno Israëlitico 100. talentis conduxerat, sed quos ilicò prophetæ suasu dimittebat, utpote qui obfuturi essent ipsius laudi & victoriæ, eò quòd Deum iratũ haberent. Hi ergo dimissi civitates Judę, cæsis tribus millibus, vastarunt atq; diripuerunt. Hanc injuriam Amasias armis vindicaturus, ex voto partâ de Idumęis victoriâ, Joam regem Israëliticum bello petulanter lacessit & provocavit, 4. Reg. 14. Hoc bellum etsi primâ quidẽ specie justum videtur, minimè tamen necessarium fuit & justum, quia ipse Amasias primam injurię huic præbuit occasionem, vocando impios Israëlitas in auxilium; deinde eum decuisset antè tentare prædæ restitutionem absq; armis; insuper bellum hoc movit ex merâ victoriæ de Idumæis partæ insolentiâ, nec consulto, imò irato Deo ob Idumæorum idola in Judæam adducta, & minas intentatas prophetæ, istam ejus impietatem arguenti. Denique

nique nec par erat Joæ Regi potentiâ, quòd hic eum facetè admonuit, ficto apologo de carduo, cedri filias ambiente, & à bestiis istius saltus præ contemptu conculcato. Quo innuere voluit, ne ipse victoriâ semel partâ elatus, periculosâ istâ & infelici πολυπραγμοσύνῃ, stultâque temeritate & ambitione malum sibi crearet. Sed admonitione repudiatâ, Amasias ad prælium egressus, expertus est fortunam hominum sine Deo pugnantiũ, & alios temere provocantium. Desertus enim à suis, in manus venit hostis, qui parte mœnium urbis Hierosolymæ dirutâ, thesauris tam sacris, quàm regiis direptis, & acceptis obsidibus, Amasiam graviter mulctatum, ægrè dimisit incolumem.

Rectè igitur Pindarus in Olympiis: Ἔα πόλεμον, ἔα μάχην χωρὶς Θεοῦ· *Omitte bellum, omitte pugnam sine Deo.*

Hinc meritò in Augusti laudem prædicatur, quòd nulli genti sine justis & necessariis causis bellum intulerit, *jactantis ingenii esse affirmans, ob triumphalis pompæ superbiã & lauream corollã, civium vitas ac securitatẽ periclitari.* Quid? quòd *etiã justa causa nõ semper prospero gaudet successu?* testatur hoc præter alia exempla sub finẽ præcedentis floris adducta, clades Ludovici II. Regis Hungariæ, in campis Mohacensibus, quâ Buda quoq; est amissa, qui omniũ Principũ Christianorũ aliis bellis tũ impeditorũ, destitut' auxilio,

(præterquam Clementis VII. Papæ, qui Bohemis & Germanis peditibus nonnullis è suo stipendia exhibebat;) Solimanno, Turcarum regi, qui bellũ ipsi indixerat, obviam profectus, quâdam potiùs fatali necessitate, quàm aut belli ratione, aut spe victoriæ ductus, cum exercitu miserè periit, de quâ clade vide Sleidanum lib. 6.

Nemo igitur justitiæ causæ suæ nimis confidat, multoque minùs suis viribus. Nec enim illa ad perpetuum successum & eventum sufficit, sed modus agendi; ac proinde satius est, alia remedia experiri, de quibus prolixè monuimus in strategematographia nostra. Quibus omissis bona causa malè agendo corrumpitur. Liquet hoc ex bello Flandrensi apud Æmilium lib. 8. quo per quinquennium ter centum millia, & amplius nobilissimorum & fortissimorum Francorum occubuêre. Desciverant nimirũ à Philippo Pulchro, Francorum Rege, Flandri: contra eos Robertus, Atrebatum Comes, missus, qui cùm odio gentis excæcatus fureret, & frustra reclamante Reginaldo, magistro equitũ, castra hostium situ loci munitissima oppugnare aggrederetur, maximæ cladis ad Curtracum acceptæ author fuit, qua 12. millia Francorum cum nobilissimis Ducibus periêre, in quibus Reginaldus; in corpus etiam Roberti Atrebatis exanime sævitum. Non igitur satis est, lacessitũ aliquem justè arma capere ad injuriam depellendam, sed modum

quoque

quoque agendi oportet obſervare, juxta illud, Deut. 17. *Quod juſtum eſt, juſtè perſequaris.*

Cæterùm quare & quomodo temerarii & intempeſtivi cum hoſtibus conflictus cohiberi debeant, expoſuimus in ſtrategem. lib. 2. c. 23.

Quemadmodum autem bellum temere non eſt ſuſcipiendum, ita nec timidè detrectandum. Nec enim minùs ad temeraria conſilia timidus ex deſperatione, quàm temerarius ex ſuâ temeritate convertitur. Cùm Perſeus in maria inſulamq; Samotiā fugeret, fretus celebri religione, meritò ridetur à Floro lib. 2. c. 12. *quaſi templa & aræ poſſint defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent.*

Cùm Iſaacius Angelus, Imperator Conſtantinopolitanus, à Branâ obſeſſus, an. Chriſti 1195. abjectis armis tantùm ad Minoritatum confugeret preces, reprehenſus fuit à Conrado Marchione Montisferratenſi, *non quòd precibus nihil eſſet fidendum, ſed quòd non iis ſolùm, ſed & thorace & gladiis pugnandum*, teſte Nicetâ libr. 1. Annal.

Sua quidem tueri, prius eſt atq; præſtantius, quàm aliena appetere; ſed tamen oportet eos, qui citra periculū velint vivere, occurrere malis impendentibus; & ſi in præſentiâ creſcentis plantæ radicem facilè præſcindere poſſis, nō eſt cunctandum, neq; expectandum, ut acceptam injuriam ulciſcaris, cùm adverſarii malè cogitantis conatus, oppri-

mere liceat, ut Nicephorus Gregoras monet hist. lib. 5.

Gravium quidem hominũ est, inquit Thucydides lib. 1. *si non lacessantur injuriâ, quiescere; fortium a. si lacessiti fuerint, pacem bello mutare, eosdemq; re bene gestâ rursus in concordiã redigere, neq; bellorum prosperitate extolli, neq; ex otio pacis voluptate captos pati injuriam.* Nullo igitur modo prudẽtes sapientésve illi habendi sunt, qui futura suprà, quàm par est, timent. Hoc nomen, hæc laus multò meliùs fortibus, magnoq; animo viris convenit, qui pericula quidem cognoscunt, eaq; expendunt, (in quo à temerariis, qui nec ea cognoscunt nec ponderant, differunt;) sed tamẽ, quàm sæpe homines nunc casu, nunc virtute è multis difficultatib. sese explicent, etiã animadvertunt. Verùm ita ferè fit, ut pauci admodũ expedire se possint à periculis, eaq; tẽpestivè vitare; alii qui experientiã nullam habeant, neq; similia exẽpla observarint; alii studio & amore liberorũ, uxorum, familiæ & possessionum cavere sibi non possint; & tametsi præmoneantur, tamẽ his vinculis impediti, in maximas sæpe calamitates incidant; imò timor mentes oculosq; hominũ ita obtundit, ut anxiis suspensisq; frequenter vanæ atq; inanes remotissimarũ rerum imagines deceptis sensibus offerantur.

Exemplo est Maxẽtius tyrannus, qui audiens, Constantinũ Magnũ adductâ in potestate omni circum-

circum-Padanâ Italiâ, Romã versus pergere, non solùm urbe, sed etiã parietibus se tenuit, aut prodigiis, aut infaustis fortunę suæ presagiis territus; non in campũ ire, non exerceri armis, nõ pulverẽ pati studuit; tantùm in palatio ambulabat, aut in hortos Salustianos se cõferebat, & his deliciis turpissimã suam formidinẽ contegebat. Ac ne tũ quidem, cùm adversa suorum prælia ad Taurinum, Brixiã & Veronam audiit, obviam ire contendit, sed literas cladium suarũ indices supprimebat; interdũ etiam palàm, ut usq; ad portas veniretur, optabat. Cõstantino tandẽ exercitum ad Tiberim adducente, ibiq; castra figente, ab obsidione tamẽ urbis abhorrente, ne Romanos, quorũ incolumitati consulebat, graviore aliquâ calamitate afficeret, Maxentius è palatio migrans cũ uxore & filio in privatã domũ, quasi se abdicaret Imperio, spõte abiit, biduoq; post magicis pstigiis & fallaciis suis fretus cũ 170. millib. peditũ, & 18. millib. equitũ, Tiberim trajecit; ubi prelio facto, per pontẽ fugiens, in Tiberim præcipitatus periit, author Sigon. libr. 12. Imperii Occidentalis.

Sic &, cùm Carolus V. Cæsar 3. bello Gallico Imperii & Angli viribus subnixus, Galliam invaderet; Franciscus rex, quòd Helvetii nondum advenerant, prælium declinabat, ita ut Cæsar promotis castris, nemine resistente, Castrotereum usque ab urbe Lutetiâ non bidui viâ positum oppidum, progrederetur, cùmque indè, posthabitis Regis legatis de pace missis, Lutetiam usq; per-

venisset; tantâ in urbe exorta est trepidatio, ut fugerent omnes, qui paulò lautiori essent fortunâ, nec Regis edictis, fugam prohibentis, contineri possent; & fæx tantùm hominum maneret, à quibus, ne urbs quidem inprimis opulenta diriperetur, periculum erat, ut Sleidanus scribit lib. 15.

Unde perspicitur, verum esse Thucydidis illud lib. 2. *Sine animi præsentiâ artem contra periculum nihil prodesse. Timor enim memoriam excutit, & ars amittitur animo languefacto.*

Incredibilis quoque timoris & pavoris exemplum est Neclan, Bohemiæ Princeps, qui à Vladislao Lucensi Principe, suo agnato, regni causâ bello petitus, cùm per legatos pacem petens, nihil proficeret; nihilominus tamen instar soricis, in conspectu felis apparere non audentis, in tabernaculo delituit, nec in aciem protrudi potuit. Omnibus tandem urgentibus, misit Siderium à Chaynovo, equitem strenuum, qui personam & nomen Principis gerens, in eadem quâ Vladislaus pugnâ victor occubuit, teste Dubravio lib. 3.

Non desunt quoque eorum exempla, qui justas suæ timiditatis pœnas dederunt. Marcum Claudium senatus Corsis, qui turpem cum his pacem fecerat, dedidit, quem ab hostibus non acceptum, in publicâ custodiâ necari jussit, ut author est Valer. Max. lib. 6. c. 3.

Sic & Pisaurinus, Venetæ classis præfectus, Gabrieli

Gabrieli Rippæo Veronensi, ad Obratium Dalmatiæ oppidulum oppugnandum misso, quòd conspectis paucis Turcis equitibus, auxilio oppido venientibus, turpiter in fugam se conjecisset, in ipsa Prætoriæ prora cervices abscidit, teste Jovio lib. 36.

Veneti, cùm Mahometus Eubœam insulam oppugnaret (*a. C. 1470.*) Nicolaum Canalē, Venetæ classis Ducem, quòd præ ignaviâ obsessis opem non tulisset, perpetuo exilio damnarunt; *inutilem eum civem ducentes, qui pluris vitam, quàm Christi religionem, patriæ honorem, & tam multorum civium salutem fecisset*, teste Fulgoso lib. 2. c. 2.

Ferdinandus IV. Castellæ Rex, Alphonsum filium, hęredem & successorem instituit, Jacobo primogenito abdicato, quòd contra Sardos rebellantes in Sardiniam à patre missus, expeditionem istam simul & regnorum successionem recusasset, ut author est Tarapha de Regibus Hispaniæ.

Meritò ergo nimia in Rep. timiditas viri, ad omnem strepitum expavescentis, nihil audentis, pessimisque se submittentis, gravissimas meretur reprehensiones, ut Plut. in comparatione Nitiæ & Crassi.

FLOS IV.

Belli alea dubia.

PLurima in bellis gesta experientiam rerum, rursusq; imperitiam generant. Magnum quidem est, eum, qui victoriç principium nactus est, illud in consequentiam extendere. Multò autem majus est, eum, cui priores conatus nō successerunt, apud se manere, & considerare infelicium vecordiã, illorumq; errata diligenter observare. *Est enim sæpenumero videre, eos, qui primas consecuti videntur, paulò pòst omnib. in universum frustrari. Rursus, qui initio prolapsi videbantur, vice versâ cuncta sibi propriâ restituisse industriâ*, ut eleganter hæc disserit Polybius lib. 11. hist. Regem quoq; vel civitatem quampiam suscepto bello, malè rem gerere fortunæ vitio, sæpiùs contigit, inquit Pausanias lib. 7. Et, ut Thucydides lib. 5. *interdum communis est belli fortuna magis, quàm pro eximio partium dissidentium robore, & copiarum numero.* Errant igitur, quicunque in bello omnes secundos expectant eventus, ut est apud Cæsarem de bello Gallico lib. 7. Nec enim Duces belli Deum aliquem sponsorem habent vitæ eorum omnium, qui sunt pugnaturi, nec certis conditionibus verbisq; conceptis Imperia accipimus, ut omnes hostes evincamus, & nullos de

nostris

nostris amittamus, (quis enim mortaliū omnes tam consilii, quàm fortunæ eventus in seipsum recipere auderet?) *sed semper magna facinora magnis emimus periculis*, inquit apud Dionysiū Halicarnass.lib.9. Spurius Servilis. Sæpe etiam ad victos redire victoriam, & calamitosos plerunq; à fortunâ juvari, multis compertum est historiis.

Cyrus Rex, cùm Massagetas ingenti clade affecisset, cæso etiam unico Regis filio, Thomyris Regina dissimulans ægritudinem, parvâ manu hostium ingentes copias fudit (*an.M.3458.*) & ducenta millia Persarum unâ acie trucidavit; tantâ cæde, ut ne nuncius quidem luctuosæ cladis superesset, teste Justino libr.1. & Herodoto lib.1. Idem Herodotus lib.4. author est, Amazones, Græcos omnes, à quibus superatæ erant, somno oppressos in mari interfecisse, & se in libertatem vendicasse.

Leonidas, Spartanorum Rex, cum trecentis sociis ad Thermopylas Xerxis, Persarum Regis, exercitū sustinuit, ut, quamvis omnes cæsi fuerint, victores tamē eo ipso censeri debeant, quòd Xerxem paulò majoribus copiis vinci potuisse ostenderunt, ut Sabellicus scribit lib.6.c.7. & Volaterran.lib.16. Ἀνθρωπολ.

Conon, Atheniensium Dux, navali prælio victus à Lysandro, Lacedæmoniorum Duce, eundem pòst terrestri prælio vicit, & Atheniensibus libertatem restituit.

Secundo bello Punico, fortuna rem Romanam ad Ticinum perculit, ad Trebiam fregit, prostravit ad Thrasymenum, ad Cannas afflixit, jacentem & proculcatam ad Nolam suscitavit, in Hispania erexit, ad Metaurum restituit, ad Ramam victricem declaravit. Accidit sanè, ut nullo unquam bello ita propiores fuerint periculo Romani, qui Deum vicêre, scribit Sabellicus lib.7.c.8.

Festus Pompejus, teste Erasmo, & Cælio Rhodigino, indicat, Osculanam pugnam proverbio dici solitam, quoties victi vincerent; idque inde natum, quòd Valerius Levinus Imperator, primò à Pyrrho Epirotarum Rege, à Tarentinis in auxilium accersito, victus, paulò pòst eundem Regem vicerit.

Lucius Æmilius Paulus junior, proconsul, in Hispania primùm cum Vaccetanis & Lusitanis adverso marte pugnavit apud Lyconem oppidum, ubi 6. millia de ipsius exercitu cecidêre: insequenti anno eosdem Lusitanos fudit, cæsis 18. millibus, captis verò 3. millibus & trecentis, ob quam rem supplicatio ei decreta, ut ex Livio annotat Volaterranus lib.13.c.3.

Apolloniæ in Epiro, cùm opposita haberent castra Cneus Pompejus, & Julius Cæsar, ferebantur quotidie intra vallum Pompeji tumultariæ pugnæ, in quibus Cæsar omnibus superior extra unam fuit, in qua, cùm fœdè fugerent sui,

castra

castra penè amisit, adeoq; res deploratæ Cæsaris erant, ut, cùm Pompejus sine suspicione aliquâ, sine fortunâ non esset actum tam eximium prosecutus, sed compulsis intra vallum iis, qui fugiebant, receptui cecinisset; Cæsar discedens, diceret ad amicos: Hodie penes hostes victoria fuisset, si habuissent vincentem. Ergo mutato cõsilio instituit in Macedoniam contra Scipionem inducere, ut Pompejum quàm longissimè à mari traheret, ne à classe subsidium habere posset. Sic tandem in campis Pharsalicis victor bello finem imposuit, ut in ejus vita scribit Plut.

Contra Narsei, Persarum Regis, immensum exercitum juvenili ardore progressus Galerius à Diocletiano adoptatus, haud longè à Carris victus, omnem penè amisit exercitum. Acerrimè itaque à Diocletiano castigatus, hac contumeliâ quasi cote usus est ad virtutem. Nam refecto supplemento, ex lectissimis militibus Daciæ, Illyriæ ac Mœsiæ, contra Persas feliciore auspicio profectus, ut ignominiam aboleret, omnia priùs diligentiùs exploravit, quàm manus consereret. Itaque in majori Armenia castra noctu hostilia ex improviso 20. millibus equitum adortus, Persarum multitudinem felici victoriâ stravit, & fines Romani Imperii longiùs produxit: fugatus vulneratusque Narseus ad invios Parthorum montes recessit, teste Cuspiniano in Cæsaribus.

Constantius Chlorus, quem Maximilianus

adoptaverat, Galliis præfectus, apud Lingones uno die utramq fortunam est expertus, ut ibidem tradit Cuspinianus. Cùm enim Alemanni magno irrumperent impetu, Constantium in fugam verterunt: is portis metu hostili occlusis, demisso fune per murum in urbem receptus, milites simul & cives adhortatus, ut fugæ ignominiam virtute delerent, eruptione factâ prope 60. millia hostium cæcidit. Quâ victoriâ liberatæ Galliæ, attritæ Germaniæ vires suas amisêre.

Parma civitas, in schismate illo gravissimo inter Fridericum II. Imperatorem, & Innocentium IV. Papam, ab Imperatore biennio integro fuit obsessa; tandem eruptione factâ, obsessi exercitum hostium securum fudêre, castraque, sub Victoriæ urbis nomine cepêre, ut Crantzius scribit lib. 8. Saxon. c. 13. & 14.

Sic & ad Morthlacum, Matreæ vicum, Malcolmus secundus, Scotorũ Rex, Enetum Suenonis, Regis Daniæ, & Angliç Regis Ducem, victorem ipse victus adortus, equo dejectum interfecit, ut author est Hector Boëtius lib. 11.

Huc quoque referendæ victoriæ & clades Alexandri, Ducis Litvaniæ, & Ludovici Comitis Flandriæ, paulò antè adductæ, flore 3. & 4.

Ex quibus omnibus liquet, Martem esse ἀλλοπρόσαλλον, ipsumque bellum rem dubiam & incerti eventus, & quod momenta recipiat in utramque

tramque partem repentina, alternasque vices, & quòd omnium maximè pendeat à divinâ quâdam & supernâ necessitate, ut Agathias loquitur lib. 3.

FLOS V.

Bellis civilibus nihil pejus, nihil miserius.

BEllò tertio Punico, cùm in senatu Romano de exscindendâ Carthagine diversis sententiis certaretur, etsi tunc vincebat Marci Catonis sententia, suadentis omnino hoc bellum & excidium Carthaginis, quæ quietura non videbatur, sed potiùs metuebatur, ne gravis illa adversaria immineret Romæ, subindeque fidem frangeret; sanius tamen, salubriusque populo Romano fuit Scipionis Nasicæ consilium, si ab eventu futurorum seculorum id ponderamus, qui belli hujus tam acerrimus fuit dissuasor, quòd justa ejus inferendi abesset causa, quàm excidii ipsius Carthaginis: *severitatem istam à Romanâ clementiâ alienam esse* dictitans, *& sublatâ istâ urbe fore, ut simul tolleretur cos Romanæ rubiginis.* Norat nimirum vir optimus & sap. externum timorem maximum concordiæ civium esse vinculum, & pacem sæpe periculosiorem esse bello; & quòd multis noceat, adversario caruisse, dum quorun-

dam virtus in otio lateat, aliorum prorſus emarceſcat, locum ſubmoti hoſtis occupante luxuriâ, utpote quæ primam aperit feneſtram ruinæ, regnorum & Rerump. *Utiq; enim nulla homini pertinacior lis eſt, quàm cum animo moribúsque ſuis*, & nunquam minus induciarum, quàm cùm intra murum pugna conſeritur; quod genus hoſtium bello languidum, pace fervidum experimur, & ſub toga plus auſurum, quàm ſub galea.

Quod Romanorũ exemplo ſatis liquet, quos bello indomitos, & omnium gentium victores, pax tranquilla perdomuit, &, ut quidam illius ęvi ſcriptor eleganter conqueritur, *victum orbem victorum victrix ulta eſt luxuria.* Hinc & Auguſtinus lib.3. de civitate Dei c.21. Ultimo bello Punico, inquit, uno impetu alterius Scipionis æmula Imperii Romani urbs à ſtirpe deleta eſt, ac deinde tantis malorum aggeribus oppreſſa Romana Reſpub. ut proſperitate & ſecuritate rerum; (unde nimiùm corruptis moribus mala iſta cõgeſta ſunt,) plus nocuiſſe mõſtretur everſa, quàm priùs nocuerit tamdiu adverſa Carthago. Nimirum ita ferè accidit, ut cives foris ſecuri, domi ex nimio otio in luxuriam, ſuperbiam & ambitionem ruentes, ſimultatibus primùm, dehinc factionibus, poſtremò magnis & pernicioſis tumultibus Remp. perturbent, & in propria patriæ viſcera nefarias manus ſtringant, quæ Romano-

manorum bellis civilibus Tacitus lib.2.hist.illustrat: Vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, inquit, cum Imperii magnitudine adolevit erupitque. Nam rebus modicis æqualitas facilè habebatur; sed ubi subacto orbe, & æmulis urbibus, Regibusque excisis securas opes concupiscere, vacuum fuit; prima inter patres plebemque certamina exarsêre, modò turbulenti tribuni, modò consules prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta civiliũ bellorum; mox ex plebe infimâ Cajus Marius, & nobilium sævissimus Lucius Sylla victam armis libertatem in dominationem verterunt, post quos Cneus Pompejus occultior, non melior; & nunquam postea, nisi de principatu quæsitum. Non discessêre ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Ottonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint; eadem scelerum ira, eadem hominum rabies, eædem scelerum causæ in discordiam egêre. Et Orosius lib.6.hist. c.17: Medeam illam fabulæ ferunt dentes quosdam occisi serpentis sevisse, è quibus quasi competens semini seges, armati homines terrâ emerserint, seseque mox invicem pugnando prostraverint. Roma autem, Cæsare occiso, quanta de cinerib ejus agmina armata parturiit, quanta bella in testimonium miseræ fœcunditatis non legenda pueris, sed spectanda populis, excitavit. Et tamen horum omnium malorum initium su-

perbia est, inde exarserunt bella civilia, inde iterum pullularunt.

Calamitatem horum bellorum civilium luculentiùs persequitur Sabellicus libr. 1. Enneadis 6. his verbis: Romana civitas excisâ Carthagine, Numantiâ eversâ, velut nullum ampliùs superesset certamen suis viribus dignum, quàm validæ illæ essent, in seipsam experiri adorta est, sed tanto quidem id scelus est cum pudore ab initio tentatum, ut Tiberius Gracchus, & qui cum eo primâ civili discordiâ perierunt (*a.M.3839.*) subselliorum fragmentis, quando in civem ferrum stringere, impium crederetur, interfecti sint. Secuta est Caii Gracchi cædes (*a.M.3851.*) Ac tunc primùm civili sanguine Romanum ferrum imbutum, in eo tamen temperatum, quòd in paucorum capita cędes est ista pervagata. Sed ut feræ quædam, quæ, humano cruore semel gustato, in apertam rabiem exeunt; ita civitas, suorũ civium sanguine semel atque iterum infecta, in tantam domestici cruoris sitim exiit, ut justâ acie sit nonnunquam inter cives, in parentum & natorum conspectu, mediâ urbe dimicatum. Hinc nefarium illud Caii Marii & Lucii Syllæ certamen (*a.M.3884.*) quod tot millia civium patriæ abstulit, triste ac dirum futuris malis rudimentum. Gesta sunt inde alia civilia bella, quorum velut non satis capax esset Roma, nõ satis Italia, nefasque putaretur, civem in eo solo cadere, in

quo &

quò & natus esset & educatus, civilis furor in Macedoniam primò translatus (*a. M. 3923.*) est; ad Meridiem mox se vertit, & inde ad Occidentem, ut omnibus diffunderetur terris victoris populi cruor. Senserunt & maria id nefas, Lybicum, Siculum, Ambracium; at postremùm terræ rursus, Philippi, Gallia, Germania; ne qua mundi plaga esset, non Romani sceleris conscia; donec civitas, omnium alioqui gentium victrix, in suum concidit vulnus. Ex quibus omnibus, quæ huc usque de Romanorum bellis civilibus dicta sunt, videre est, *civilib. bellis nihil esse pejus, nihil miserius, nihil humanâ societate indignius*, utpote in quibus secundùm Tacitum lib. 3. hist. non ætas, non dignitas quemquam protegit, quò minùs stupra cædibus & cædes stupris misceantur, & in quibus, ut Dionysius Halicarnass. scribit lib. 6. *victos sequitur miseria, victores injustè faciunt, & accidit illis quidem, ut ab amicissimis perdantur, istos verò, ut amicissimos perdant:* quod ex lugubri isto apparet prælio, quo apud Janiculum adversus Cinnam pugnatũ est (*a. M. 3885.*) ubi ignorantes duo concurrerunt fratres, alter ex Pompeji, alter ex Cinnæ exercitu. Pompejanus victor, cùm occisum à se hostẽ spoliaret, agnito fratre, ingenti lamentatione editâ, rogo ipsi extructo, ipse super rogum se transfodit, atque ita eodem igne est consumptus. *Miserius autem in bellis civilibus nihil est,* (inquit Cic. pro Marco

Marcello) *quàm ipsa victoria*; quam fœdum in modum Marium & Syllam invicem in alterius amicos exercuisse hoc ipsum testatur bellum; & quamvis hæc ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores & impotentiores reddit, ut, etiamsi tales naturâ non sint, necessitate tamen esse cogantur; id quod in civili bello Cęsaris cum Pompejo videre est, quod ab his accensum (*a. Mundi 3923.*) à Triumviris mox est continuatum (*a.M. 3929.*) qui in proscriptione inimicorum suorum ipsos quoque amicos prodere, atque ita alter alterius sævitiæ & odio gratificari coacti sunt.

Quantis verò odiis, & quàm fortunâ variâ bello Peloponnesiaco per 27. annos Athenienses & Lacedæmonii inter se ob Græciæ dominatum concertarint, & suis discordiis omnem reliquam Græciā implicuerint, prolixè describitur à Thucydide lib. 8. & Diodoro Siculo lib. 11. & 13. Hoc in bello multæ urbes funditus sunt deletæ, multi cives interfecti, & extinctâ naturali στοργῇ sævitiam exercuerunt cognati in cognatos; ipsa Attica urbs in tristē incidit servitutem, ejusq; muris ad tibiarum cantum dirutis, à Lacedæmoniis victoribus impositi 30. tyranni (*a.M.3568.*) qui in præcipuæ nobilitatis viros crudeliter sævierunt; Lacedæmoniorum exinde vires in pugna Leuctrica fregerunt Thebani, de quo vide Pausaniā lib. 9. & Diodor. Sicul. lib. 15. Exortum tandem bellum sacrum, sive Phocicum (*an.M.3616.*) in

quo

quo cùm Grçciç civitates attraxissent Philippum Macedonē, exhaustæ viribus, oppressæ sunt tristi servitute, ut videre est apud Pausaniam lib.10. & Diodor. Sicul. libr.16. Sic ergo Græciæ civitates, dum imperare singulę cupiunt, imperium omnes perdiderunt, & dum in mutuum exitium sine modo ruunt, omnibus perire contigit, & quod singulę amitterent, oppressę demum servientesq; senserunt, quarum insanas concursationes dum Philippus veluti è speculo observaret, auxiliumque semper inferioribus suggerendo, contentiones, bellorum fomites, callidus belli artifex foveret, victos sibi pariter victoresq; subjecit, ut eleganter scribit Orosius lib.3. hist. c.12.

Porrò, quomodo *bellorum civilium insaniâ omne sanctum ac sacrum profanetur*, ut Seneca scribit libr.1. de beneficiis c.10. patet quoque ex Monstreleti lib.1. rerum Gallicarū c.79. & seqq. ubi describitur, quomodo inter duas regias in Gallia familias, Aurelianensem & Burgundicā, totos 60. annos perpetuis bellis fuerit certatum, in quibus similiter nihil sævitię omissum, præsertim à Parisiensibus, qui Burgundi partes fovebant. Illi Connestabilem, illi cancellarium Galliæ obtruncarunt, & utriusque corpus plurimis ludibriis vexatum passim per vicos raptarunt, illi multos prçterea proceres & Episcopos, & tria millia fermè illustrium virorum custodiis extracta, crudeliter mactarunt. Dux sævienti turbæ

Capiluchius sese obtulit, Parisiensis carnifex, sed earum partium quoq; fautores, crudelitate nondum expletâ, Anglos in Galliã vocarunt, qui ea propè potiti sunt; Carolum VI. Regem, adversus filiũ, Gallorũ alteros in alteros armarunt; imò, ne quid inausum relinquerẽt, supplicia in defunctos cõposuêre. Nã extortis à Papâ bullis, Aurelianẽsis domus cliẽtes excommunicationib. atq; interdictis mortuos juxta ac vivos persequebantur. Etenim si cuj⁹ Aureliani, sive is morbo, sive in ꝓlio, sive in vinculis mortu⁹ esset, corpore potirentur Burgundici, sepulturâ ꝓhibebant; itaq; in exquilias insepulta cadavera lupis & feris abjiciebãtur.

In Anglia quàm cruentis lanienis & parricidiis mutuis ultra centum annos perdurarint regiæ familiæ, Eboracensis & Lancastriensis, prolixè Polydorus describit 6. libris posterioribus.

Hi illi sunt præclari fructus bellorũ civilium, quæ, ubi semel efferatis odio animis in morem vertêre, in scelera, quamvis immania & nefanda, prorumpunt, dum non jure, sed utilitate suos amicos atque inimicos, ii, qui rerum potiuntur, æstimant, ac pro opportunitate temporis & hostes & necessarios suos judicant: Cæterùm quòd *regna externis bellis quæ steterunt, domesticis nullo impellente ruant*, Sen. 92. planum fecimus in flore 21. Coronæ 1. exemplo 3. Monarchiæ & Romani Imperii tã in Oriente, quàm in Occidente. Quocirca non immeritò quis *bella civilia mare calamitatum* dicet, & cum Nestore eum, civile

bellũ qui inferre parat patriæ,nõ secus ac viscera sua lacerantẽ,detestabitur apud Homer.Iliad.9.

Flagitiosus is est,sceleratus,inutilis,excors,
Quisquis amat patriæ bella intestina movere.

Cujus mentem explicuit & diffudit magis Cicero Philippicâ 12. *Nec privatos,*inquiens,*focos,nec publicas leges,nec libertatis jura chara habere potest; quẽ discordia,quem cædes civiũ, quem bellũ civile delectat,eũq; ex numero hominũ ejiciendũ,& finib.humanæ naturæ exterminandũ puto.*

Quamobrẽ sapiens Princeps nulli rei,nulliq; labori parcet,ut dissidia intestina maturè sopiat; memineritque Liviniani illius dec.1.lib.7. *conditionibus iniquis potiùs esse standum,quàm impias inter cives conserere manus.*

Documento sit Carolus VII.rex Galliæ,quo adhuc Delphino,Joh.Burgundiç Dux,Ludovico hujus patruo per insidias interfecto,regnũ armis peregrinis & civilib. impleverat,ipsumq; Regem Carolũ VI.cum Reginâ in suam potestatẽ redegerat,ut Delphino bellũ inferret. Hæ satis justæ & idoneç visæ sunt causæ Delphini familiarib.ut adversus Ducẽ audax aliquod facin⁹ moliretur; idq; adolescenti facilè ab illis est persuasum. Carolus itaque simulans,pacem se optare,misso ad Ducem nuncio, locum & tempus mutui congressus deligi petiit. Locus igitur designatur, Monstreolum oppidum situm ad Yonæ & Sequanæ confluentem. Quâ fide à Carolo acceptâ,

eniens Dux, cùm Delphinum salutaret, ab ejus omitibus circumventus, cum nonnullis clienti-us trucidatur. Hujus filius Philippus fœdam atris necem adeò indignè tulit, ut ex eo tempore omnia moliri cœperit, quibus eam ulcisce-etur. Itaq; jam antè cœpta bella civilia in lon-um trahebantur, Angli per speciem alienæ per-:quendæ injuriæ in Gallia res suas agebant, Normanniam, Lutetiam, Picardię magnam par-em sibi adjungebant, Aureliam jam quoque osam obsidebant. Inter has rerum moles Ca-olus VI. moritur; Carolus itaque VII. regni aterni hæreditatẽ adiens, sed magnâ ejus parte xutus, regulus Biturigum per ludibrium voci-abatur. Hic sapienter cogitans, fore, ut brevi, si ongiùs bella serperent, cætera quoque amitte-et; totus in pacis studium versus, omni opere entavit, ut cum Philippo Burgundo in concor-iam rediret. Missis igitur ad eum legatis, Con-estabile, Cancellario, & amicorum præcipuis, unciari jubet, se ultrò ab ipso pacem petere, a-noscere, ab se pravo consilio patrem ipsius Jo-iannem per scelus interemptum, si eâ tum pru-entiâ fuisset, quâ nunc polleret, aut si id infe-tum reddi posset, nunquam se tantum nefas dmissurum, aut permissurum fuisse; cęterùm se, uacunq; ratione vellet, satisfacturum illi, mul-tamque, quam is diceret, sibimet irrogaturum; nò petiturum ab ipso veniam gratiamque tanti

sceleris

sceleris per legatos, qui vicem ejus obirent; præterea se dono illi dare comitatus, Matisconēsem, Altisiodorensem & Boloniensem, oppida S. Jangonii & Parii ad Sequanam, multasq; alias ditiones. Deniq; ipsi ac subditis, quādiu viveret, se remittere officiū & obsequiū personale, quod sibi tanquā vasalli & clientes regni Galliæ deberent. Præterea Duci datum, ut in eos animadverteretur, qui patrem ipsius interfecissent, aut quorum consilio Rex tum Delphinus ad id facinus impulsus esset. Ad hunc ergo modum Carolus VII. tempestivè submittendo animos, & culpam agnoscendo, domestica bella sustulit. Ex quo tempore omnia ei prosperè evenerunt, ut externis quoque adversum Anglos finem imponeret: vide Monstreletum libr. 2. c. 175. 176. 180. & seqq. Exemplo quoque sit Almus Colomanni Regis Ungariæ frater, qui à Vladislao hęres regni scriptus, Colomanno fratri natu majori sponte cessit; intercedentibus autem ultrò citroque suspicionibus, quas utrinque adulatores suscitarant, in Poloniam aufugit, ibique accitis Sarmatarum & Ungarorum, qui suas partes sectabantur, auxiliis, in Pannoniam reversus, de regno cum fratre decertaturus, oppidum Castrum ferreum occupavit. Quod cùm Rex oppugnare vellet, Almus humanitate potiùs, quàm vi fratrem vincere cupiens, solus in castra regia properavit, & ad fratris pedes procidens, suam inconstantiam & cre-

dulitatem incusat, veniam & misericordiam precatur, Ungaris & Polonis ignosci postulat. Rex fraternâ pietate motus, veniam omnibus concessit, fratremq; in Regiam revocavit, ut author est Bonfinius lib. 5. decad. 2.

Sic & civili bello inter Duces Saxoniæ, Fridericum II. Electorē, & Wilhelmum, fratres germanos, exorto ob iniquam hæreditatis paternæ divisionem; Apollonio, Vicethumio, aliisq; proceribus, quibus ea discordia quęstui erat, tubam belli inflantibus, cùm vastatis jam agris tota provincia pessum iret; Apollonio peregrè absente, utpote qui post cladem Gerensibus illatam, ad declinandam Wilhelmi Ducis iram, Romam abierat, Elector fratrem Lipsiam ad Bacchanalia invitavit, cum illo de pace acturus; quæ unico quoq; colloquio feliciter ibi est confecta, ut prolixè hoc describit lib. 7 Orig Saxonicarum.

Pari modo Steno, Sueonum Rex, non parvum exercitum ad debellandum Jacobum Vesaliensem Archiepiscopum, quòd Danis favere videretur, coëgerat, & jam ad locum deventum erat, in quo non minores copiæ pro Archiepiscopo pugnaturæ convenerant. Ergo clàm insciis proceribus ad Archiepiscopū, in propinqua villa Nees apud arcem Stechā commorantē, accessit, & sine arbitris cum eo in gratiam reversus, admirabili lætitiâ omnes, qui in mutuam cædem parati stabant, affecit, ut author est Joh. Magn⁹ lib. 23. c. 15.

Flos VI.

Belli Dux bonus victoriæ non parum commodat.

Quamvis omnis victoria à solius Dei pendet bonitate & potentiâ, piisque & è verâ scaturigine cordis promanantibus impetratur precibus; tamen præter causæ justitiam, quæ Deum patronum habet, ad victoriam quoque obtinendam non parum conducit Dux bonus, rei militaris scientiâ, virtutibusque tam imperatoriis, quàm moralibus ornatus, & authoritate divinitus armatus, quemque sua fortuna non destituit. Hæc enim illa sunt boni Ducis προσκεύασμα, de quibus in strategematographia nostra lib. 1. c. 23. prolixè disseruimus. Demonstrare hoc multis Regum & Principum victoriis supervacaneum ducimus, siquidē omnis historia ejusmodi belli Ducum referta est exemplis, qui bello res prosperè gessêre, partim audaci celeritate, partim cauto consilio, tum alacri amicorum ministerio, & confidentiâ in periculis, opportunorumque consiliorum usu. Hi omnes documento esse possunt, *egregii esse Imperatoris, non solùm præsentia rectè agere, sed & futura prospicere*, vel, ut Sertorius ait apud Plutarchum, *à tergo magis, quàm à fronte prospicere; id præterea esse viri & Ducis, non*

deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium, ut Livius monet decad.3.lib.8. *Imò huic cauta potiùs cum ratione, quàm prospera ex casu placere, satis citò victoriam incipi rato, ubi provisum est, ne vincatur*, ut est apud Tacitum lib.2.hist. Etenim si, ut Iphicrates distinxit, teste Plutarcho in Pelopida, manibus levis armatura, pedibus equites, ipse autem phalanx pectori & thoraci, capiti denique dux respondet, sanè hic, si temere pericula adeat, nõ sui ipsius, sed omnium eorum, quorum salus ab ipso pendet, curam abjecisse censebitur. Si quis verò Dux pro se cautus est, & captatâ occasione hostem opportunè invadit, is plerunq; fit voti compos, ut Thucydides scribit lib.3. Hinc in militaribus Imperiis eo potissimùm nomine Pericles est laudatus, teste Plutarcho in ejus vita; quòd securitati studeret, neque pugnam consereret, incerto eventu & periculis multis propositis, neque imitaretur eos Duces, qui, cùm temere in discrimen pugnę rem adduxissent, prospero usi successu magni habebantur; solitus etiam crebrò ad cives suos dicere, quantum in se positum, ipsos nunquam morituros. *Bono nempe Imperatori* (inquit Livius dec 3. lib.2.) *haud magni fortuna momenti est, mens ratioq; dominatur*; is sævo tempore, & sine ignominiâ servasse exercitum, quàm multa millia hominum occidisse, majorem esse gloriam ducit. Ea igitur satis decora sunt Ducis consilia, quæ

dubiis

dubiis rebus securitatem promittunt; illa verò longè turpissima atque miserrima, quæ ab ipsâ temeritate, dum inanem animi vigorem ostentamus, omnes summæ rei conceptæque demum victoriæ rationes conturbare consueverunt. Liviana testatur historia anno belli Punici secundi altero, gavisum Hannibalem, cùm Sempronium & Flaminium, prompti & rapidi ingenii Imperatores, adversus se misissent Romani *(a.M.3755.)* & cùm ferociùs, quàm consultiùs rem sciret gesturos; eorum temeritati inescandæ levibus aliquot præliis passum se vinci, idq; damnum haud ægrè tulisse, ut causam justi certaminis cum illis contraheret; eos deinde, quò proniores in sua vitia essent, sociorum cædibus atque incendiis irritasse, qui suum dedecus rati, per mediam Italiam, verùm impunè, vagati, pugnandi consiliũ ceperint; ac proinde, dum ita præproperè universo periculo summam rerum committunt, insignibus præliis duobus ab Hannibale victi sint. Sed Dictator Fabius longè aliâ ratione id bellum gessit. Nam consilio magis, quàm fortunæ confidens, itineribus diligentissimè exploratis, ad hostem ducebat, neque quoties Pœnus in aciem educeret, faciebat pugnandi copiam. Ea solers Fabii cunctatio Hannibalem nõ mediocri curâ sollicitum reddebat, quòd cum Duce, Flaminii aut Sempronii haudquaquam simili, res sibi esset; cerneretque, Romanos cum tandem

delegisse militiæ ministrum, qui bellum ratione, non fortunâ gereret. Dictatoris igitur prudentiã, non vim, extemplo metuit, constantiamque ejus haud dum expertus agitare & tentare animum, movendo crebrò castra, populandoq; in ejus oculis sociorum agros cœpit, & modò citato agmine è cõspectu abibat, modò repentè in aliquo flexu viæ, si excipere digressum in equum posset, subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducens, modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur, carpens agmen, palantesque excipiens, in casum universæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non veniebat; satius esse ducens cunctando, sensimque progrediendo Hannibalem distinere, quàm ut subitò universus exercitus fortunæ periculum subiret. Hanc ejus cunctationem populus infamem ducens, cùm potestatem faceret Minutio magistro equitum, contra Dictatoris imperium dimicandi; huic insidiis circumvento, ac penè cum exercitu oppresso, succurrens Fabius, ubi hanc hosti victoriam extorsit, Hannibalem ex acie redeuntem palàm dixisse ferunt: *tandem illam nubem, quæ sederet in jugis montium, solutam in procellam imbrem dedisse*. Quo Annibalis testimonio patet, Duces cautos atque prudentes, qualis fuit Fabius, multò vehementiùs esse metuendos, quàm feroces atque fervidos, eumque, qui sanis consiliis paret, apud hostes

hostes formidinem concitare, nec inimicis ex se crescendi potestatem facere. Ipse verò Fabius sedendo & cunctando magis, quàm ullis viribus Hannibalem frangens, eumq; tutis & lentis suis consiliis sensim, veluti amnis sine strepitu allabens, continenterque lambens, subruens atque absumens, exemplum exhibet verè prudentis viri, non modò fines ipsos, sed etiam principia rerum expendentis, qui mavult esse tutus, quàm temerarius Imperator, & occasione potiùs captatâ, hostem suis copiis adoriri, quàm vires suas temere ostentare. *Temeritas siquidem in se aliquid recipientis praepropera*, ut Dion scribit lib. 36. *in rebus agendis multoties damnum affert; accurata verò consideratio ab initio adhibita, in actionibus perdurat, omnibusq; emolumento cedit.* Idem Fabius, cùm semel constituisset, ferocem Hannibalis exercitum morâ comminuere, non passus se à salutari suo absterrere proposito, quamvis cunctator primùm, deinde patrię quoq; proditor audiret, *pro patriâ haud turpe esse ducens timere; at expavescere ad hominum opinionem, calumnias & opprobria non esse viri tanto Imperio digni*, sed illis servientis, quib. ipsum decet imperare, & malè cōsultos reprimere; documento est, nullum majus indiciū excelsi & constantis animi in Principe haberi, quàm fidei & ꝓpositi constantiam, nec facilè reperiri virtutem, quæ majorem vim habeat animos hominū conciliandi, com-

parandiq́ue authoritatem. Et certè eventus declaravit, quanto ipse fuerit animo, quâ prudentiâ, quo amore in patriam & cives, ut non solùm ab exercitu Minutiano deinceps audiret pater & patronus, sed & scutum populi Romani; & confessione omnium de ipso celebrarentur versiculi, vetusti illi quidem & rudes, sed magnifici comprimis elogii;

Unus homo nobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores ante salutem:

hoc est, non prætulit vulgi rumores publicæ saluti, sed maluit Dux utilis esse, quàm vanâ & stultâ prædicatione nobilitari.

Sic &, cùm Gallorum exercitus incommodis bellicis pressus Mediolano, quod antea obsederat, retrocedere cogeretur *(a.C.1523.)* non modò milites & populus, verùm etiam tribuni militum, qui Mediolani erant, & summę authoritatis viri, Prosperum Columnam Cæsarianum præfectum, se in Gallos duci vehementer postulabant; victoriæ facilitatem ei ostendentes, quòd viribus haudquaquã se hostibus inferiores, animo verò ac virtute longè superiores esse viderentur: quòd fieri non posset, quin is receptus maximæ illius exercitus parti haud levem timorem injecisset, quod & multi Itali milites eâdem horâ ab illorum castris profecti confirmabant. Præterea infinitam illi gloriam, nominisq́ue ipsius immortalitatẽ proponebant, si tot jam partas victorias hac

hac postremâ laude ac triumpho confirmaret. At in Prosperi animo semper, ut, quantum posset, ne se fortunæ arbitrio subjiceret, fixum erat; adeóq; in sententiâ suâ haud secus ac firmissima turris contra ventorum impetum immotus permanebat, & minimè sapientis Imperatoris esse, populi vocibus moveri, vel milites suos in eos hostes ducere, quibus nulla alia præterquam defensionis suæ spes reliqua esset, respondebat; satis magnam victoriam, & satis amplam gloriæ partem esse in eo, quòd hostes sine suo periculo & sanguine discedere coëgissent, neque hominum cupiditatem infinitam esse debere; posse unumquemvis per se facilè videre, longè majus, si res improsperè cederet, fore detrimentum, quàm emolumentum, si prosperè eveniret; se res suas semper his artibus ad honoratum finem perduxisse, semperque plus Ducibus temeritatis infamiam obfuisse, quàm victorię gloriam profuisse, experientiâ didicisse; propterea quòd in ejus partem nemo veniret, tota & integra Imperatori tribueretur; rerum verò in præliis feliciter gestarum laudem hominum saltem opinione cum multis communicarit; nolle se, cùm jam morti proximus esset, nova consilia sequi, eaque deserere, quibus in tota vita retentis, gloriam, utilitatem, amplitudinemque esset adeptus, ut Guicciardinus scribit lib. 15. hist. suæ.

Verè itaque Vellejus Paterculus lib. 2. Nihil,

inquit, in bello videre majus, aut mirari magis potui, quàm quòd Imperatori nunquã adeò ulla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis, semperq; visum est gloriosum, quod esset tutissimum, & antè conscientiæ, quàm famæ consultum; nec unquã Ducis consilia judicio exercitus, sed exercitus providẽtiâ Ducis rectus est. Ex his igitur manifestum est, vix quoquam ad felicem victoriã æquè opus esse, atque bono Duce, qui optimus eorum, quæ agit, judex, utilia speciosis prȩferens, nõ quȩ utiq; probantur, sed quȩ ꝑbanda sunt, sequitur; quæq; ad summam belli respicere, omnique industriâ præsentibus malis occurrere novit; nec solùm vincendi, sed & cedendi tempora perspicit: quo salvo, etiamsi aliquando reliqua cadant, multas tamen occasiones fortuna subministrat, quibus detrimenta ex calamitosis eventib. accepta, sarciri possunt. Si a. ille perinde, ut in navi gubernator, ceciderit, etiamsi reliquæ multitudini fortuna victoriã adversus hostes largiatur, nihil tamen cõmodi inde provenit, ꝓpterea quòd omnis omniũ spes pendeat à Ducibus, ut Polyb. scribit lib. 10. hist. Econtrà omnium seculorum testatur experiẽtia, numerosissimas quoq; copias, si nactȩ fuerint Duces, imperandi minimè gnaros, nullũ nõ modò præclarũ facinus perpetrare, sed & sæpenumero ipsasmet suarũ cladium existere authores, & tantò magis conflictari, quantò major est earum numerus.

FLOS

FLOS VII.

Ducum belli multitudo ficulneum præsidium: discordia præsentissimum exercitus venenum.

QUemadmodum, teste Tacito libr. 1. Annal. ut unius imperii corpus unius regatur animo, ipsa suadet natura & ratio; ita quoque in bellis uni alicui principi viro, quàm plurimis Ducibus, summa rerum rectiùs & feliciùs commendatur. *Neq; enim diu validum, aut unquam concors aliquid esse potest, quod non ex unius voluntate, sed multorum pendet arbitrio.* Hinc rectè & prudenter existimat Cominæus lib. 2. de rebus gestis Ludovici & Caroli, eum, qui solus in potestate habet decem hominum millia, magis esse metuendum, quàm decem confederatos, qui singuli senis millibus præsunt, quòd, quia nullius hîc est præcipua vel singularis authoritas, multa quotidie in disceptationem incidant, & antequam aliquid constituatur, prætereant ferè occasiones. Atq; hoc ipso argumento Carolum V. Cæsarem despondisse sibi ferunt victoriam in bello Germanico de confederatis Schmalcaldicis, postquam ad Ingolstadium primus fervor atque ardor animorum deflagravit, ubi in colle stans, inspecto Germanorum exercitu; (senten-

tiam n. dicebant non ſolùm Principes,ſed etiam civitatum legati, qui bellum nunquam adeò viderant,) *paulò pòſt defuturā eis dixit ſapientiam & pecuniam.* Quod idem de Peloponneſiis olim inculcavit ſuis civibus Pericles,cùm diverſæ copiæ ſimul eſſent. Difficillimum præterea eſt,ut, qui æquali ſunt potentiâ Principes,in belli ſocietate diuturnam amicitiam colant,niſi majori alicujus authoritate cohibeantur. Ducibus autem disſentientibus, quid, quæſo, firmitatis aut roboris in militibus eſſe poteſt? *in diſſenſione certè nulla ſalus conſpicitur*,ſcribit Cęſar lib.5.de bello Gallico; imò ſecundùm Polybium libr.3.ſi primarii Duces disſimiles diſcordesq; ſunt,nihil in exercitu perniciosſius accidere poteſt. Notum hoc ex ignominiosâ iſtâ Romanorum clade, quarto Vejentini belli anno caſtris exutorum ab hoſtibus, malitiâ Servii & Virginii tribunorum militum,quorum ille non priùs auxilium à collegâ & ſocio petiit, quàm amiſſo exercitu in fugam eſſet conjectus; hic exercitum cum patriæ dedecore fractum videre maluit,quàm ſocio,qui non ſupplex petiiſſet,auxiliari, Liv.dec.1. lib.5.

De hujusmodi belli Ducibus rectè Procopius lib.2.de bello Gothico; *Proditores*, ait, *jure non ſolùm ſunt nuncupandi,qui portas hoſtibus patefecerint,ſed longè magis,qui obſeſſis & amicitiâ conjunctiſſimis,ferre dum auxilium queunt,id tamen vel periculum veriti,vel quia otium potiùs,quàm negotium*

negotium malint, cùm metuunt, in hostium ditionem eos tradunt. De alterâ Romanorum clade itidem ob tribunorum discordiam à Vejentibus acceptâ, diximus in strategem. nostrâ lib. 1. c. 23.

Froscardus quoq; refert, quendam belli Ducem Anglum, virum & animo & consilio præstantem atque fortunatum, voluisse quodam die oblatâ occasione commodissimâ ferire hostem, utque negotium rectiùs conficeret, orasse Comitem quendā Anglum, certo numero equitum sibi ut ferret suppetias, alteri verò à suis hoc dissuasi; quòd ille, si feliciter caderet, omnem rei gestæ laudem solus esset habiturus, ageret negotium ipse suum, & aliquid moliretur, unde solidam obtinere posset gloriam; & hac ratione alterum impeditum, quod maximè optabat, perficere nequivisse. *Nimirum ubiq; dominatur invidia & ambitio*, maximè verò in bellis, in quibus Duces pleraque vera, aut vero proxima suadendo æmulorum authoritatem comminuere & obscurare nituntur. Et sæpenumero fit, ut, dum alter in alterius gratiam nihil vult suscipere molestiæ, omittantur præclarissimę rerum gerendarum occasiones, & adversarii hoc ipsum deinde in suum convertant usum. Atque hoc magis accidit, ubi inimicitiæ inter Duces existunt, quas facilè illi suscipiunt, non respicientes ad eum, qui ferè comitari solet, tristem & luctuosum exitum. Omnino enim, ubi consimili Imperio concordia

non ineſt major aliena opera interpellãdi, quàm ſua edendi cupiditas naſcitur; ubi verò pertinax intercedit odium, alter alteri quàm uterque contrariis caſtris certior hoſtis proficiſcitur. Sic & Græcis Trojam obſidentibus nihil æquè obfuit, ac Regum Agamemnonis & Achillis discordia, quæ multò ſęvior Danais incubuit, quàm aut fames, aut peſtilentia. Fuit enim hæc brevis, & paucorum dierum, ſed cædes, quæ ob Achillis ſeceſſionem eſt ipſi genti ab hoſtibus illata, fuit omni calamitate calamitoſior, ut ex Dyċte Cretenſi refert Sabellicus lib. 3. c. 3. Hinc Horat. lib. 1. epiſt. 2.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Nec Periclis & Cimonis æmulatio Atticæ profuit civitati. Hinc ſævientis populi fœdæ illæ tempeſtates Pericli viro ſummo, medio belli ardore, alienis ſtimulis cõcitatæ; ut, quæ vel utiliter fierent, eſſent ipſi Duci invidiæ. Eo bello, quo Hieroſolyma, Orientis olim clariſſima, exciſa eſt (*a. C. 71.*) nihil magis funeſtum civitati fuit atque exitiale, quàm Eleazari & cæterorum Ducum diſcordia. Horum diſſidium non minùs obſeſſam multitudinẽ intus afflixit, quàm foris Romanus hoſtis, qui mœnibus hærebat. Ceſſiſſet Gallis, Syriam Gothofredi Bullionii ductu & auſpiciis invadentibus, poſt Antiochiam captam, multò diuturnior de Hieroſolymis, cæteriſque ejus terræ urbibus, victoria, niſi Ducum

discordia

discordia intercessisset, quæ in causa fuit, ut, si qua lætitia orta est ex iis, quæ postea feliciter gesta sunt, plus nimio fuerit Christianis hominibus brevis, & victoria ad postremum irrita, ut Sabellicus scribit lib.7.c.2. Varnam quoq; in ora Pontici maris nobilitavit Christianus cruor, fuitque nostris hominibus pugna illa funesta & calamitosa, non magis hostium virtute, quàm Christianorum Ducum discordiâ. Nam dum quisque per se properat vincere, omnes unà victi sunt, atq; obsidione occisi. *Adeò dissidium perniciosa res est, ut divisi corruant, qui adunati viribus territabant*, inquit Jornandes lib. de rebus Geticis.

FLOS VIII.

Ducis improbitas, & regnorum & exercitus est perditio.

INter cæteras virtutes in belli Duce summa omnino justitiæ, quæ fidei tanquã firmo fundamento innititur, habenda est ratio, cum qua, teste Dione lib 41. etiã de armorum potentiâ spes bona proposita est; sine eâ verò nihil perpetuum extat, ut maximè in præsentiarũ quis victoriam obtineat. Justitia autem ubicunque inter mortales fovetur, felicem procul dubio Remp. reddit, stabilemque diuq; mansuram efficit, nec facilè injuriæ opportunam, ut capi ab hostibus queat, ut Agathias scribit lib.1.hist.

Econtrà verò præsentaneum regnorum & exercitus est venenum, Ducum improbitas, qui vel turpi desertione & fugâ, vel consilio hosti dato, vel aliâ ratione suos produnt. *Occultum nimirum & insidiosum malum est proditio, tantum incommodi humano generi afferens, quantũ salutis bona fides*, ait Val.Max.libr.9.c.6. Et, ut Xenoph.lib.2. de rebus gestis Græc. proditor occultus & clandestinus tantò perniciosior est hoste aperto, quantò difficiliùs est à re latẽte, quàm manifestâ sibi cavere; *imò proditor uno tempore perdit, quæ longo parta servataq; extitêre*, ut de Ruffino scribit Claudianus lib.2.in Ruffinum.

Heu, heu, quàm brevib. pereunt ingentia causis,
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille Ducum peperêre labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.

Documento quoque est Hierosolyma, ambitione & proditione Raimundi Tripolitani Comitis, non sine multâ Christianorum cæde in Saracenorũ manus redacta, 80. anno, postquam iis fuerat adempta, teste Vincentio lib.29.c.43. & Blondo libr.6.dec.2. Hic nimirum, cùm Guido Lusinianus morte Balduini quinti, privigni sui, ad regnum Hierosolymitanũ pervenisset, æmulatione accensus, Saladini Ægyptii opem implorabat. Cùm verò apertâ vi se imparem esse vidit, dolorem aggressus, Regi reconciliatur. Contra

eum

eum ob desertum fœdus movit Saladinus, & Tiberiadem obsedit, ubi commisso prælio, Raymundi proditione & turpi fugâ ex acie, Christiani miserè sunt cęsi; & Guido Rex, cujus auxilium Raymundus imploraraț, vivus, ut & ipsa Hierosolyma, regni caput, in hostis venit potestatem. Sic & Friderico bellicoso, primo ex Marchionibus Misniæ, Duce Saxoniæ Electore, in Norinbergensi conventu absente, (*a.C.1426.*) Hussitarum incursiones metuens ejus uxor, collecto undiquaq; exercitu, ei præfecerat Bussonem Vicethumiū, qui, ut se de Principe vindicaret, à quo nuper fratrem suum germanū proditionis reum capite damnatum meminerat; hostibus ad pugnam provocatis, ab initio statim turpi fugæ se mandans, cæsis suorum 12. millibus victoriam illis reliquit; teste Crantzio libr.11. Vandal.c.7. & Fabricio lib.7. Orig. Saxon. Sic & in eo prælio, quo Johannes Baliothus, Scotorum Rex, ab Eduardo I. Angliæ Rege victus est (*a.C.1296*) tradunt quidam, Robertum Brusium, Johannis in regno olim competitorem, ab Anglo astutè persuasum, secessionem necessariis suis, qui cū Scotis erant, imperitasse; quâ re territi reliqui Scoti, videntes se à suis proditos, fugæ initium fecêre, ubi veluti pecora, omnes, abjectis armis, mactandos se jugulandosq; præbuêre, ut author est Boëtius lib 14.

Johannes Corvinus, anno suæ gubernationis

regni Ungarici quarto, cõpensaturus cladem, in pugna Varnensi à Turcis acceptam, bellum inferre Amurathi cogitabat, & coacto exercitu, Istrum jam trajecerat ad Severinum oppidum. Postquam ergo in adversa Danubii ripa constitere, Corvinus Georgium Despotem Serviæ per legatos hortatur & orat, ad sacrã expeditionem ut veniat, beneficiorumque, quæ ab Ungaris acceperat, memor, ingratitudinis infamiã caveat, quâ nihil magis boni viri dignitatẽ dehonestat. Despotes, qui clandestinis cum Turcâ internunciis, recuperato Mysiæ regno, pacem servare nitebatur, ægrè ferens, Corvinum hominem novũ, sibi ex regiâ stirpe oriundo in gubernatione regni Ungarici esse prælatum, multa causatus, non solùm auxilia recusabat, verùm etiam abeunte Corvino ad perfidiam ilico conversus, celeribus internunciis Amurathem, & de Ungarorum adventu, & copiarum quantitate, & quotidianis eorundem itineribus edocuit, consilioq; insuper instruxit, ne hosti occurrat, sed ultrò progredi permittat, mox à tergo iter obstruat. Quod Despotis consilium Amurathes nequaquam aspernatus, duorum triúmve dierũ itinere Covinum subsecutus, à tergo tandem, ne retrò pedem referre posset, iter obstruxit, moxque ejus exercitum in angustias redactum, non sine suorum hostiumque sanguine, fugâ Corvino sibi consulente, oppressit, ut author est Bonfin. lib. 7. dec. 3.

Adeò

Adeò nihil proditoribus, aut iis, qui res novas moliuntur, tutum est, ut verè scribit Polyb. lib. 2.

FLOS IX.

Auxiliatores plerunq; sunt devoratores.

PRincipes, quibus omnino belli necessitas incumbit, Livianum illud decad. 3. lib. 5. probè memoriâ teneant; Id (inquit) cavendum semper Ducibus, exemplaque verè pro documentis habenda, nè ita externis credant auxiliis, ut nõ plus sui roboris, suarumque propriè virium in castris habeant. Omnino enim solent subditi acriores & fideliores esse externo milite, cùm quòd pro patriâ, pro aris & focis, pro conjugib. & liberis sibi depugnandum intelligunt, tum quòd jussa potestatemque sui magistratus magis reverentur atq; colunt, teste Polybio lib. 2.

Econtrà auxiliares milites, quoniam ab illo Principe aut Repub. à quo auxilio missi sunt, plerunq; stipendia accipiunt, fasces alienos atq; imperium parum curant, insuperque confecto bello, prædæ dant operam, eamque non ex hostibus solùm, verùm etiã ab iis colligunt, quibus auxilio missi sunt, sive id facere soleant propriâ libidine, sive dolo sui Principis, à quo missi sunt. Atq; hinc inferre licet, longè satius esse Principi,

qui se non nisi hujusmodi auxiliis defendere valet, cum hoste pacisci, quocunq; tandem modo, quàm ut hujusmodi refugia quærat. Ideoque prudenter Aratus apud Polyb. libr. 2. cùm Achæi contra Lacedęmonios viderentur sibi præfecturi Antigonum, tutorem Philippi Macedonis, in medium procedens, consilium illorũ redarguit; fore enim, ut devictis Lacedæmoniis etiam Achæos sibi subjiceret. Et legatus Acarnorum in concilio Lacedæmoniorum, cùm Ætoli vellent Romanos contra Philippũ accersere, dixit; Vos nebulam ex Hesperia contra Philippum excitabitis, sed quæ mox totam Græciam inumbrabit, ut idem scribit Polyb. lib. 9. Hanc in sententiam quoque apud Thucydidem lib. 4. Hermocrates Syracusanus graviter suos monet cives, ut mutuam tueantur concordiam, & in pristinam redeant gratiam, nec temere arbitros aut socios accersant Athenienses, qui, cùm cęteris Græcis antecellant potentiâ, intenti sunt in ipsorum errata, & honesto societatis prętextu hostilem animum à naturâ insitum continuè tegentes hoc agunt, ut ipsis mutuis cladibus fractis atq; oppressis, sibi in Sicilia quærant & stabiliant Imperium. Solent nimirum in bellis, & inprimis in publicis dissidiis, quando odii & iræ vehementiâ abrepti, utrinque ad externa auxilia confugiunt, peregrini ad bellorum societatem defensionis ergo, aut ad controversiarum disceptationem, tanquam arbitri

bitri invitati, plerunque utrisque fieri hostes, & vel iis, ad quos debellandos accersuntur, deletis aut repressis, socios devorare, vel partitione factâ, controversias sic dirimere, ut ad se trahant potiora, ut omnium gentium testantur historiæ.

Achas impius Rex Judaicus, ex justâ Dei Nemesi, Rezinis Syrorum, & Pekę Israëlitarum, Regum bello petitus, maximâq; clade affectus, Idumæorum insuper & Philistinorum atrocibus vexatus incursionibus, in tantis difficultatib. Thiglat-Pilneserem Assyrium maximis muneribus atq; promissis evocavit, qui, Rezine qui[illegible] interfecto, Damascum vi expugnavit, & colonos Syros in Samariam transtulit, totâque Galilæâ subactâ tribum Naphthali in Assyriam traduxit; sed quem defensorem quoq; ipse mox expertus est hostem regno perniciosum, utpote à quo ad tributa annua solvenda est coactus, nec multò pòst à Salmanassare, toto regno Israëlitico deleto, ab hujus successoribus regnum quoq; Judaicum est destructum, ipseque populus in exilium Babylonicum transportatus, 4. Reg. 15 17. 24. 25. & 2. Paral. 28. & 36.

Cyrus, ad componendum bellum civile inter Caros exortum, exoratus, bellum quidem illud composuit, sed Cariam libertate exutam sibi subjugavit, teste Xenoph. lib. 7. Cyropæd.

Quomodo Philippus Macedo à Thebanis in auxilium contra Phocenses accersitus, Græciæ

civitates mutuis dissidiis sese atterentes, tandem oppresserit, suæq; ditionis fecerit, dictum paulo antè in flore quinto.

Cùm inter duos fratres, Hircanum & Aristobulum, de regno & sacerdotio lis exorta in bellum civile exarsisset, & utrinq; ad externa auxilia concurreretur, Hircanum quidem à fratre ejectum, Aretas, Arabiæ Rex, in regnum reducere est conatus; sed qui Romanorum potentiâ, quorum defensionem implorarat Aristobulus (*anno Urbis 688.*) re infectâ ad sua repedavit. Non multò pòst, cùm Pompejus Magnus à debellato Tigrane Damascum venisset (*a. Urbis 689.*) Aristobulus a. pactis non staret, ille Hierosolymâ expugnatâ, Hircano quidem pontificatum concessit, sed coronâ uti prohibuit, ipsamq; Judæam tributariam populo Romano fecit. A quo tempore, sceptro à Judæis ablato, regnum sibi in illos vendicarunt Romani.

Inter causas, quibus crevit Romanorum Imperium, & illa recensetur, quòd ad societatem belli nō admiserint eos, quorū non essent domini, nec conduxerint externos stipendiis, sed quicquid pepererunt, suo sanguine pepererint. Aucto Imperio, constituerunt Reges socios, quibus tamen ipsi dominati sunt. Hinc Cic. in lib. de Rep. *Noster*, inquit, *populus sociis defendendis terrarum jam omnium potitus est.* Postea verò bellis civilibus ita fuerunt labefactatæ vires Romani Imperii,

perii, ut, quoties hostes fuerunt reprimendi, Imperatores coacti fuerint, peregrinos conducere exercitus, à quibus postmodò provinciæ Imperii Romani sunt vastatæ. Etenim maximo Galliæ præside Gratiano interfecto, tyrannidem in Britannia affectante (*anno C.383.*) deinde Eugenio quoq; auxilio Arbogasti Imperium Occidentis invadente, validamque Gallorum manum ad Alpes adducente, ut Italiam occuparet, Theodosius Magnus contra utrumq; hostem Gothos stipendiis suis conduxerat, quæ cùm eis pendere nollent Arcadius & Honorius, bellum contra eos moverunt, Ruffino Arcadii tutore, spe Imperii potiundi incitato, tutelæ jus perfidiâ & scelere violante, utpote qui Alaricum Gothorum Regem (*a.C.395.*) clàm missis muneribus, ad invadendam Italiam invitarat, ut ejus adminiculo voti compos fieret, sed proditione compertâ, medio in conatu à militibus Italicis est trucidatus. Haud diu pòst Cajanus, Gothorum auxilio fretus (*an.C.398.*) Arcadium pari fraude oppugnare aggressus, navali prælio inter Hellespontum & Chersonesum victus, & in fuga captus, simile fatum subiit.

Anno Christi 405. Rhadagisus Scytha, Gothorum Rex, repentino impetu cum validissimâ ducentorum millium manu Italiam invasit, quæ tanta multitudo partim fame & siti confecta, partim à Stilicone consule oppressa & deleta est.

Non diu pòst Alarico, qui antea apud Theodosium Magnum Ductor exercitus contra Eugenium fuerat, Italiam cum exercitu ingresso, ab Honorio sedem expetenti Galliæ concessæ sunt (*a.C.407.*) ad quas hostiliter invadendas Stilico, ut ad filium suum Eucherium transferre posset Imperium, Vandalos, Suevos, Alanos non ita pridem magnis pollicitationibus occultè sollicitarat, ad quas dum Alaricus populis istis restiturus pergit, Stilico per Ducem quendam suum ex insidiis Gothos, nihil tale suspicantes, ipso die Paschatos oppressit, sed qui viribus recollectis victorem exercitum potiori prostravêre virtute. Hinc in rabiem furoris acti, & ulciscendæ perfidiæ cupiditate incensi, cœptum iter deserentes, Romam contenderunt, cuncta, per quæ irent, igne ferroque vastantes, ipsamque urbem (*a.C. 410.*) post biennalem obsidionem ceperunt & diripuerunt. Hinc per Campaniam & Lucaniam in Brutios penetrantes, omnia ferro & igne vastarunt, in Siciliam inde transfretare conati, naufragio multos suorum amiserunt. Alarico extincto surrogatus Ataulfus Rex (*an.C.411.*) ad urbem Romam funditus evertendam cum exercitu regressus, uxoris Placidiæ ingenio & moribus delinitus, cœpit cum Honorio de pace sanciendâ (*an.C.412.*) agere, & cum eo, percusso fœdere, mox ad Gallias tetendit, quas unà cum Hispaniâ Vandali, Suevi & Alani rapinis & incendiis va-

diis vastabant, Burgundis & Francis in belli societatem attractis: nec multò pòst domitis Galliis & Hispaniis, dolo militum, apud quos invidiâ laborabat, quòd Italiâ cessisset, sublatus est.

Theodoricus exinde, Veronensis Alarici ex fratre Theodomiro nepos, cùm Sarmatas, qui Gothorum & Romanorum terras fuerant depopulati, fortiter repulisset, à Zenone Imperatore (*anno C. 488.*) è Pannoniâ evocatus, & contra Odoacrum Herulum, qui novũ in Italia regnum erat exorsus, missus, aliquoties quidem eum vicit, & tandem quoq; ex insidiis interfecit, verùm Italiam Græcis Imperatoribus non restituit, sed sibi suisque eam retinuit, federibus & affinitatibus vicinarum gentium se muniens, à cujus successoribus, & præsertim à Vitige & Totilâ, Italia miserum in modum vastata (*a.C.538.*) Mediolanum funditus eversum (*a.C.545.*) triginta millib. civium ibi interfectis, Placentia fame expugnata, ipsaq; Roma bis est capta (*a.C.546. & 550.*) Thejâ tandem, ultimo Gothorũ in Italia Rege, magno ad Nuceriam prælio à Narsete eunucho victo atque occiso, Gothi omnes Longobardorum adminiculo ex Italiâ sunt ejecti, postquam 77. annos eam tenuerunt.

Etsi autem Longobardi, Gothis ex Italiâ ejectis, ad suos in Pannoniam sunt reversi, tamen paulò pòst vel ultrò propter ubertatem & amœnitatem Italiæ, vel à Narsete, cùm Sophia Im-

peratrix per probrum eum ad pensa muliebria in gynæceum revocasset, iterum invitati, magno numero effusi sunt in Italiam, Duce Algoino, quam annis 206. ad annum usq; Christi 774. obtinuerunt, quo Carolus Magnus, Desiderio in exilium ejecto, Italiæ regnum ad Franciæ Reges transtulit.

Pari modo, cùm Bonifacius, Africæ gubernator, quem Aëtius, Galliæ præfectus, in odium ac suspicionem apud Placidiam, Valentiniani III. Imperatoris matrem, adduxerat, à Felice, Romanorum Duce, in Africa oppugnaretur (*an. C. 427.*) ex Hispaniâ accivit Vandalos, qui cum Genserico Rege in Africam trajicientes (*anno C. 429.*) ferro, flammâ, rapinis crudeliter eam devastarunt. Bonifacius exinde, detectis Aëtii insidiis, & falsâ criminatione, Placidię reconciliatus, cùm Vandalos, magnâ pecuniâ oblatâ, excludere ampliùs non posset, manu cum illis consertâ, bis victus Romam rediit. Cum Vandalis itaque Valentinianus III. Imperator pacem fecit magis necessariam, quàm utilem, parte Africæ illis concessâ, quâ non contentus Gensericus Rex, Hipponem, Carthaginem, & alias urbes fraude atque armis cepit, multaq; in eis crudeliter egit. Ab hoc tempore Romani sæpiùs, at frustra, conati sunt Vandalos ex Africâ ejicere, donec à Belisario, Justiniani Imperatoris Duce, Carthago rursus

rursus illis est erepta (*a.C.534.*) postquam in illorum fuit potestate annis 95. Ejectis Vandalis, Africa iterum Romano Imperio paruit usque ad Heraclii tempora, cui contra Persas, Romanas provincias depopulantes, Saraceni militarunt; quibus devictis, cùm his Heraclii quęstores dare stipendia recusarent, dictitantes, *non tantum sibi esse pecuniæ, ut huic canum turbæ satisfacerent*; Saraceni ab Imperio Romano deficientes (*anno Christi 630.*) Ægyptum, Hierosolymam, Syriam, Mesopotamiam, Persidem, totamque Asiam, & tandem Africam quoque invaserunt, sibique subjugarunt; & quanquam sæpe à Romanis illorum audacia repressa est, ad extremum tamen, dilacerato civilibus discordiis odiisque intestinis Romano Imperio, Saraceni has provincias, pulsis undique Imperatoriis præsidiis, retinuerunt; unde postea crebras in Hispaniam, Galliam, Siciliam & Italiam irruptiones fecerunt. Bello intestino inter Muramedum & Haptallam fratres exorto, Saracenorum res utplurimùm sunt labefactatæ, & in plura dominia distractæ, ita ut unus Hispaniam, alter Africam, tertius Ægyptum, quartus Syriam & Palæstinam obtineret. Elapsis aliquot annis, exardescente inter Persas & Saracenos bello, Mahometes Persiæ Soldanus, Bissasyrio, Syriæ & Babyloniæ Caliphâ, viribus inferior, Turcas vicinos adversus illum excitavit, eorumq; fide ac

robore victoriam adeptus, cùm stipendia illis promissa solvere recusaret, ab illis ipsis suis auxiliariis bello petitus, victus, regnoq; est privatus.

Turci igitur Persidis regno potiti, cùm Saracenorum potentiam bellis intestinis languefactam cernerent, paulatim plures in Asia regiones & provincias subegerunt, donec tandē proprio Principe sive Imperatore electo, Tangrolipezo Mucaleto (Haithonus Zadocū nominat) excusso Saracenorum jugo, iisque oppressis primùm dominari in Persia, & reliquis Asiæ provinciis usque ad pontum Euxinum cœperunt. Tribus abhinc elapsis seculis, cùm Johannes Palæologus, Imperator Constantinopolitanus, bellis Bulgaricis & Servianis nimiùm urgeretur, turpe fedus cum Amurathe Turcâ iniit, adeò ut & se & Imperiū in fidem ejus traderet, promisso tributo, quod ille constituerat, & Theodorum filium natu minimum obsidem daret, qui castra illius sequeretur. Callipolim tunc Amurathes repulsis hostibus, ex Palæologi consensu retinuit, & Adrianopolim, quam vi occuparat, regiam suam transtulit. Atque hæc fuerunt initia tristissimæ servitutis, quæ Constantinopolitanis Imperatoribus præter inane nomen reliquit nihil. Ita enim in Turcorum fuerunt potestate, ut militare ipsis cogerentur per se & filios, contra quoscunque vellent, & ad imperata præstò esse, quotiescunque vocarentur, nec capessere aut

usur-

usurpare auderent Imperium, nisi potestatem precariò à Turcis obtinuissent. Hinc & Andronicus Palæologus (quem pater majestatis accusatum, quòd cum Amurathis filio in ipsius cædem conspirasset, visu privarat, fervido aceto in oculos infuso,) Bajazetis ope regnum patri eripuit, ipsumq; unà cum fratre Immanuele carceri mancipavit, à quo, tertio pòst anno è vinculis elapso, iisdem artibus rursus est excussus, ingenti Bajazeti promisso tributo, & Philadelphiâ traditâ. Sed quæ & ipsa invidi tyranni benevolentia erga Immanuelem Imperatorem non fuit diuturna, utpote qui non multò pòst Constantinopolim satis durâ pressit obsidione. Quam licet improvisâ Tamerlanis Scythæ irruptione solvere fuit coactus, annis tamen insequentibus Mahometes, hujus pronepos, eam vi & armis expugnavit. Tandem Ludovico Rege in fuga submerso, in Ungariam quoq;, in quam aliquoties jam irruperant, evocati Turcæ, contra Ferdinandum Austriacū, à Hieronymo Lasco Polono, ad quem Johannes Cæpusius, Transsylvaniæ regulus, copiis suis ad Toccajum à Ferdinando profligatis, profugerat, nō solùm Budam nostris eripuerunt, sed & nunquam ex Ungariâ repelli potuerunt.

Sic & (ut ad superiora secula revertamur) Princeps militiæ Noradini, Regis Damascenorum, Sarraco vocatus, in Ægyptum à Calipha

Belhadechæ contra Almericum Hierosolymitanū Regem, illo victo, & Christianis totâ Ægypto exactis, captus amœnitate regionis, ubertate terrę, & regni opulentiâ, & inprimis infirmis Caliphæ Belhadechæ viribus, ad spem regni invitatus, hunc, nihil tale metuentem, carceri mancipavit, regnumque sibi & posteris confirmavit. Nec multò pòst Saradinus, Ægypti Soldanus, à Guidone Rege Solymitano contra Raimundū, Comitem Tripolitanum, evocatus, cæsis Christianorum 20. millib. & quingentis, hunc quoq; principatu exuit, totamq; Palæstinam Christianis eripuit. Beda presbyter Scotos-Anglos prodidit inter Tittos & Saxones sedisse, & invitatos à Vitigerno, Britannorū Rege, his contra Scotos & Tittos, insulam perpetuis depopulationibus infestantes, subsidio venisse; sed tandē potentiâ auctos utrosque, partitâque insulâ & Imperio, ac limitibus ad Caledoniam sylvam interjectis, Britannorum nomine regnoque abolito, Anglos Australi insulæ parti, Scotos Boreali imperasse.

Sic & Gallici Reges, qui nunc rerum potiuntur, conducti stipendiis contra Normannos, oppressis Regibus antiquę stirpis Caroli Magni, invaserunt regnum, idque in stirpem suam longâ serie ad hæc usque tempora propagarunt.

Sic & Arragonii contra Gallos, Siculos omni tyrannidis genere opprimentes, evocati, oppressis

pressis incolis, Siciliam & Sardiniam sui juris fecerunt, & tandem quoque Gallis exclusis, Neapolitanum regnum sibi subjecerunt.

Ita plurimi ad defensionem vel invitati, vel conducti, rebus confectis, socios oppresserunt. Neque enim ullam commodiorem occasionem habere potest ambitiosus Princeps, aut avara aliqua Resp. aliquē opprimendi, quàm si iis supplex fiat, auxiliaque ab iis postulet. Quæ omnia, etsi ita se habeant, tanta tamen esse solet ambitio hominum, ut id, quod ante oculos est, solùm intueantur, de futuris nihil cogitent, præsentique cupiditati satisfacere conentur, minimè verò de futuris malis præcavendis sint solliciti. His igitur exemplis commoveri oportet Principes, & observare liberalitatem, quam externi, aut etiam vicini, præsertim potentiores, tam magnificè illis declarant, non nisi irritamentum esse, quo ipsos in suos casses pelliciant.

FLOS X.

Federa licita, sunt quidem ahenea, sed iis confidere, valde lubricum est.

PRincipes sanè plerunque id dant operam, ut muniant se federibus; quæ, si sunt licita, & ad

bonum finem directa, cujusmodi sunt vel securitatis, vel auxilii contra hostes ferendi, vel deniq; tyrannum opprimendi causâ inita; si præterea ea fideliter & constanter servantur, sunt quasi arietes, quibus pravæ actiones, consilia callida, & conatus nefarii hominum improborum destruuntur, evertuntur, & in nihilum rediguntur; & quibus venenum, regnis & Rebuspub. paratum, extinguuntur.

Confœderatio siquidem cum istiusmodi sociis, qui animo, opibus, milite, & scientiâ militari valent, & in proximo habitant; (hęc enim omnia in fœderibus sanciendis esse observanda, prolixè docuimus in lib.3. strategematog. nostræ cap.3.) ejus est potentiæ, ut Reipublicæ vitæ prorogationem tribuat, & ex duobus unum faciat, ad mutuam defensionem contra hostes, atque ita duo corpora, quasi uno spiritu conjungat.

Tale fuit fœdus Abrahami & Isaaci cum Abimelech, Gen 26.

Tale tribus Judæ, quæ post Josuæ mortem, consulto Domino, jussa, prima Cananæis inferre bella, in sortem suam ascivit Simeoneos fratres, sese illorum sorti adfuturam vicissim pollicita, Judic.1.

Tale quoq; Principum & civitatum præstantium, Schmalcaldicum, de quo vide Sleidanum lib.6.7.8.9.

Sic & Scotorum Rex Achajus, omni laude cumula-

mulatus, Anglorum-Saxonum opes, quæ majorem in modum in dies singulos crescebant, pertimescens, cum Carolo Magno fedus iniit, iis conditionibus, ut se mutuò juvarent. Nec sine Dei numine id factũ prædicant, quandoquidem etiamnum amicitia inter Scotum & Gallum inviolata manet, ita ut alter cum altero in perpetuum consentiat; id quod etiam ferunt assignandum odio inter vicinos, suis semper timentes finibus, orto; & idcirco illud utrisque in Anglum, & Anglo vicissim in utrosque commune esse, ut Polydor. scribit lib. 4.

Hinc & Philippus Valesius, Gallorum Rex, eodem teste Polyd. lib. 19. cùm videret, Edovardum III. Anglum, repetendo hæreditatẽ Franciæ regni, futurum in perpetuum hostem, putavit peropportunum habere Scotum, qui illis propinquus esset, amicum, ut sibi instar sagittæ foret, quam, cùm vellet, in Anglum emitteret. Itaque fedus cum Davide, Rege Scotiæ, junxit, opibusque enixè juvit. Atq; ita vetus amicitia, jam inde ab Achajo Rege, cùm se cum Carolo Magno fœdere perpetuo conjunxerat, renovata est.

Quando verò Principes federum fiduciâ, ut plerunque fit, moliuntur non mandata, imò prohibita; siquidem fiduciâ multitudinis sociorum facilè patiuntur se ad consilia impelli non necessaria, aut violenta, non raro quoque, qui se ar-

ctiùs federibus implicant, inviti rapiuntur ad negotia injusta & perniciosa; nec est quòd sperent, ejusmodi federa fore diuturna aut felicia.

Etenim propriarum virium fiducia insolens est atq; infelix; insolentiã autem, ut & injustitiam omnem, nõ sinit impunitam abire Deus, vindex justissimus, imò eum maledictum quoque pronunciat apud Jerem. prophetam c.17. qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. *Et profectò caduca hæc & fragilia*, inquit Valer. Max. lib.6. c. ult. *puerilibusq; consentanea sunt crepundiis, quæ vires atq; opes humanæ vocantur; affluunt subitò, repentè dilabũtur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixæ radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improvisò de cursu destitutos profundo cladium miserabiliter immergunt.* Documento sunt Israëlitæ, qui federe inito contra tribum Benjamin, cùm fiderent suis viribus, bis infeliciter dimicarunt, Judic. c. ult.

Sic & Crœsus, Lydorum Rex, fiduciâ federis Laconici bellum contra Cyrum suscipiens non necessarium, in eo victus captusque, vix vitam retinuit, teste Herodoto lib.2.

Sic & Atheniensium & Corcyreorum fedus utrisque fuit exitiale, cùm Athenienses, propter conjunctionem cum Corcyreis, quam in causa dubia fecerant, movissent bellum Peloponnesiacum; de quo vide Thucyd.

Quàm

Quàm infeliciter verò iisdem postea cesserit fedus cum sediciosis Phocensibus, utpote quo in Græciā attraxerunt Philippum Macedonē, prolixè describit Diodor. Sicul. lib. 46. & Justin. lib. 8.

Imò in bonis quoque causis periculosas plerunq; esse symmachias & confederationes, notū ex historiâ federis Schmalcaldici, cujus fiducia Principes quosdam ad arma capessenda postea impulit, & ad infelicis belli fortunam experiendā, quod multis fuit exitiale. Jacobus Sturmius, vir verè sapiēs, tunc solitus fuit dicere; *Quò magis crescit noster numerus, eò imbecilliores efficimur.* Et rectè judicavit. In principio enim major erat consensus & conjunctio voluntatū de doctrinâ, quàm deinceps, sociorū numero aucto, ubi cùm fiduciâ hujus federis multa moverentur non necessaria, mox secutę sunt dilacerationes maximę, & qui sanctissimè ac religiosissimè hoc fedus coluerunt, hi maximè decepti gravissimam rerum suarum fecerunt jacturam, quanquam & cæteri, qui secessionem fecerant, aliquam accepêre cladem; adeò verum est tritum illud, *in caducum parietem non esse inclinandum.*

Præterea ubi plures Principes, qui se pares existimant, conjunguntur, facilè inter ipsos suspiciones controversiæque oriuntur. *Dissidentibus autem opinionibus & voluntatibus*, inquit Thucyd. libr. 3. *fiunt opera diversa*, nec ulla esse potest amicitia aut fida libertas, in qua præter animi voluntatem federati suspiciosè alij alios

observant. Patet hoc ex fœdere Maximiliani I. Imperatoris, cum Papâ, Gallo, & Hispano, contra Venetos, de quo vide Jovium lib. 9. & Guicciardinum lib. 8. & Polyd. lib 27.

Maximilianus I. Imperator victus à Venetis, & Tergesto amisso, cōcitante Julio secundo Pontifice, cum cæteris Europæ Regibus conjuravit adversus Venetos. Quâ conjuratione Italia supremam prope adiit cladem. Ægrè ferebat Pontifex, quòd Ariminium atq; Faventia urbes Pontificio imperio ereptę, minimè redderentur. Non ferebat Ludovicus XII. Gallus Cremonam ditioni suæ detractam, & Ferdinandus I. Hispanus Rex, nequaquam sibi integrè partum Neapolitanum regnum existimabat, cùm maritimæ Apulorum urbes oppignoratæ jam pridem, à Venetis præsidiis tenerentur. Coivêre itaq; legati Principum ad urbem Cameracum in Belgio, decretumq; est omnibus virib. in Venetos bellum, tanto silentio, ut, cùm ejus suscepti consilii suspiciones emanarent, Venetiis nequaquam maturè crederetur. Eo modo Ludovicus in Italiam cum ingentibus copiis transgressus, ad Abduam, Venetos castra cōferre, atq; aciem tētare ausos, cum magnâ cęde profligavit, capto Liviano Duce, Pergamum, Cremonam, Cremam & Brixiā sine vulnere recepit; Veronam, Vincentiam atq; Patavium Cæsari capienda præbuit; quòd deleto exercitu, cum paucis Livianus desperatis rebus ad Me-

ad Mestrium extremum continentis oppidum refugisset.

Pari modo Julius II. Pontifex non Ariminum modò atque Faventiam, sed Cerviam quoque & Ravennam recepit, ultroque senatus Venetus Apuliæ urbes Hispano Regi dedendas curavit, sic ut tantummodo Veneti Imperii fortuna Italiæ hominibus planè miserabilis, externis verò ridenda videretur. Receptum haud multò pòst à Venetis Patavium, & contra Cæsaris exercitum egregiè defensum; pax à Julio impetrata. Ab illo tempore inter socios ipsos orta est discordia. Etenim Gallus totius Italiæ imperium affectans Venetos propè jacentes inprimis delendos putabat, quos solos suis desideriis impedimento fore rebatur. Itaque Alphonso, Duce Ferrariæ, in amicitiam suam accepto, quamprimùm contra Venetos iturus erat, cùm Julius Pontifex & Ferdinandus Hispanus ejus consilium intellexerunt, qui per istud factum jam apertè fœdus violatum arbitrantes, necessariò cum Venetis pacem fecerunt, atque simul uno momento arma in ipsum Gallum converterunt. Ex quo deinde variè inter ipsos usque eò pugnatum est, donec ad extremum fortuna belli controversiam diremit. Julio inde mortuo, Veneti cum Ludovico Gallo contra Ferdinandum, Maximilianum, & Leonem X. Pontificem, fedus inierunt. Cujus rei fama ubi di-

vulgari cœpit, permulti mortales admiratione stupefacti, illud jam tritum sermone proverbium in utrosque, multis paulò antè factis atque receptis utrinque injuriis, ab omni concordiæ spe distractos jactabat: *Amici facti sunt Pilatus & Herodes.* In quo illud inprimis memorabile videtur, quòd Veneti ab initio oppugnati à cunctis prope Europæ Regibus, omnibusque præliis victi, universo tamen bello victores evaserunt.

Sic & superiori seculo cum Cæsare & Papa contra Turcas fedus inierunt Veneti & Genuenses, inter quos quia naturale est dissidium, ideo Veneti prodiderunt & impedierunt Andream Doriam, Ducem Genuensem, & hic vicissim non fidelem navabat operam, à quo deserti Veneti coacti sunt, duabus præstantissimis urbibus, Nauclеâ & Epidauro, & præterea trecentis millibus coronatis pacem à Turca redimere; teste Sleidano lib. 10. & 12.

Denique federa cum impiis juncta inprimis invisa sunt DEO, & noxia atque perniciosa hominibus, quia plerumque oriuntur ex diffidentia recedente à Deo, seque ad hominum, imò Dei ipsius hostium auxilium convertente, aut trahunt homines ad impietatis alienæ, malarumque actionum societatem, ut & ipsi fiduciâ præsidiorum humanorum reddantur *insolentiores*, & stultâ πολυπραγμοσύνῃ extra vocationem

rionem multa tentent. Notum hoc ex federe Regum Judaicorum, Asæ cum Benhadado, Rege Syriæ, 2. Paral. 16. Josaphati cum Achabo, Ochoziâ & Joramo, impiis Regibus Israëliticis, 3. Reg. 22. 2. Paral. 18. & 20. & 4. Reg. 1. & Maccabæorum fratrum cum Lacedæmoniis, Romanis & Syris, 1 Maccab. 8. 12. 14. & 15.

Neque verò obstat, quòd quis dicat, federa politica etiam cum impiis esse licita & pacem cum vicinis conducere ad felicem & durabilem regni statum. Hæc enim omnia federa etsi erant politica, belli tamen societatem continebant, quæ minimè ineunda cum impiis & idololatris. *Quemadmodum enim principes pro hostibus habent eos, qui se cum ipsorum conjungunt hostibus: ita quoque conjunctio & familiaritas non necessaria cum Dei hostibus, Deo est exosa, nec felicem sortitur successum.*

Nunquam feliciter Christianis cesserunt federa cum infidelibus Saracenis & Turcis icta, ut ex præcedenti flore satis apparet. Et quamvis Godofredo, primo Hierosolymæ Regi, pax cum Ascalonitis & Damascenis quodammodo fuit utilis, ut Joppe reparatâ portum haberet Hierosolymis propinquum, unde auxiliis & commeatibus ex Europa subvectis posset juvari, non tamen diu lætatus est hac pace. Nam ipsa Hierosolyma 88. anno, postquam à Christianis fuit occupata, in Saracenorum potestatem rediit.

Adeò periculoſum eſt, fidere federibus, præſertim cum potentioribus ſancitis, qui tantiſper tantùm fidem ſervant, dum ſua πλεονεκτήματα privatumque commodum augeant, tum quòd, juxta præceptum divinum, Deut. c. 22. *cum bove ſimul & aſino non ſit arandum. Quæ enim communicatio lucis cum tenebris? quis conſenſus Chriſto cum Belial?* Quemadmodum ergo juſtius eſt mori, quàm veſci εἰδωλοθύτοις· ita ſatius eſt & ſanctius, injuriâ opprimi, quàm ope infidelium adverſus hoſtem uti.

FLOS XI.

In munitionibus vana hominum fiducia.

IPſa quidem natura munitiones variè docuit. Nam & beſtiæ ſua habent luſtra & loca tutiora, & aves in ſecurioribus locis nidos conſtruunt, & ipſi homines ſua corpora contra hoſtiles injurias clypeis & armis tegunt; imò & urbes nonnullas paludibus, montibus & fluminibus natura munit; unde non modò illicitum, ſed potiùs conſultum humano generi putaverunt omnibus temporibus viri prudentes, adverſus hoſtium impetus in bene conſtituta re-

ta regione extruere castella, arces & urbes, vallis, fossis, mœnibus aliisque propugnaculis munitas. Utique enim, quando urbes muris sunt septæ, parci quodammodo potest sanguini civium, dum hostium illæ excursionibus minùs sunt expositæ, & ad vim sustinendam obsidionemque tolerandam maximum sæpenumero momentum afferunt, donec eis subveniatur, ut prolixè de his & aliis munitionum utilitatibus ac defensione monuimus in lib. 2. strategematogr. nostræ, cap. 28. Sed tamen quàm vana, imò & impia sit hominum fiducia, quæ in hujusmodi substructionibus ac munitionibus collocatur, in sacra historia multis Prophetarum concionibus docemur; & nos in eodem lib. 2. cap. 40 pluribus urbium & propugnaculorum, variis modis expugnatorum, exemplis planum fecimus. Frustra igitur apud Danielem cap. 4. gloriatur Nabuchodonosor, se Babylonem ædificasse in domum regni, in robore fortitudinis. Hanc siquidem ejus superbiam ita retrusit Deus, ut authoritate & ratione privatus, septennium integrum instar pecudis in sylvis vagari cogeretur. Et Plutarchus in vita Solonis scribit, Epimenidem de portu Attico, quem Munygiam vocabant, ita vaticinatum: Si scirent Athenienses, quantum mali hæc ipsis mumunitio aliquando esset allatura, vel dentibus eam panis instar discerperent. Nec aliter eve-

nit. Nam post Alexandri Magni mortem Antipater, Macedoniæ Rex, præsidium suum illi imposuit, indeque Athenas oppugnavit. Quocirca Totilas Rex nono belli Gothici anno Beneventum vi captum mœnibus nudavit, ne locus, alioqui naturâ munitus, sedes belli fieret hostibus, teste Blondo lib. 6. dec. 1.

Ex quibus patet, non raro quoque ejusmodi munitiones esse non tantum inutiles, sed & detrimentosas. *Solius autem Domini nomen*, teste Salomone Proverb. 18. *turris est fortissima*, ad quam quotiescunque pii se recipiunt, non quidem currentes Pegasi pedibus, non volantes alis Dædaleis, non Argo nave velificantes, sed supplice voce devoti, in fide & spiritu à Deo petentes & exposcentes auxilium in tuto collocantur, utpote quò pertingere nec tela, nec insidiæ hostiles possunt. Minimè igitur spes nostra fundanda aut in præaltis montibus, in quibus plerunque arces positas habemus, aut in Principum confederationibus, aut in amicorum subsidiis, aut in exercitato milite, quem invictum esse nobis ipsi persuademus, aut in auri argentique talentis; nec innitendum denique nostræ prudentiæ, aut corporis robori. Hæc enim omnia si conjuncta forent, vanissima sunt vanitas, & instar Ægyptiæ arundinis, quæ innitentis volam perforat, se habent, si adversantem habeamus Deum & iratum: sed εὐελπιστία nostra

stra nosterque clypeus, præsidium & propugnaculum solus esto Jehova.

F L O S XII.

Discordias inter hostes serere, magnæ quidem est prudentiæ & utilitatis; verùm civitatem aliquam dissidiis intestinis laborantem invadere, non caret periculo.

CAdmus, Agenoris filius, occiso Rege, cui nomen erat Draconi, fertur occupasse Regnum Bœotiæ, adversus quem cùm amici & filii Draconis bellum conjunctis viribus suscepissent, ipse inter eos dicordiæ jecit semina, quâ tandem distracti sunt atque consumti, teste Pausaniâ in Bœoticis. Hinc nata est fabula de serpente & ejus dentibus in terram seminatis, ex qiub⁹ subitò extiterint duæ acies, galeis & hastis armatæ, quę mutuis vulneribus sese confecerint. Fingitur autem Cadmus sementem illam fecisse jussu Palladis, h. e. divino consilio. Est n. singularis prudentiæ, ita divellere hostium consensum, nec quicquã majus præstare potest fortuna Principi aut Reip. quàm hostiũ discordiam, cujus auxilio etiã invicta eorum potentia & manus facilè

enervatur. Quemadmodum econtrà, quamvis minima natio, ab hostibus deleri non potest, nisi propriis factionibus & simultatibus ipsa sese primùm fregerit. Diaconus lib. 4. historiarum memorat, quòd Numantiâ eversâ Scipio Tyresium quendam, Celticum Principem, consuluerit, cur Numantia priùs invicta durasset, & pòst eversa fuisset? Tyresius huic responderit: Concordia victoriam, discordia excidium præbet. Quod, cùm ita sit, discordiarum causas inter hostes serere, in belli duce sapientiam dicendam esse censet Vegetius lib. 3. cap. 10. de re militari. Hoc autem ita consequitur, si vel sibi invicem eos reddat suspectos, vel seditionem inter eos excitet, vel denique ad proditionem & defectionem eos solicitet atque alliciat.

Sic & Andronicus Comnenus, tyrannus Constantinopolitanus, ut Andronicum Lapardam, qui ab ipso defecerat, suis suspectum redderet, cùm sciret, quantum ille vir authoritate posset, callido consilio epistolas dedit ad primarios Orientalium provinciarum præsides, quibus desertoris fidem prædicabat, atque ut à se in Asiam missum suscipi jubebat, & quicquid ille acturus esset, pro stabiliendo ipsius Imperio acturum asseverabat. Quæ omnia eò pertinebant, ut vulgi impetum reprimeret, suspicantis subesse dolum, quoòd Lampardas se

pro

pro Andronici adversario gerens, manum faceret, ut author est Nicetas lib. 1.

Sic & Petrus Fulgosus, Genuensium Dux, cùm eum eodem tempore premerent externæ vires Alphonsi, Regis Siciliæ & Neapolis, & civium Genuensium pars adversa, cumque ea conjuncta gens Falisca, ipse verò solus tantam hostium molem sustinere non posset, arbitratus hostes, dum extra urbem manerent, concordes fore, eosdemque, ubi devictum esse Petrum conspexissent, quòd unusquisque urbis principatum sibi vendicare niteretur, arma in se ipsos conversuros, in Genuensi arce uxorem cum liberis, fratremque cum 30. peditibus ac 20. equitibus præsidio reliquit, & Genuâ apertis portis profectus est. Hostes, qui præ timore fugisse Petrum arbitrabantur, cùm ad privati commodi spem studia convertissent, statim ortâ inter ipsos discordiâ, decertare armis inter se cœperunt; Petrus die tertio, postquam Genuâ abierat, ad urbem regressus, ac suis, qui in arce erant, conjunctus, hostes qui circiter 10. millium numerum excedere dicebantur, fudit, ut Fulgosus memorat lib. 7. c. 4.

Cæterùm Rempublicam aliquam sive urbem, intestinis dissidiis laborantem, solâ discordiæ fiduciâ velle invadere, prorsus anceps & periculosum est consilium. Tantum enim abest, ut quis ob intestina civium dissidia urbem il-

iam opprimi speret, ut infensos potiùs civium animos reconciliet. Nec immeritò; quia plerunque otium civilibus discordiis occasionem præbere soleat, belli verò metus concordes civium animos efficiat. *Nec enim ullum majus concordiæ vinculum*, teste Livio lib. 1. dec. 2. *quàm timor externus.* Quod ibidē probat exemplo Vejentum, Hetruriæ populorum, à Romanis aliquoties jam debellatorum, sed qui semper rebelles, cū intestinis Romanos laborare dissidiis cernerēt, ob patrum cum plebe contentiones oblatā sibi occasionē rati eos opprimendi, collectis quātis maximis copiis, non solùm illorū agros excursionibus vastarunt, sed probra insuper ingesserunt, civiles ipsis discordias exprobrantes, quibus ita inflammarūt Romanum militem, ut, qui pugnam priùs detrectarat, contumeliis lacessitus, vel ipsis Ducibus nolentibus, dimicare voluerit. Contra eos itaque delecti Imperatores, Gneus Manlius, & Marcus Fabius, gravi commisso prælio eos debellarunt & fregerunt. Idem hoc Prænestinorum quoque, à Titio Quinto Cincinnato dictatore ad Alliam (*anno Mundi 3594.*) debellatorum exemplo, probatur apud eundem Livium dec. 1. l. 6. Sic & Philippus Vicecomes, Mediolani Dux, Florentinorum Rempublicam, intestinis dissidiis laborantem, sæpè bello petiit, sperans, iisdem hisce civium discordiis posse eam à se opprimi: sed nunquam illi res

exani-

ex animi ſententia ceſſit. Qua de cauſa ſæpe cum amicis conqueſtus, eò ſe ineptiis Florentinorum adductum dictitabat, ut vicies centena millia aureorum nummûm fruſtra expenderet.

Prudenter itaque Scorio, Dacorum Rex, cùm ſciret, disſociatum quidem armis civilibus populum Romanum, non tamen occaſione inde arreptâ laceſſendum extimulandúmve arbitrabatur, quanquam imperita vulgi temeritas non deeſſet, multa ſubinde & præclara minantis, quoniam veluti ex celſa quadam ſpecula proſpectabat, poſſe obtingere, ut, bello externo ingruente, domeſtica reſtinguerentur incendia, & voluntatum coalitu, in idem tendentium, funeſtior peregrinis infligeretur clades. Popularium verò animos lepidè reprimens, canes duos feroces in ipſorum conſpectu inter ſe commiſit, quibus mordicus & acerrimè pugnantibus, lupum objecit, quem canes ilico, omiſſo interim mutuo inter ſe certamine, invadentes, morſibus confecerunt. Hinc Scorio ſermonem exorſus oſtendit, nihil uſpiam eſſe, quod faciliùs citiusque Romanorum acerrimas dirimere poſſit contentiones, quàm ſi ſeſe Dacorum bello intricari atque peti ſenſiſſent, & econtra fieri poſſe, ſi nonnullis externis armis impedirentur, ut inter ſe civilibus armis conſumantur. Vide Fulgoſum lib. 8. c. 10. & Frontinum lib. 1. ſtrategematographiæ noſtræ, cap. 10.

Sic quoque Cretenses, in crebris secessionibus & bellis civilibus, si quando ingruerent, aut incursionem minarentur hostes externi, juncta inter se pace arma ad defensionem suam concordibus animis sociasse, refert Plutarchus libr. περὶ φιλαδελφ.

FLOS XIII.

Civitati liberæ bellum inferre, arduum nimis est & periculosum.

O*Mnes homines naturâ libertati student, & conditionem servitutis oderunt*; scribit Cæsar lib.3.de bello Gall. Libertas nimirum tantum habet dulcedinis, tamque preciosa res est, ut nullum vitæ periculum defugiant homines, si spes affulgeat minimè frivola, post se eam aliquâ saltem ex parte tueri.

Videmus hoc perspicuè in brutis animantibus, prudentiæ & rationis usu penitus destitutis, quæ carceribus aut alio loco inclusæ tristantur, emissæ autem ac liberè pro lubitu hinc inde vagantes lætantur.

Quod inprimis videre est in liberis civitatibus, quæ sævissimis bellorum tempestatibus jactatæ,

jactatæ, extrema subire pericula, & gravissimas tolerare obsidiones maluerunt, quàm libertate privari.

Testantur hoc Athenæ, nequicquam bis à Xerxe & Mardonio captæ atque incensæ, teste Herodoto lib. 7. & 8. itemque bello Peloponnesiaco à Lysandro Lacedæmonio muris nudatæ; (*anno Mundi 3492.*) teste Xenophonte lib. 2. rerum Græcar. Roma in ipsa adolescentia à Gallis Senonibus, duce Brenno, direpta & incensa, indeque omnium gentium victrix, diuque rerum potita, quinquies à barbaris nationibus, Gothis, Vandalis, Herulis, capta, cædibusque, direptione & incendiis deformata, ut Sabellicus scribit lib. 4. Enn. 8. Hamburgum, Aquilonarium regionum metropolis, ob Christi nomen septies ab impiis, Vandalis præsertim, cladem passa, teste Cranzio lib. 3. Metropol. cap. 2. & 3. Mediolanum, à Friderico I. Imperatore fame ad deditionem coacta; ut author est Sigonius lib. 13. regni Ital. Byzantium, à Saracenis integro biennio terrâ marique obsessa, sed frustra. Rhodus insula, à Machomete, Turcarum Imperatore, terribili armorum apparatu terrâ marique per tres ferè menses incassùm oppugnata, ac mille & tercentum bombardarum ictibus vehementer concussa; ut Sabellici supplementator scribit

libr. 9. ex Jovio: Et aliæ urbes quàm plurimæ.

Quæ omnes evidenter probant, quantæ difficultatis res sit, liberæ civitati, etiam mediocriter potenti, bellum inferre, nisi fortè aut seditione plebeiâ, aut optimatum factionibus, aut alio intestino malo ea laboret.

Sic nimirum Aristobulo & Hircano, fratribus germanis, intestinâ seditione manus inter se confligentibus, & gentem Judæorum in diversa studia trahentibus, supervenit Cneus Pompeius, Dux Romani exercitus, &, Hierosolymâ captâ, Judæorum gentem tributariam fecit & Romanorum potestati subjecit. Sic & Græciæ urbes florentissimas sub Macedonum servitutem discordia redegit, & validissimæ nationi imposuit regnum Macedonicum ignobile. Sic & Florentinis, bello à Pontifice Julio II. Maximiliano I. Imperatore, & Arragoniæ Rege Ferdinando, qui undecies Florentiam reducere conabantur, vexatis, libertas (verè aureum istud donum, quo nihil in mortali hac vitâ jucundius aut preciosius, nihil amabilius aut præstantius,) erepta est, intestinis civium suorum dissidiis præcipuè ad hunc miserabilem ac deplorandum statum redactis, ut Guicciardinus scribit lib. 11.

Sed tamen hoc ipsum periculo ingenti non caret, ut in præcedenti flore planum fecimus.

No-

Notum quoque hoc ex clade illa Henrici Julii Ducis Brunsvvicensis, impressionem facientis in urbem Brunsvvigam, irrito tamen successu, pro urbis defensione non solùm civibus ipsis strenuè fortiterque pugnantibus, atque dimicantibus, sed fœminis quoque & ancillis, ad murum urbis scalas erigentibus, atque hostium ingruentium phalanges summâ alacritate reprimentibus.

Tantus enim libertatis amor & studium est, ut ejus propugnatores facilius sit civitate, quàm imperio, vitâ quàm libertate privari. Ut proinde haud absurdè *Pyrrhus dixerit, planè Herculis sidere procreatum se esse, cui quasi ab angue Lernæo tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascerentur.* Quinimò ut maximè lethiferi esse solent morientium bestiarum morsus: sic plus negotii est etiam cum semidiruta Reipub. libertate, quàm cum prævalidis integrisque viribus Regum & populorum, servituti assuetorum. Hoc utinam, ut olim, ita & nunc prudenter secum atque seriò considerarent ac probè perpenderent Reges & Principes, non ita temere & animo indeliberato bella adeò difficilia & periculosa adversus potentissimas civitates & Respublicas susciperent, quæ deinceps nullo cum effectu, magnâ insuper cum ignominia & gravissimâ propriarũ rerum jacturâ relinquere coguntur. Nescio enim

quo naturæ instinctu omnes ad aureæ libertatis studium trahimur, adeo, ut vitam potiùs & sanguinem postponendo illi inhiemus, turpemque ac detrimentosam servitutem cane pejus & angue fugiamus atque execremur.

Flos XIV.

Convitiis hostem ad vindictam inflammare, stultum est.

MEmnon Rhodius, pugnans contra Alexandrum Magnum pro Dario Rege Persarum, quendam ex suis militibus, qui multa petulanter in Alexandrum malediceque fuerat locutus, lanceâ percussit; *Ego te*, inquiens, *alo, ut pugnes, non ut maledicas*. Teste Plut. in Imperat. apophtheg. Et rectè. Est enim hoc vel inprimis observandum prudenti belli Duci, ne vel ipse, vel sui, opprobria aut convicia in hostem ingerant, aut eum contemnant, quòd hac ratione eum non lædant, aut debiliorem efficiant, sed ad vindicandum magis magisque inflamment infensioremque multò & ferociorem animum ejus reddant. *Videntur enim contumeliæ esse tela, quæ maximè authores suos feriant.*

Constat

Constat hoc exemplo Vejentum apud Livium dec. 1. lib. 2. Romanis civiles discordias exprobrantium: quibus convitiis militum tantùm animos contra seipsos concitarunt, ut paulò antè diximus flore 12. Sic & Gabades Persa, Midam in Asia oppugnans, cùm jam re infectâ ab urbis obsidione discedere decreverat, oppidanorum contumeliis & opprobriis irritatus, urbem graviùs, quàm unquam antea, oppugnatam tandem expugnavit. Sic & Henricus Leo, Saxoniæ Ducatu à Friderico I. Imper. exutus, arma in Bernhardum successorem suum movens, Bardovicum obsessum sibi dedi postulans, cùm cives præter sannas & ludibria, pudenda quoque ex mœnibus denudarent, irâ percitus, urbem vi expugnatam direptioni militum permisit, adeoque in ea gladius & ignis hostilis desæviit, ut ex illo die non resurgeret urbs præclara & antiqua, teste Cranzio lib. 7. Saxon. c. 2.

Sic & Fridericus III. cognomento Gravis, Landgravius Thuringiæ, Salzam oppugnans, cùm milites Archiepiscopi Moguntini eum cum contumeliâ verborum lascivè irriderent, dicentes, *nimis serò eum advenisse, sed tamen licere ipsi, cras iterum fores pulsare*; missilibus primùm eos de mœnium pinnis pepulit; verùm cùm nullum finem facerent, & pudenda insuper nudarent, Princeps ignem in oppi-

dum conjici mandavit, quo pluribus in locis tectis incensis, in tanto tumultu & consternatione, incendio & ædificiorum ruinis, homines nongenti septuaginta octo perierunt, qui partim semiustulati in vicis jacentes, partim è subterraneis cellis sunt extracti, multi quoque per portas à militibus egredi prohibiti, de mœnibus se præcipitarunt; aliqui in aquarum castella & fontes, ut flammæ ardorem lenirent, insilierunt. Tanta omnis ætatis atque sexus calamitas miserandum etiam crudelissimis hostibus præbebat spectaculum, ut Fabricius scribit lib. 6. Orig. Saxon. & Spangeberg. in Chron. Mansfeld. p. 335.

Sic & olim Sylla bello Mithridatico Athenis, quæ ad Mithridatem defecerant, vi expugnatis, ob dicteria sibi dicta, victoriâ istâ satis duriter usus, stragibus illic & sanguine implevit omnia. Nec immeritò. *Non enim milites decent convicia*, inquit Justinus lib. 14. *quæ ipsâ morte acerbiora esse*, testatur Salomon Proverb. 26. Sed nec quicquam tam servilis ingenii est indicium, quàm vel apud hostem infestissimum feritate sermonis, & dicendi petulantiâ abstinere non posse; ut ita convicianti Ottomanno Turcæ respondit Scanderbegus, ipsæque contumeliæ homini illatæ solent irritare indignationem, teste Herodoto lib. 7. Hinc & Plutarchus in Timoleonte; Adeò plerique, inquit,

inquit, maledictis, quàm malefactis, graviùs læduntur, difficiliusque contumeliam perferunt, quàm damnum: quòd facto se defendere ab hostibus propter necessitatem concessum videatur; in conviciis verò nimium quiddam inesse odii vel malitiæ credatur.

Hinc & inter præcipuas belli Germanici superioris causas referuntur velitationes scriptorum, conviciis, quæ omnino indigna erant Principibus, refertorum, quæ si edita non fuissent, faciliùs certamina ista sanari potuissent. *Conviciorum siquidem vulnera plerumque sunt insanabilia, quia graviùs feriunt, & citiùs penetrant, & obduci cicatrice difficiliùs possunt.* Cæterùm graves & sapientes viri conviciis quoque non delectantur, utpote quæ naturæ ignavæ, timidæ abjectæque infallibiles sunt indices.

Hinc rectè Syracusanus ille apud Herodot. ad Legatum Spartanum; *Non perficies*, inquit, *scurrilitate conviciorum, ut mutua reddam convicia.* Et apud Homerum Iliad. *υ.* ad Achillem inquit Æneas: Ne certemus mutuis rixis & conviciis, sicut mulieres iratæ, sed experiamur, uter possit alterius superare virtutem.

Pari modo Carolus V. Cæsar, cùm Franciscus Galliarum Rex sæpissimè in eum esset invectus, nominando eum *primogenitum Satanæ*, nunquã

tamen respondit conviciis, quanquam objicere longè tetriora ipsi potuisset, (æquum enim est, ab alio ut quis expectet, alteri quod fecerit, ut scitè monet Comicus) sed provocavit eum ad singulare certamen. Convenit nimirum viris magnis, ut placidi sint & tranquilli, nec proclives in verborum conviciorumque certamen descendant, sed injurias atque offensas supernè & heroicâ quâdam mente despiciant, & leonis, animantium fortissimi & generosissimi, indolem imitentur, qui rabiosos canum allatratus flocci facit, &, quasi minimè ad se pertineant, contemnit, cùm præsertim, ex sententiâ Alexandri Magni, *regium sit malè audire*.

FLOS XV.

Hostem præ nimia victoriæ confidentia contemnere, stultum est.

N*Ihil tutò in hoste despicitur, quem si spreveris, valentiorem negligentiâ facies*; inquit Curtius lib. 6. Et Livius dec. 3. lib. 1. *Sæpè contemtus hostis cruentum certamen edidit*, & populi inclyti Regesque perlevi momento victi sunt.

Testatur

Testatur hoc pugna Marathonia, in qua Miltiades Atheniensis civium suorum decem millibus, & mille Platæensibus auxiliariis profligavit Persarum sexcentena millia, fortunâ honestis & magnis Atheniensium conatibus aspirante, ipsoque Deo ita puniente fastum barbaricæ gentis, quæ exiguam manum, quæ nec sagittis nec equitatu uteretur, & nihilominus in hostem, tanquam in certum exitium, rueret, contemnebat; teste Herodoto lib. 6.

Pausanias in Atticis author est, Persas, cùm in Marathonem irrumperent, Parium marmor, ac si hostem jam vicissent, trophei erigendi causâ Rhamnuntem usque deportandum curasse. Cæterùm Nemeseos irâ afflictis ad Marathonem Persis, Phidiam ex eo marmore Nemesis signum fecisse.

Sic & non multò pòst Græcorum undecim myriades cum trigiuta millibus Persarum ad Platæas contra Mardonium, Xerxis Ducem, feliciter pugnarunt, teste Herodoto lib. 9.

Sic & Athenienses, inani spe potiundæ totius Siciliæ stultâ & juvenili Alcibiadis ambitione fascinati, & ad bellum Syracusanum incitati, in eo post triennium, paucis elapsis maximâ internecione sunt cæsi; teste Thucyd. lib. 6. & 7.

Cùm Antigonus, Asiæ Rex, ob Cassandri, Ptolemæi, Seleuci, & Lysimachi fedus & so-

cietatem jactaret, se, tanquam avium multarum concursum, lapidis jactu & strepitu, hostes dissipaturum: quanquam aliquot quidem & acerrimis & funestissimis præliis vicerat, veruntamen in acie tandem, multis jaculis ab hostibus superimminentibus confossus, non solùm Regnum, & cum hoc fortunam magnificam atque splendidam, verùm etiam vitam ipsam amisit, teste Diodoro Siculo lib. ult.

Vitiges, Gothorum Rex, cum universo exercitu, equitum peditumque centum quinquagita millibus, iter Romam versus intendit, tantâ urbis potiundæ inque suam potestatem redigendæ fiduciâ inflatus, ut obvios quosque interrogaret, num Belisarium Romæ deprehensurus esset? Neque enim se illum expectaturum putarat. Cæterùm frustra in annum integrum ductâ urbis obsidione, cùm ad expugnandam illam ne minimum quidem proficeret, majoribus acceptis quàm illatis cladibus, in timorem amittendæ Ravennæ adductus, castris omnibus incensis, abiit, ut Sigonius scribit lib. 18. Imperii Occidentalis.

Constantinus secundus, Scotorum Rex, cùm Danos Britanniam, Duce Huppâ, Canuti Regis fratre, Pictonum instinctu, exercitu hostili vastantes, vicisset & occidisset in agro Fisano; Scoti eo successu elati, duos insequentes dies choreis & tripudiis consumserùnt, tantâ

insolen-

insolentiâ atque pervicaciâ, ut inter se palàm de præda dividenda & spoliis distribuendis contenderent, sortibusque anxiè disquirerent, an Danorum Duces extemplò post partam victoriam forent internecioni tradendi, an vivi reservandi ad ludibrium. Super his tanta & tam acerba fuit contentio, aliis alia asserentibus, ut juniores cum majoribus natu ad gravissimas contumelias descenderint, his ætatis prærogativam ostentantibus, illis labores & pericula in prælio subeunda prætexentibus. Quin etiam de captivis & pecunia, armis hostium exuviisque dividendis multi ac varii sermones habiti; at de instruenda acie & de hoste superando prorsus nulli. Prælio itaque redintegrato, Dani, Duce Humbro, magnâ strage Scotos vicêre, & Constantinum captum securi percussêre, ut author est Hector Boëtius lib. 10.

Sic & Eduardus II. Angliæ Rex, exercitu trecentorum millium, triginta millia Scotorum, Roberto Brusio Duce, ad fluvium Pannocum aggressurus, victoriæ spe tumidus, quasi jam illam certo certiùs, & velut per manum solenniter sibi desponsam, haberet, cum proceribus consultare cœpit, quonam supplicii genere Brusium esset affecturus? Verùm ingenti ipse victus strage vix scaphâ effugit; eodem teste Hectore Boëtio lib. 14.

Ad Vincentiam exercitu Maximiliani I. Imp. Ducibus Rudolpho Anhaldino & Georgio Fronsbergio, in augustissimis montibus obsesso, cùm Bartholomæus Livianus, Dux Venetus, ex urbe evocaret senatum, cives & mulieres ad spectandam lanienam Germanorum; copiæ Cæsareæ, Germanis fortissimè dimicantibus, exercitum Venetum fuderunt, dissiparunt & submerserunt, non sine magnâ illorum quoque clade, qui spectatum ex urbe egressi fuerant, teste Guicciardino lib. 15.

Sic & in pugna ad Ravennam, cum Hispani, Duce Navarro, Germanos, qui in Gallorum castris militabant, contemnerent, adeoq; certam sibi sponderent victoriam, ut hostes, nullo negotio exhibito, paterentur transire amnem, qui castra dirimebat; conspectâ deinde copiâ hostilium tormentorum, pilas evitandi gratiâ corpora in terram supina sternerent, ut explosis demum tormentis hostes jam defatigatos atq; inermes majore cum securitate minoreque periculo conciderent; cùm iam capita abrepta à truncis maximo agmine in campo volitarent, & invicem præ densitate colliderentur; serò tandem consurgens Navarrus, repressurus Germanos, superante equitatu Gallico, iam victore, captus, & primæ acies Hispanorum disjectæ, inque fugam sunt conversæ, ut Curæus scribit in Silesiæ annalibus.

Quibus

Quibus omnibus exemplis docemur, ob nimiam nulloq; metu permixtam ſpem, & ob plenam victoriæ confidentiam, ejusq; filiam ſecuritatem, quæ mater eſſe ſolet negligentiæ, horrendas ſępenumero inferri clades & ſtrages urbium, regnaque peſſundari. *Uſq; adeò nimia fiducia*, ſecundùm Æmilium Probũ in Pelopida, *maxima calamitati eſſe ſolet*; quoniam, ut Heliodorus ait lib.1. *quod ſpei limites transſiliit, à corde & mente facilè relinquitur.* Fit enim communi omnium mortaliũ imbecillitate, ut ea, quæ cupiunt, avidè etiam ſperent, & res futuras, quarum tamen exitus incertus atq; anceps eſt, certiores melioresq; judicent; quàm quæ certa jam & noſtra in manu conſiſtunt: quæ autem non cupiunt, ea etiam minimè futura credant, ſed pravæ rationis pertinaciâ reſpuant, quod apud Thucydid. legimus lib 4. & 5. Cæterùm quomodo hoſtes ſecuri ſint opprimendi, docuimus quoque lib.2. ſtrategem. cap.34.

Prudenter itaque Carolus Burgundus, poſtquam ad hoſtium Leodiorum fines perveniſſet, cùm nonnulli, qui ſe viribus & potentiâ longè præſtare putabant, illi ſuaderent, ut partem exercitus dimitteret, partim quòd oppidani turribus & muro eſſent denudati, & ſpe omni auxilii carerent, partim quoque, quòd Rex Ludovicus, in quo magnum ponebant præſidium, abeſſet, temerarium hòc conſilium repudiavit, quòd de-

ſpectum haberet Regem, minimumq; tunc abfuit ab internecione, ut author eſt Cominæus lib.3. de rebus geſtis Ludovici & Caroli.

Flos XVI.

Provocatores rarò felices.

CYgni, ut Ariſtoteles ſcribit lib. 9. de animalibus, nunquam pugnam inchoant, impetiti autē ab aquilis ſemper ſuperiores exiſtunt. Idem in publicis privatisque provocationibus uſuvenire experientia teſtatur, plerunq; eos, qui propriæ potentiæ, aut roboris fiduciâ temere & ſuperbè res periculoſas & non neceſſarias movent, nec oblatis quibuscunque pacis conditionibus placabiles ſe adverſariis exhibent, vinci, atque ita pœnas luere ſuæ pertinaciæ, juxta illud Antiphontis, oratoris Attici: *Incipienti ubiq; magnæ pœnæ ſtatutæ ſunt, defendenti verò nulla pœna denunciatur.*

Davide à Saulis interitu à tribu Judæ Hebrone in Regē creato, Isboſetho verò cæteris Iſraëlitis imperante, Abner duodecim juvenes Benjaminiticos emiſit, qui Davidicos totidem provocarent: eo in prælio commiſſo Davidici Isboſethanos ſuperarunt, 2. Reg. 2. Et ipſe David, regnante Saule, etiamnum puer, ſuperbum Goliathum, robori atque armis ſuis fidentem, & Iſraëlitas

litas ad monomachiam provocantem, ipse inermis jactu fundæ prostravit (*a.M.2884.*) 1.Reg.17. Sic & Romulus ab Acrone, Ceninensium Rege, ad dimicandum provocatus, occiso Acrone, fusisque hostibus, opima de eo spolia Jovi Feretrio retulit, teste Val.Max.lib.3.c.2. In acri illo conflictu, quo Achæi cum Ætolis & Elæis signa contulerunt ad amnem Larissum, Philopœmonem, Achæorum magistrum equitum, magister equorum Elæorum Damophantus ante signa evectus petiit, cujus ille impressionem excipiens, prævertit eum lanceæ ictu, atque exanimem deturbavit equo, ad cujus lapsum confestim effuderunt se in fugam hostes. Unde ingens nomen acquisivit Philopœmones, ut qui nec manu ulli juvenum, nec ulli senum concederet prudentiâ, sed juxta militis simul & Imperatoris partes optimè obiret, ut in ejus vita memorat Plutarch*.

In bello Demetrii, Macedoniæ Regis, cum Pyrrho, Epirotarum Rege, cùm Pantauchus, virtute & manu, & vi corporis inter Demetrii Duces facilè primus, Pyrrhum ad congrediendum secum provocaret; primùm hastis velitati, inde cominus, non solùm arte, sed & lacertis gladios tractaverunt; Pyrrhus, uno accepto vulnere, inflictis duobus, altero in femur, altero secundùm collum, pepulit prostravitque Pantauchum, nec tamen eum occidit, quòd eripuerint eum amici. Epirotæ, Regis victoriâ erecti & virtutem stu-

pentes, impressione factâ, propulerunt phalangem Macedonum, tergisque inhærentes fugientium magnum numerum interfecerunt, ceperuntque quinque millia, ut Plut. refert in Pyrrho.

Quintus Cotius, propter fortitudinem Achilles cognominatus, Quinto Metello proconsule, legatus in Hispaniam profectus, Celtibericum sub eo bellum gerens, postquã cognovit, à quodam hujus gentis juvene se ad dimicandum provocari, relictâ mensâ, quæ illi prandendi gratiâ erat posita, arma sua extra vallum deferre, equumq; clàm educi jussit, ne à Metello impediretur, & illum Celtiberum insolentissimè obequitantem, consectatus interemit, detractasque corpori ejus exuvias ovans lætitiâ in castra retulit, ut Valer. Max. scribit lib. 3. c. 2. Eodem virtutis & pugnæ genere usi sunt Titus Manlius Torquatus, & Marcus Valerius Corvus, qui ultrò provocantes hostium Gallorum Duces interemerunt, ut ibidem ex Livii lib. 7. refert Valer. Maximus.

Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine novâ celebrante, duo regii filii nuper patre mortuo in arenam processerunt, polliciti que sunt, ibi de regno se præliaturos, quò spectaculum illud illustrius suâ pugnâ facerent. Eos cùm Scipio monuisset, ut verbis, quàm ferro dijudicare mallent, uter regnare deberet, ac jam major natu consilio ejus obtem-

obtemperaret, minor corporis viribus fretus in amentia perstitit, initoq; certamine pertinacior impietas fortunæ judicio morte mulctata est; inquit Val.Max.lib.9.c.11. ex Livii dec.3. lib.8.

Porus, Indorum Rex, cùm nimium viribus suis tribueret, (erat enim staturâ 4.cubitorum & palmæ, authore Plutarcho) Regem Macedoniæ Alexandrum privatum sibi hostem deposcit; nec Alexander moram pugnæ fecit. Porus itaque multis vulneribus obrutus capitur, & victum se adeò doluit, ut neq; cibum sumere voluerit, neq; vulnera curare passus sit, ægréque sit obtentum, ut vivere vellet, inquit Justinus lib.12.

Phocas Bardas eunuchus, Dux Basilii secundi Imperatoris, cùm contra Bardam Sclerum, qui tyrannidē invaserat, esset missus, circa armarium Martejulii pugnarunt. Tandem singulari certamine congredi, & de summâ rerum depugnare statuerunt. Cùm itaq; Sclerus prior ense stricto in Phocam irrueret, qui ictum declinabat adeò, ut summo mucrone equi, quo Phocas vehebatur, aurem feriret atque abscinderet, is rursus malleo caput Scleri verberavit, ut vertigine occupatus collo equi incumberet, cruoremq; evomeret. Abducto eo ad puteum, ut refocillaretur, & cruor abstergeretur, equus ipsius, qui Ægyptius vocabatur, & notus erat omnibus, sine sessore saltabundus pervenit ad exercitum, jubâ sanguine defœdatâ, à militibus suis agnitus, qui

rati victum & cæsum Sclerum, in fugam vertuntur, quos Phocas insequens partim cepit, partim occîdit; multi verò oppressi sunt. Sclerus cum reliquis ad Cosrhoën Babylonem effugit, ut author est Cuspin. ex Zonarâ & Cedreno.

Manuel Comnenus Imperator, Johannis filius, in ea pugna, quâ Servios Bœonum & Jurorum auxilio instructos superavit, cum Archizupano Bacchino singulari certamine est congressus, viro heroicâ staturâ & lacertoso: qui cùm faciem Imperatoris percussisset, & ferreum ejus velamen è galeâ dejecisset, ipse vicissim, manu ense trajectâ, debilitatus, vivus in Imperatoris venit potestatem, ut scribit Nicetas Choniates lib. 2.

Eo prælio, quo de summâ rerum ad Appenninum in Thuscia pugnatum est inter Narsetem eunuchum, & Totilam, Gothorum Regem, cùm aliquot horas ex adverso acies constitissent, neutrâ tamen ex parte cœptum est prçlium, utrisque ab hoste id primùm iniri expectantibus. Interim ex parte Gothorum miles, Ducas nomine, magnam bellicæ industrię famam adeptus, equo in hostem incitato, proximè ad Romanos accessit, &, qui viritim secum confligeret, provocavit. Erat autem is ex eorum numero, qui ex Romano exercitu primi ad Totilā ultrò concesserant. Tum Armenius quidam è Narsetis militibus ei se objecit, quem ut Ducas vidit, prior equum impu-

impulit, ut ventrem illi lanceâ transfoderet, cujus impetum Armenius equo subducto vitavit, atq; in eum conversus, dextrum in ejus latus telum infixit, eumq; moribundũ ex equo dejecit, ut author est Sigonius lib. 19. Imperii Occident.

Ladislaus, Ungarorũ Rex, initâ cum Chunis in Danubii ripâ pugnâ, eorum Regem Acum singulari certamine aggressus, primò securis ictu trucidavit. Spectatâ Ducis morte, Chuni animo consternati, instantibus Ungaris, terga dare coacti sunt, ut Bonfinius scribit lib. 4. dec. 2.

Nicolaus, Petri Macedonis filius, Mysiæ præfectus, collecto exiguo exercitu, Inacho, Possenę superioris Regulo à Machomete constituto, occurrens copias ejus profligavit, eum singulari certamine occidit, opima spolia ad Sigismundum Imperatorem retulit, eodem teste Bonfinio lib. 3. dec. 3.

Carolus, Burgundiæ Dux potentissimus, cùm in universum supplicantium Helvetiorum preces respuisset, tandem ab iisdem parum validis cum toto suo exercitu est oppressus. Ex quibus historiis omnibus patet, eos, qui pacis conditiones respuunt, & qui alios ad bellum aut monomachiam provocant, plerunqne vinci & succumbere, & comprobare veritatem dicti Christi, Matthæi 26. *Qui accipit gladium, gladio peribit.*

Flos XVII.

Insidiæ in hostes licitæ.

ETsi cæteris in actionibus meritò fraudis usus est detestabilis, quando parva integritas & exigua fides ab iis, quos opinamur crevisse fraude & artibus, expectatur: in bello tamen gerendo dolo quis summâ cum laude uti poterit. *Nec minùs gloriosum est, hostem dolo, quàm viribus & robore superare.* Imò ut longè majora sunt animi, quàm corporis opera, ita longè majorem apud viros prudentes merentur laudem, qui ingenio & calliditate hostes vincunt, quàm qui manu; tum quia frequentiores sunt, qui multitudine aut viribus freti res magnas gerunt, quàm qui consilio & prudentiâ militari; tum vel maximè, quòd hoc modo sine majori periculo, non rarò quoq; sine sanguine ingentes hostium copiæ debellantur. Hinc & Pericles *tutius esse* dixit, *atq; præstantius, ingenio hostem & ratione, quàm ferro vincere.* Præterea, ut D. Augustinus scribit quæst. 10. super Josuam; cùm justum bellum suscipitur, utrùm apertè quis pugnet, an ex insidiis, nihil ad justitiam interest. Josua enim (cap. 8. Josuæ) ipse mandat, ut civibus Aimiticis insidias struant. Sic & Saulis insidias in opprimendis Amalekitis fortunavit Deus, quos ipse ex improviso adortus, minimo

minimo suorum periculo debellavit, 1. Reg. 15. Etenim quando ex insidiis improvisus ac repentinus hostis exoritur, seque & à fronte, & à tergo, vel etiam à lateribus ostentat, quamvis ipsi Duci præsens sit animus, ut totus tamen exercitus festinet, concurrat, trepidet, est necesse. Unde non mirum, si, quod & Xenoph. dixit Hipparcho, *plurimæ & maximæ victoriæ insidiis atq; dolis parentur.*

Sic & Ehud Benjaminita, Israëlitis durissimâ ab Eglone, Moabitarum Rege, servitute pressis, publico Israëlitarum nomine munera Regi cùm obtulisset, solus ex itinere in regiam reversus, tanquam rem arcanam Regi, remotis arbitris, nunciaturus, cùm hic ad verbum Dei de solio assurgeret, Ehud manu sinistrâ, quam solam expeditã habebat, Regem transfigens, sicam cum capulo adactã in hominis obesi abdomine reliquit, & confestim per posticũ elapsus, & ad suos reversus, classicum canens, collecto milite ex Ephraimitis, occupatis Jordanis vadis, iter hostibus insequentibus intercludens, decem millia virorum fortissimorũ occidit, Judic. 3.

Pari ferè modo Juditha, vidua Bethuliensis, Holofernem Assyrium, Bethuliã gravissimâ prementem obsidione, suâ pulchritudine dementatum orationis astutiâ evertit. Eundi siquidem redeundiq; potestate specie religionis impetratâ, quodam die ad ipsius concubitum invitata,

ſubdolè aſſenſit, & in cubiculum adducta, vino & ſopore ſtertenti, proprio acinace caput amputavit; cujus caſu milites exanimati, fugâ turpiſſimâ ſunt diſperſi, teſte ipſius hiſtoriâ cap. 8. & ſeq. Quæ omnia facinora, ut juſta ſunt, ita & meritò à Spiritu ſancto commendantur. Si enim *licet* adverſus hoſtes juſtis armis pugnare, ſi præterea vim vi repellere concedunt leges, ubi alia evadendi via non conceditur, utique quoque licet fraude contra fraudem abuti. Sunt enim doli inſtar armorum, ut, ubi violentiâ nihil geri poteſt, adhibeatur verſutia; & quò leonina pellis nõ pertingit, aſſuatur vulpina; quod Lyſandrum Spartanum olim dixiſſe, refert Plut. in Lacon. Sed nec Gileaditarum, ſive Jabeſitarum ſtrategema improbat ſacra pagina, quibus ab Ammonitis diuturnâ obſidione preſſis, pacemque petentibus, cùm non niſi fœdiſſimâ & turpiſſimâ conditione Nahas Rex pacem promitteret, ſi nimirum ſibi paterentur ſinguli oculum dextrum erui, ad cujus rei deliberationem 7. dierum inducias illis concedebat, hi de ſociorum auxilio certiores facti, callidâ vafricie rem omnem ſimularunt, hoſtibusque ſuis renunciarunt, ſe ſuorum ſociorum auxilio prorſus deſtitutos, & perfidè ab ipſis non tam derelictos, quàm proditos eſſe, ac proinde poſtero die ad ipſorum caſtra egreſſuros inermes, & quod victoribus luberet, facturos atque paſſuros. Quod ſanè hoc conſilio à Gi-
leadi-

leaditis factum, ut hostes hujusmodi nuncio, quasi certissimi victores, securi redditi, inopinato incursu ab Israëlitis opprimerentur. Ammonitæ igitur hoc nuncio læti, dum triumphum ante victoriam canunt, & securissimè noctem ducunt, subitò à Saule in matutina vigilia ita opprimuntur, ut priùs se trucidari, quàm hostes adesse sentirent; atque ita non solùm suis castris & bonis, sed & vitâ privantur, reliqui verò fugâ ita disperguntur, ut nusquam duos simul fugientes cerneres, 1. Regum 11. Quanquam verò non ingenuè egisse videantur Jabesitæ, siquidem in contrahendo mentiri hosti non licet; quia tamen in nuncio isto Jabesitarum repetita non est conditio, si suppetiæ non affuerint, quemadmodū priùs fuerant pacti; negamus hîc ullum esse mendacium, sed licitum & laude dignum strategema, quo hostem, quem legitimè occidere ipsis licuit, securum de victoriâ redditum commodiùs oppresserunt. Omnino enim quoscunque hostes ex authoritate quoque divinâ occidere licet, eosdem & imposturis fallere, & insidiis atque astu deludere licet.

Federa quidem violare præter causam, impium est; cæterùm hostibus imponere, non modò justum est ac laude dignum, sed & jucundum atq; lucrosum, ait apud Plut. in Lacon. Agesilaus.

Sic & Porsennâ, Hetruscorum Rege, ut Tarquinios reduceret, Romam gravissimâ obsidione premente, Cajus Mutius Scævola, castra ejus clàm ferro cinctus intravit, immolantemq; ante altaria conatus est occidere. Cęterùm inter molitionem pii pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam adventus sui texit, & tormẽta quantopere contenderet, mirâ patientiâ ostendit, inquit Val. Max. lib. 3. c. 3.

Licet autem injustum hoc Scævolæ facinus videatur, qui hoc in bello, latronis & sicarii instar, Porsennæ Regi est insidiatus; ipsâ etiam naturæ lege posthabitâ, *quæ hosti quoq; facere vetat, quod quis sibi ab hoste fieri nolit*; atq; ita, desperatis quodammodo usus rationib. cũ alterius cęde, cui uni inhiavit, suam conjunctam voluit; si tamen quis æquâ lance & causam ipsam, & periculum, quod urbi impendebat Romanæ, & Scævolæ simul facinus expendat, nequaquam hoc ipsius forte & petitũ decus, ceu temerarium, reputabit, sed nec tanquam injustum damnabit. Primùm namque Porsenna, vel solo Romanorum odio, quos ita crescere dolebat, in regnum vi armisque reducere conabatur Tarquinium Superbũ, qui, quòd animã haberet ex libidine & crudelitate conflatam, nec ullâ fidei datæ aut justitię curâ habitâ, patrię jura labefactaret, merito suo regno erat exactus; dignior ꝑfectò, qui post scelerum & flagitiorum immanitatem morte

quâvis,

quâvis, idque vel in aperto, vel ex insidiis, vel etiam judicio damnatus, afficeretur, quàm ut in regnum reduceretur. Quòd si licitæ sunt insidiæ in tyrannum, ergo & in socium tyranni; quemadmodum nec his solis, qui parentes occiderunt, sed & consciis, & quoquo modo adjutoribus, parricidii pœna constituta legitur lib. 6 & 7. ff. ad legem Pompejã de parricidiis. *Etenim qui agunt, & qui assensum præbent, pari supplicio afficiendi sunt.* Imò & in quovis hoste licitas esse insidias, modò absit perfidia, ac proinde licere, hostem per insidias non tantùm capere, sed etiam occidere, aliquot exemplis ex sacrâ historiâ modò planum fecimus. Deinde, *quoniam gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis*, ut est apud Salust. in fragm. *ideo quoq; turpe nihil, quod vi aut necessitate fit, & suprema pericula semper dant veniam culpæ*, ut Claudianus canit. Romanis nimirum gravissimâ à Porsennâ & Hetruscis obsidione pressis, nõ solùm parum abfuit, quin urbs initio caperetur, ad primum hostium impetum Romanis terga vertentibus, sed & cùm protraheretur obsidio, annonæ illa difficultatem, & tantùm non extremam famem in urbe augebat, adeò ut patres anxii nõ possent ullam salutis spem Reip. ostendere, sed alterum futurum prospicerent, ut aut inopiâ adacti, Porsennæ se dedere, aut miserrimâ fame contabescere cogerentur. Ut ergo patriam ab urgentibus malis tandem liberaret

Scævola, animo interficiendi Regem, impetratâ à senatu veniâ, transfugæ habitu in hostium castra se contulit, cum præsentissimo vitæ suæ discrimine. Utiq; igitur, ut gravis author est Quint. Curtius lib. 3. *in rebus arduis & afflictis, non tam speciosa dictu, quàm usu necessaria & utilia sequi debemus.* Etenim etsi optandum est, utrumq; nos posse consequi, tamen si optionem nobis amarissima & truculentissima necessitatis imperia imponant, *honestati salus & utilitas, ut res magis necessaria generi humano, præferenda est,* inquit Dionysius Halicarnass. lib. 6. *Necessitas namque non habet legem, sed ipsa sibi facit legem.* Nam quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum, ut JCti docent.

Porrò, etsi in periculum non necessarium sponte se conjicere, magna est dementia; quemadmodum & Cicero monet in officiis: Ne offeramus nos periculis sine causâ; non tamen omne periculum reformidare, aut cavere debet vir fortis & sapiens; vera siquidem fortitudo in doloris perpessione periculique susceptione potissimùm versatur, cui secundùm Aristotelem proposita τὰ φοβερά, h. e. ea, quæ maximè terribilia sunt, quæ uno verbo mala sunt, cujuscunque generis ea fuerint, quę sanè cõtemnere, & pro nihilo ducere, patrię prę sertim causâ, magni excelsiq; est animi.

Magna enim res, secundùm Herodotum, *magnis volunt suscipi periculis.* Quò autem majus

est pe-

est periculum in suscipiendo aut perficiendo, eò factum ipsum redditur clarius atque illustrius. Et secundùm Comicum in Heaut. *non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.* Sic ergo omnino huic periclitandum est, qui periculum effugere cupit. Denique ad Scævolæ mendacium quod attinet, de trecentis suis conjuratis, licitum & illud fuit, siquidem & hîc nulla inde contracta obligatio, ac proinde citra omnẽ fuit perfidiam. Et quamnam Scævola rationem habere potuit meriti in se à Porsennâ collati, dũ publica staret hostilitas, & patria penè oppressa teneretur? Privata gratia privato debebatur beneficio, quæ nihil de patriæ amore tolleret, nihil quoq; Scævolæ de isto debito imminueret, quo patriæ tum maximè obstrictus, ejus salutem procurare omnibus ingenii manuumq; viribus necesse habuit. Suam igitur potiùs facilitatem accuset Porsenna, qui hosti credidit. *Quid enim stultius est*, teste Cic. in Lælio, *quàm incerta pro certis habere, & falsa pro veris?* Et notũ est Sirac. illud c. 19. *Qui facilè credit, levis corde est.* Deniq; in insidiis hosti struendis, eoq; opprimendo, inprimis quoq; cavendum, ne sub strategematum specie spes data fallatur, & fides frãgatur; quemadmodũ à Marco Antonio factũ, qui bello Parthico unum ex primatib. Parthorum, Monesem, ad ipsum qui confugerat, à Phraate Rege, spe pacis summisque pollicitationibus revocatum,

ipſe volentem, fraudulento, imò perfido conſilio, ad Regem unà cum ſuis legatis benignè dimiſit, ut eum ſpe pacis, quam verbis ferire juſſerat, deceptum imparatiorem invaderet. *Non enim licet hoſti in contrahendo mentiri, ſed jure cum ipſo agendum.* Quid ergo mirum, quòd perfidia iſta ipſi Antonio perfido fuit pernicioſa? & quòd, qui Partho inſidias, ſub amicitiæ nullius doli ſuſpectæ ſpecie ſtruxit, ipſemet Armenii Regis Artuaſtis, belli ſocietatem inſidiosè ipſi offerentis, calliditate in ſummam calamitatem ſit pertractus? Utique juxta Tac. Annal. lib. 11. *nec irrita, nec degeneres ſunt inſidiæ adverſus violatorē fidei.* Fraudes quoque, quæ perfidiam redolent, plerunque infeliciter evenire, ipſosque autores in caſſes, quos aliis tendunt, ſæpiùs incidere, & artibus ſuis eludi, non aliter ac vulpes à venatoribus capiuntur, cùm retia in contrarium tenduntur. Docemur quoq; exemplo Annibalis, qui bello Punico ſecundo, Marcelli conſulis occiſi annulo literas ad Salapianos obſignatas miſerat, quibus Marcelli nomine eos monebat, ſe inſequenti nocte Salapiam venturum; curarent proinde, ut parati ſint milites in præſidio conſtituti, ſi fortè operâ illorum ſibi eſſet opus; ſed qui ab his, à Criſpino, altero conſule, præmonitis, ut literis, nomine Marcelli ſcriptis, fidem derogarent, ſuâ ipſius fraude captus, & turpiter abire eſt coactus, teſte Liv. dec. 3. lib. 7.

Rectè igitur Florus lib.2.c.19. Manlii Aquilii consulis Romani, detestatur scelus, quòd Asiatici belli contra Aristelicum reliquias confecerit mixtis veneno fontibus. Nec enim solùm hoc contra priscorum Romanorum fuit morem, *sed magnum quoq; est dedecus & flagitium, cum quo virtutis certamen sit, eum scelere velle vincere.* Cęterùm de strategematū usu monuimus quoq; in lib.2.strategemat.c.5. Quomodo verò hostes in insidias sint præcipitandi, & quomodo aliter illis illorumq; bonis sit incommodandum, prolixè docuimus in eod.lib.2.c.29.& seqq.

FLOS XVIII.

Bella cum desperatis plerunque sunt infelicia.

IN bello civili Davidis Regis cum Sauli præfectis, cùm Joab fratris Asahelis interitu exacerbatus, à persequendo Abnere non desisteret, & Benjamitæ jam denuò ad pugnam conglobati essent, fraterno nomine hic illum à persecutione ulteriori dehortatus, ne tanto furore in suos fratres desævire pergat; *An ignoras,* inquit, *quòd amaritudo sit in novissimo,* 2.Sam.2. Quemadmodum enim in fundo vini subsidunt fæces amarissimæ, sic quoque secundùm Salustium in fragm. *gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.* Et ut

bos lassus fortiùs figit pedem: ita quos ultima necessitas in rabiem vertit, dum penitus de vitâ desperant, ex timidis facit longè fortissimos. *Nam cùm spei nihil est, sumit arma fortitudo*, teste Vegetio libr.3. cap.1. Rectè igitur Thucydides lib.7. laudat consilium Syracusanorum, qui cominus cũ Atheniensib. profligatis jam pugnare nolebant, tantumq; iter eorũ levibus certaminibus morabantur, *quòd inutile periculosumq; sit, cum hominib. de vita sua desperantibus congredi.*

Sic & in bello Xerxis cum Atheniensib. Themistocles, ut animum Aristidis exploraret, simulabat se statuisse in Hellespontum navigare, & pontem ibi à Xerxe factum demoliri, atque ita Asiam cum Europâ capere. Id improbatum graviter Aristidi, dicenti, non quidẽ pugnatum esse cum Rege, luxu soluto, quem si incluserimus in Græciam, ac virum tantas sub se copias habentem, in metum & necessitatem extremã compulerimus; nõ is præterea otiosus subter aureo umbraculo pugnam spectabit, sed periculo motus, omnia tentabit, omnibusq; in rebus aderit, ut ea, quæ neglexit, resarciat, & de totâ re meliora consilia inibit. Quapropter nõ is, qui nunc est, pons dejiciendus nobis, sed si fieri possit, alio insuper constructo, Barbarus quamprimùm Europâ nobis expellendus est, autore Plut. in utriusq; vita.

Pari modo Artabanus & Megabysus, Duces Artaxerxis, qui missi erant contra Ægyptios ab

Arta-

Artaxerxe, qui defecerant, pugnare noluerunt cũ Atheniensib. quorum classem inutilem reddiderant, cùm vidissent eos desertos esse ab Ægyptiis, & in summo rerum discrimine versari. Addit ibi Diodorus Sic. lib. 11. illos, cõspectâ omniũ incredibili audaciâ, veritos, ne cum obstinatis, jam salute abjectâ ad mortẽ, pugnando multa nequicquam suorũ millia amitterent, fedus cum Atheniensib. certâ conditione iniisse, permissumq; , ut absq; periculo incolumes Ægypto excedant. Sic & Agesilaus, Spartanorũ Rex, instructâ acie adversus Bœotios ꝓfectus, postquam ad hostes appropinquasset, primùm quidem levis armaturæ milites hostib. objecit, periculũ facturus, quàm essent ad pugnam hostes instructi. At cùm facilè Thebani hos è locis superiorib. dejecissent, universum exercitũ contra eos duxit. Illic tum Gabrias Atheniensis militib. suis præcepit, ut hostes cũ contemptu exciperẽt, in acie intrepidè ꝑsisterent, & demissis ad genua clypeis, stantib. lanceis manerent. Quibus jussum facientib. Agesila⁹ admiratus hostiũ & constantiam, & contẽpũ, non tutũ existimavit, in iniquũ locum niti, & cogere adversarios ad virtutem suã exercendã in ꝑsenti periculo, cumq; expertus esset, eos acturos esse, si cogerentur certare pro victoriâ, in planitiem eos ꝓvocabat. Non descendentibus Thebanis, peditum suorum phalangem adduxit, equitibus verò & levis armaturæ militibus emissis, agrũ eorum vastavit, & magnâ spoliorum copiâ potitus est.

At Spartani, qui cum Agesilao erant, partim consiliarii ejus, partim Duces, admirabantur, quòd, cùm tanto semper successu esset usus Agesilaus, & exercitum multò majorem potentioremque haberet, non tamen prælium cum hoste commisisset. Quibus Agesilaus respondit, *non quidem Lacedæmonios sine periculo vicisse.* Non enim ausos fuisse Bœotios devastatæ regioni succurrere: si autem, hostibus victoriæ cedentibus, per vim periculum eos sustinere coëgisset, fieri propter fortunæ inconstantiam potuisse, ut Lacedæmonii in periculum caderent. Tunc igitur propter solers illud judicium visus est aptè conjecisse, quid contingere posset. Postea autem propter effectus, qui secuti sunt, visus est non humanam vocem, sed divinum oraculum protulisse. Lacedæmonii enim, cum ingenti exercitu adversus Thebanos profecti, cùm eos certare pro libertate coëgissent, magnam cladem passi sunt; primùm in Leuctris graviter afflicti, postea ad Mantineam navibus delati, prorsus perierunt, & imperio suo, cùm minimè putassent, exciderunt, ut Diodorus scribit lib. 15. Probè hoc quoque intellexit Jason Phæreus, quem, cùm Thebani post Leuctricam victoriam ad belli societatem hortarentur, respondit; *non esse dimicandum cum desperatis, & redactis ad extremas angustias, quia Deus sæpe imbecilliores extollat, & potētiores dejiciat.* Quibus monitis Thebani obtemperantes, cum Spartanis pacem fecerunt. Sic

Sic & Vespasianus Imperator, Jotabanis arctissimâ obsidione clausis, suis imperavit, *ne cum hominibus mortis avidis manum consererent*. Restingui autem illorum impetus, si proposito frustrentur, quasi flammam, si materiam non inveniat, ut Josephus scribit de bello Judaico lib. 3. c 8. Idem hoc confirmat Cominæus lib. 3. de reb. gestis Ludovici & Caroli exemplo Leodiensium, qui obsessi à Ludovico Rege, & Carolo Burgundo, cùm carerent omni externo pręsidio, & quos habuerant viros fortes, vel occisi essent, vel vulneribus confecti, portis etiam & castellis, & muro, & fossâ, & tormentis prorsus essent denudati, atque ita res ipsorum ad extremum perducta esset casum, desperatâ salute, ingenti eruptione factâ, extremum experti sunt auxilium, magnamque ediderunt hostium stragem; nec multum abfuit, quin ambos quoque Principes interemissent, cubantes in lectulis. Sic & ad Vincentiam ita erat conclusus à Venetis exercitus Maximiliani I. Imperatoris, ut aut fame pereundum ei esset, aut Venetorum armis. Ibi Fronsbergius nullum aliud superesse consilium dixit, nisi ut arctè claudantur manus, & aperiantur oculi. Vicit tunc cum parvis copiis Maximilianus longè majorem Venetorum exercitum, utpote in quo desiderata sunt novem millia. Bello Ligustico secundo, Genuenses in Corcyrensi portu à Venetis obsessi, voluerunt naves omnes

Venetis tradere, si incolumes inde viros abire permisissent. Quo negato, metu in desperationem verso, concursum fuit, Ligurq; artem viribus addidit, 15. triremibus in insidiis locatis, quæ medio pugnæ ardore in Venetos motæ, haud dubiè suam fecerunt victoriam, ut author est Sabellicus lib. 1. dec. 2. Plura de hoc flore monuimus in lib. 2. strateg. nostræ c. 24.

FLOS XIX.

Hostes potentes aut necandi, aut maximis beneficiis sunt obligandi: *Bodin. libr. 4. de Rep. cap. 1.*

HErennius Pontius, Samnitum Dux, cùm ad Furcas Caudinas duos Romanorum exercitus consulares inclusisset, ad patrem Cajum Pontium misit, sciscitatum, ecquid sibi agendum putaret? respondit senex, *incolumes cum suis Ducibus exercitus dimittendos.* Quod consilium cùm vulgo displicuisset, duos misit sciscitatum, quid opus esset facto; tum ille; *Romanos ad unum interficiendos.* Anceps Herennius, patrē in castra plaustro advehi curavit, & causam tam diversi consilii explicare jussit. Tum ille; *Per summum beneficium pacem cum populo potentissimo firmandam censeo; id si displicet, per summum maleficium nervos illius amputare præstat, ut ne facilè*

facilè ad pristinas vires redire queat, mediâ viâ, nec amicos parabitis, nec hostes tolletis. Sed hoc patris consilio spreto, dum mediam amplexus viam Herennius, hostes mille contumeliis affectos, sub jugum mittit, hoc dedecus tandem patriæ suoque exitio luit.

Hanc namq; injuriam Romani biennio pòst tam graviter ulti sunt, ut septem millia Samnitum, unà cũ Duce Pontio juniore, vicissim pari notarent ignominiâ, & abhinc sexennio elapso, 30. millia Samnitum, iterumque triennio pòst 20. millia sint cæsa; ipse quoque Pontius tandem in triumpho ductus, securi est percussus, teste Liv. dec. 1. lib. 9. & dec. 2. lib. 1. Sic ergo nimis serò Samnites prudentissimi senis Pontii consiliũ cognovêre, *cæsis potentibus hostibus, fieri*, ut ingenti clade vis eorũ frangatur, eosdẽ verò libertate & vitâ donatos, fidem deinceps amicitiamq; colere sempiternã. Idem quoq; in senatu Rom. censuit Lucius Furius Camillus, de Latinis populis debellatis, & planè afflictis, apud Liv. dec. 1. lib. 8. Dii immortales, inquiens, ita vos potẽtes hujus consilii fecerunt, ut sit Latium, an non sit, in vestrâ manu posuerint; Itaq; pacẽ nobis, quod ad Latinos attinet, parere in perpetuũ, sed vel sæviendo, vel ignoscẽdo potestis. Vultis crudelius consulere in territos victosq;? licet cædere omne Latium. Vultis exemplo majorũ augere rem Romanam, victos in civitatem accipiẽdo? materia crescendi

per summam gloriam suppetit. *Certè id firmissimum Imperium est, quo obedientes gaudent.* Hæc cùm consul ita proposuisset, senatus secundùm ejus sententiam de singulis Latii populis decrevit, pro cujusque merito, ita tamen, ut nil medio fieret, omnia extrema summaque essent. Quibusdã enim non modò pepercerunt, sed eosdem etiam multis beneficiis affecerunt, civitate donarunt, & multa alia jura & privilegia concesserunt, ut nullam causam haberent vel rebellandi, vel alio quocunque modo res novas moliendi; quibus parcere noluerunt, iis & oppida diruerunt, & omnis generis pœnas suppliciaque imposuerunt. Nam dirutis mœnibus eos agro spoliarunt, depulerunt, atque dissiparunt, ut bellum ampliùs parare nullâ ratione possent. Huc etiam pertinet populi Romani judicium de Privernatibus, qui defecerant, per vim sub Imperium rursus redactis, apud eundem Liv. dec. 1. lib. 9.

De his nimirum castigandis cùm in senatu deliberaretur, & prout cujusque ingenium erat, aliis atrocius, aliis mitius suadentibus; tum ex legatis unus interrogatus à quodam, qui tristioris sententiæ author erat, quam pœnam meritos Privernates censeret: *Eam*, inquit, *quam merentur, qui se libertate dignos censent.* Ad quod responsum consul, ut mitius ab eo extorqueret aliud; Quid si pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus?

mus? *si bonam dederitis*, respondit, *& fidam, & perpetuam; si malã, haud diuturnam.* Tum verò, etsi quidam hæc aliter interpretarentur, melior senatus pars ad meliora consilia trahere & dicere: *Viri, & liberi viri, vocem audite.* An credi posset, ullum populũ aut hominem diutiùs, quàm necesse sit, in ea, cujus eum pœniteat, conditione mansurum? ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii pacati sint, neque eo loci, ubi servitutem esse velint, fidem sperandam esse. In hanc sententiam cùm & consul & principes sententiarũ consulares inclinarent, *eos demum, qui nihil præterquam de libertate cogitarent, dignos esse asserebant, qui Romani fierent.* Itaq; & in senatu causam obtinuere, & ex authoritate patrum latum ad populum est, ut Privernatibus civitas daretur. Vitruvius solus cum conjurationis sociis est necatus. Sic & Augustus Cæsar conjuratos in patrem ac seipsum è medio sustulit, exceptis paucissimis, quibus non solùm vitam donavit, sed beneficiorum quoq; cumulo in perpetuum eos sibi obligavit. Extremus fuerat Cinna, quem Augustus perduellionis reum exegerat, non levibus conjecturis, sed argumẽtis ad assentiendum necessariis; literis, inquam, ab ipsomet scriptis, quibus caput Augusti petebat, & tamen non solùm ei ipse pepercit, sed & cum hoste acerrimo sempiternum fedus feriit, maximis in illum collatis beneficiis, quem deinceps amicissimum fi-

delissimumq; semper habuit, teste Dione lib.5[...] & Sen. lib. 1. de clem. c. 9.

Sic & Franciscũ Gonzagam, Mantuanorum Principem, qui suas opes & copias cum Ludovico XII. Galliç Rege, ad Venetorum eversionem conjunxerat, senatus populusq; Venetus, capti[...] nõ libertate modò, sed & imperatoriâ potestat[e] ornavit, quib. beneficiis auctus, deinceps in sum[...]ma fide & amicitia pmansit. Cęterùm quomod[o] bella tam vi & armis, quàm absque violentiâ sin[...] conficiẽda, docuimus in lib. 3. strateg. nostræ c.[...]

Flos XX.

Hostium reconciliatio, lupina est amicitia. *Menand.*

ETsi quidem inter prudentes miniméq; ma[...]litiosos homines, qui priùs fuêre hostes in[...]fensissimi, interdum coalescere solet amicitia[,] quemadmodum Cinnæ & Gonzagæ in præce[...]denti flore testatur exemplum: tamen longè ali[...]ter res sese habet in malignis, lividis, fastuq; tu[...]mentibus hominibus, qui aliter suam authorita[...]tem imaginantur non posse consistere, nisi ex a[...]liorum despicientiâ & detrectatione. Et hac [...] veluti obsonio quodam, vel (ut de salamandr[a] dicitur) igne pasci videntur. Ipsaq; experient[ia] docet, inter hujuscemodi hostes exacerbatos re[...]conciliatæ amicitiæ fidem plerunq; lubricam [...]

infi[...]

infirmam esse, ac proinde nunquam his tutò fidendum, aut tanquam amicis utendum, adeò ut plerunq; semel læsum ad internecionem usque prosequantur & perdant. Sic nimirum Dion, qui Syracusanos à Dionysii tyrãnide liberavit, à conjuratis, quibus ipse libertatẽ dederat, trucidatus est, ut in ejus vita testatur Plut. Sic & Julius Cæsar ab illis ipsis, Bruto & Cassio, quos acerrimos antea inimicos non impunitate solùm, sed honoribus etiam & magistratu donaverat, scelleratè est interfectus, ut meritò illud Pacuvii usurpari possit: *Men' servasse, ut essent, qui me perderent?* nimirum *ut gratiæ & amoris in odium deflexus facilis, ita odii ad gratiam difficilis est transitus*, raroq; ferox & fastuosus animus, quem semel indignatio subit, sincerâ fide excoluit, aut cum quo vehementes primò inimicitias gessit, affectuosè postmodum in gratiam redit, ut Fazellus scribit de reb. Siculis lib. 3. c. 2.

Hujus rei documento est Marc' Antonius, qui erat accensus cupiditate, Cæsari in monarchia succedẽdi; ideo Octaviũ magnâ hęreditatis parte fraudabat: quẽ tamen, ubi vidit plebẽ non minùs quàm antè Juliũ Cæsarem, magnâ benevolentiã amplexũ, cum eo in gratiã quidẽ rediit, non quòd ex animo amicitiã ejus quæreret, sed ut periculũ jam sibi imminens averteret: sed quæ simulata tantùm fuit amicitia, quia, etsi cicatrices obductę erant, vulnera tamen intus latebant, ac neuter

alteri cedebat, & multi insuper Gnathones accedebant, qui modò ad hunc, modò ad illum rumusculos deferebant, quibus multò atrociores simultates excitabant, quæ tandem desierunt in bellum civile, quo ad Actium alter pro salute, alter in ruinam terrarum orbis dimicarunt; ubi Antonius victus, cùm ab irato victore non posset impetrare vitam, ipse sibi necem conscivit.

Talis quoque λυκοφιλία superioribus seculis fuit inter Albertum Austriacum, & Ottonem Ducem Bavariæ, qui contra Austriacum Cæsarem electum, suppetias laturus Adolpho, Albertum Comitem Holebergensem & Heiberlochium, Austriaci avunculum, transitum ipsi denegantem, ferro iter aperiens, interemit. Quem etsi Austriaco marito conjux suâ intercessione reconciliavit; hęc tamen amicitia nec stabilis, nec diuturna fuit. Etenim Otto non ita multò pòst ad regnum Ungariæ evocatus, cùm impetum faceret in Stiriam, armatâ manu in Ungariam descensurus, in tantum simultates istæ recruduerunt, ut Albertus armis eum prohibere conatus, veneno quoque ab Ottone fuerit petitus, quod ipsius vires admodum debilitavit, fœdâq; macie corpus deformavit.

Pari modo, etsi Ludovicus XI. Galliæ Rex, & Carolus Dux Burgundus, qui antea inimicitias inter se aluerant, post privatam collocutionem fuerunt reconciliati, quia tamen Carolus Ludo-

vicum

vicum invitum coëgerat ad societatem belli contra Leodienses, semper metuebat, ne Rex vel ad hostem transiret, vel priùs, quàm urbs caperetur, profugeret, aut in ea propinquitate contra se moliretur aliquid. In vicino igitur horreo, quod medium erat inter ipsum & Regem, collocavit circiter 30. equites, qui pariete effracto, ut minori periculo, cùm opus esset, erumperent, diligenter observabant, quid circa Regem ageretur. Ita semper metuebat Carolus, ne si Rex discederet, bellum aliquod excitaret. Atque hîc videre licet, quàm sit misera conditio summorũ Principum, & quàm inter eos nulla queat esse firma voluntas, aut amicitia. Fecerant hi duo pacem ante dies quindecim, eamq́; jurejurando sanciverant, & tamen, ut alter alteri fidem haberet, fieri non potuit, inquit Cominæus lib. 3. de utriusq; rebus gestis.

Sic & superioribus annis, Henricus Guisius in offensionem Henrici III. Galliæ Regis venerat, cui, etsi apud Carnutes, præsente Reginâ matre, multisque aliis Principibus esset reconciliatus, omniumque rerum pręcedentium ἀμνηστείαν Rex promulgari jussisset, Regi tamen, tanquam amico suo reconciliato, non confidebat, nec ad comitia Blasensia à Rege indicta, accedebat. Nec fefellit eum sua diffidentia. Nam persuasus tandem, ut veniret, ab octo sicariis ad hoc scelus perpetrandum à Rege constitutis, gladiis & pu-

gionibus est confossus. *Ita semper reconciliatio cicatricem sordidam, & latente malo infectam, retinet.* Unde rectè Cicero in oratione pro Milone, *amicitias reconciliatas valde suspectas esse ostendit*, quòd post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putetur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari soleat.

FLOS XXI.

Victoriâ non insolenter utendum.

IN omni bello cruda sunt post victoriam principia, magisque in civili, ubi odia, & acerrimæ factiones; quod Abneri quoq; monet adagium; *An ignoras,* (inquit ad Joabum) *quòd amaritudo sit in novissimo.* Ut enim in fundo vini subsidunt fæces amaræ, *sic alta sedent civilis vulnera dextra.* Meminisse igitur vult Joabum & Martis ἀλλοπροσάλλυ, & ne victoriâ modò partâ crudeliùs utatur. Quâ Abneri cohortatione Joab mitigatus, privatam injuriam fratris sui ab illo occisi publicę condonans saluti, receptui cecinit, 2. Regum 2. Non enim privatæ injuriæ bello sunt persequendæ, & præterea boni Imperatoris est, *parcere subjectis, & debellare superbos.*

Quoniam ergo superbi modò erant debellati, omnino nunc subjectorum vitæ fuit parcendum. Victoriam quidem parare, multis Ducibus est com-

commune; at non, animũ vincere, hosti parcere, atque ita victori temperare. Hæ enim sunt virtutes paucissimis cõmunes. Sic nimirum Titus Imperator, Judæorum quibusdã, qui in extremo excidii Hierosolymitani tempore ad se confugerant, veniam dedit, quamvis necessitate, non voluntate eos venisse sciret, *plus fidei, quàm iracundiæ tribuens*, ut Joseph. scribit lib. 7. c. 9. belli Jud.

Sic & Magnus Consalvus, teste Jovio in ejus vita, ex eâ pactione cũ Gallis deditâ Cajetâ initâ, & summæ prudentiæ & moderationis eximiæ consecutus est laudem, utpote qui vel in multa spe opulentioris victoriæ militum suorum sanguine abuti noluerit, ratus omnino parcendum esse deditis, qui virtutis & clementiæ suæ testes, Consalvi nomen in provinciis celebrarent; tantam verò, ut inviolati benignéq; habiti dimitterentur, curam diligentiamque adhibuit, ut, cùm Helvetio prætereunti Hispanus miles torquem rapaci manu detrahere conaretur, re cognitâ, Hispanum vel in mare fugientem persecutus, adacto equo, suâ manu gravissimè vulneravit.

Pari modo, cùm Galli à Ludovico Sfortiâ obsessi, defensionis spe amissâ, cùm incolumes cum rebus suis abeundi fide acceptâ, urbem dedidissent; etsi illorum militum cædes, magni ad victoriam momenti esset, & à multis, (si virorum magnorum authoritate & exemplis Imperii augendi gratiâ fidem violare liceret, multò magis

licere, conservandi, ajebant,) ad frangendam fidem impelleretur; fide tamen constanter servatâ, Vercellas usque comitatos incolumes dimisit, ut author est Guicciardinus lib. 4.

Sic quoque multi Regum, partim bello victi, partim dediti, sunt ab Alexandro Magno servati, ut non solùm sint in pristina fortuna retenti, sed in multò etiã ampliore collocati, ut difficile sit judicare, majúsne sit belli decus, an liberalitatis & clementiæ nomen vincendo adeptus. *Pulchrum est, Reges vincere; sed multò pulchrius, proprios affectus moderari.* Cùm Græci, qui apud hostes stipendium faciebant, venissent in potestatem Alexandri, Athenienses quidem jussit in compedibus servari, quòd, cùm ex publico stipendium haberent, tamen apud hostes meruissent. Similiter & Thessalos, quòd regionem optimam nacti, eam non colerent, Thebanos verò dimisit, dicens; *His per nos nihil est reliquum, neq; civitas, neq; area.* Ita moderatus est pœnam, ut mortem commeritis non indiceret, nisi vincula; & culpam eorum, qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit; teste Plut. in apoph.

Antigonus, Syriç Rex, cùm Demetrium, Antigoni, Macedoniæ Regis, filium profligasset atq; cepisset, eum Chæronensi custodiæ tradidit, ac regio sumptu venationibus, omnisq; generis voluptatibus, quibus ille assueverat, uti permisit, eod. teste Plut. in Demetrio.

Sic &

Sic & Justinianus Imperator Vitigen, Gothorum Regem, cùm à Belisario captivus Constantinopolim esset missus, non ut hostem captivũ, sed ut amicũ habuit, teste Paulo Diacono lib. 10.

Victis in Ungaria Gurziensibus, magnum (inquit Frider. III Imperator) actum est opus; nunc majus restat, ut scil. vincamus nosmetipsos, atq; avaritiæ & ulciscendę cupiditati frenos imponamus, teste Æneâ Sylvio lib. 2. com. in Panormitã.

Sic & Carolus V. Imperator, cùm Johannem-Fridericum, Ducem Saxon. Electorẽ, tanquam rebellem damnasset capitis, recepit illum in gratiam, ejusque simul conjugem Sibyllam Clivensem, Wittebergâ deditâ, pro conjuge suppliciter precatam, perhumaniter accepit, & Saxoni permisit, ut oppidum ingressus, per dies octo cum uxore & liberis commoraretur, & tandem quoq; post quinquennalem custodiam, omnem illi offensam remisit: vide Sleidanum lib. 19. & 24.

Alexander Magnus Darium insequens, ubi eum multis confossum vulneribus reperit, non obscurè indoluit huic misero casui, chlamydemque suam solvit, eâq; injectâ corpus involvit, regio tandem cultum more ad matrẽ misit.

Sic & Lacedæmoniorũ Rex Cleomenes, cùm Achæorum exercitum exsuperasset, magnumq; hostium numerũ interemisset, omnia ad sepulturam petita corpora libenter concessit, teste Plutarcho in utriusque vita.

Sic & Demetrius Polyorcetes, victo Ptolomęo, Ægypti Rege, ad Salaminem victoriã per se nobilem, multò nobiliorẽ reddidit, cæsorũ hostiũ corporibus sepulturę deditis, captivos quoq; sine pretio restituit, ut author est Sabel.lib.7. Enn.4.

Sic & Lucius Cornelius consul I. bello Punico, cùm Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissimè pugnans Hanno, Dux Carthaginẽsium, occiderat, corpus ejus è tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitavit, hostis exequias ipse celebrare, ut Val. Max. scribit lib.5.c.1. Quod à cæteris quoq; Romanis factum.

Pari modo Renatus, Lotharingiæ Dux, à Carolo audace, Burgundię Duce, pulsus, postea Helvetiorum federatorũ ope adjutus, cùm ipsum, à quo tam multa tulerat, prælio vicisset & intermisset, Caroli corpus in confertâ cæsorum multitudine inventum ad Nanzæum oppidum, in sancti Georgii fanum detulit, cum omni aulâ suâ eum honoris gratiâ atratis vestibus prosecutus, teste Fulgoso lib.5.c.1.

Rectè omnino & piè. Etenim cæsorũ hostium cadavera sepulturâ prohibere, aut in ea sęvire, res est impia atque execranda. Defuncti enim non bella gerunt, & ut est apud Virgil. Æneid. 11. *Nullum cum victis certamen, & æthere cassis*; quia hostes esse desierunt, qui homines esse desierunt, & Ovid. canit lib.3. trist. Eleg.4.

Pugna suum finem, cum jacet, hostis habet.

De victoriæ usu vide lib.3. strateg. nostræ c.4.

Flos XXII.

Pax honesta pecuniâ quoq; redimenda; at turpis & violenta prorsus rescindenda.

PAcis amabile nomen, res verò ipsa tum jucunda, tum salutaris, utpote quâ agri, quâ urbes, quâ res privatæ, quâ Resp. quâ deniq; regna constituuntur & conservantur; quæ si aliter obtineri non potest, nullo non ære ab hoste rectè & salutariter redimitur, modò ea sit honesta, ut nimirum bellum tolerabili aliquâ conditione finiatur.

Hinc non abs re à fortissimis prudentissimisq; Belli Ducibus tritum hoc usurpatur: *Hosti, ut fugiat, pontem vel ex argento esse sternendum.*

Etenim multò commodius atq; facilius auro arcentur hostes, quàm ferro & viribus in ipso belli discrimine sustinentur. Et ex rerum usu plerunque accidit, ut qui pecuniæ parcendo, etiam remota pericula negligere & contemnere soleant, incumbentibus demum malis, desperato sæpe remedio, graviora detrimenta sentire consueverint.

Omnino itaque rectè & prudenter factum à Joâ & Ezechiâ, Regibus Judaicis, qui ab Azaele, Syriæ, & Sennacheribo, Assyriorum regibus, pa-

cem etiam templi thesauris redemerunt, 4. Regum 12. & 18.

Sunt enim opes minus bonum, quàm vita & pax quæ ad hunc usum quoque à Deo dantur, & servatâ fide & pace reparari possunt, cùm vita non possit, pax difficulter possit, & sine his opes reparari prorsus non possint. Et quia thesauri sacri erant destinati à Deo cultus divini conservationi; hæc ipsa pacis redemptio eidem serviit, qui certè cessasset & abolitus fuisset, expugnatâ Hierosolymâ. Sed & templi hæc jactura fiebat sine civium jacturâ, quorum res & vita fuissent periclitatæ in bello. Quòd si privati suis se opibus rectè redimunt, quantò rectiùs publicis opibus se redimit Ecclesia & Respubl. siquidem pace redemptâ poterunt æraria rursus complere.

Sic & Romani bello Gallico Senonico, in Capitolio obsessi, & longâ inediâ confecti *(an. M. 3584.)* cùm infirma corpora armorum pondere obruerentur, nec aliunde auxilia adesse cernerent, vel redimi, vel dedi se quacunque pactione decreverunt. Quandoquidem & Galli interdum jactabant, fieri posse, ut tolerabili mercede obsidionem solverent, teste Sabellico lib. 1. Ennead. 4. ex Plut. Camillo.

Sic & Carolus Calvus, Francorum Rex, cùm Normanni regno ejus intolerabiles imminerent, quater mille auri talenta depactus est, ut incendiis

cendiis, prædis & cædibus abstinerent, ut author eſt Crantzius lib. 2. Norvegiæ c. 6.

Sub Carolo Magno iidem duodecim millia argenti pacti, abituros ſe pollicebantur, datis invicem obſidibus: trans Sealdim profecti, urbes, oppida, caſtella, monaſteria, Eccleſias magnâ calamitate afflixerunt. Itaque poſt paſcha, Franci, ut æra promiſſa ſolverent, Eccleſias & eccleſiaſtica mancipia ſpoliarunt, ut idem ibidem ſcribit cap. 11.

Cùm Henricus IV. Germanorũ Imperator Alexium Comnenum, Imperatorem Conſtantinopolitanum, ob Siciliæ regnum bello peteret, tributumque exigeret; Alexius, cùm ſubditi ac ſacerdotes ſacrum argentum denegarent, majorum ſepulchra omni precioſo ornatu ad centenarios argenti & auri ſeptuaginta ſpoliavit, pacem redempturus.

Pari modo à Toxi, Ungarorum Rege, Albertus, Berengarii III. Italię Regis filius, & precibus & decem argenteorum nummorum modiis (*an. C. 922.*) Italiæ excidium redemit, teſte Bonfinio lib. 10. dec. 1.

Nihil tamen hîc aut faciendum injuſtè, aut patiendum turpiter, ut pace frui valeamus, inquit Polyb. lib. 4.

Minimè igitur probatur pax nimio precio, & quidem ſub annorum aliquot tributo empta, utpote quæ non pax, ſed pactio eſt ſervitutis. Cu-

jusmodi fuit Joviani illa Imperatoris, qui ob cædem Juliani, & exercitus Romani, in Perside conclusi, angustiam & famem, & præsertim ob metum, ne quis alius sibi Imperiũ in Occidente eriperet, pacem à Rege Persarum (*an.C.367.*) redemit in 30. annos, resignato Syriæ principatu, & Nisibi & Singarâ cum magnâ Mesopotamiæ parte, ut autor est Socrates lib.3.c.22.& lib.4.c.2. & Paulus Diaconus libr. 11. Quod ante eum diem, ex quo Romanum Imperium conditum fuit, nunquam accidisse scribit, ut mutatis finibus, & parte Imperii traditâ, pacem redemerint.

Sic & Nicephorus Imperator ignavus, cùm Aaronem, Saracenorum Amyran, cum 30 millibus contra se ascendentem videret (*an.C.806.*) turpi nefarioq; fœdere sibi prospexit, pro incolumitate Imperii 30. millia nummûm aureorum, pro capitis sui salute 3. millia pactus. Multò verò minùs probamus pacem ignominiosam, turpem & violentam, cujusmodi fuit Spurii Posthumii cõsulis pax Caudina (*a.M.3652.* inita fuit ea pax) exercitus nempe Romani, intra saltus Caudinos clausi, sub jugum missio, itemq; Maximini consulis, qui suâ timiditate eò venit, ut, cùm Numantiam in Hispania obsideret, tanquam obsessus & victus, ignominiosam sibi & populo Romano pacem domum reportavit.

Non enim honestũ dixero, quod est crudele, nec pacem non pacem, h.e. vi extortam, & à necessi-

cessi-

ceſſitate impoſitam, quæ fida & diuturna eſſe non poteſt. Pacis ſiquidem ea natura eſt, ut ſit perpetua: hanc autē facit ipſa æquitas, quæ divo Ambroſio lib.1.de officiis c.34. juſtitia eſt, ſuum cuiq; tribuens pro ejus conditione atq; merito, & ad communem utilitatem omnia referens.

Quoniam ergo *pax ſine juſtitiâ eſſe non poteſt*, utpote quæ, ut Pindarus in Pythiis ait, *filia eſt juſtitiæ*, juſtitiæ autē pars eſt clementia, clementia verò, teſte Senecâ lib.2.de clem. hoſtes ſalvos dimittit, aliquando etiā laudatos, ſi honeſtis cauſis pro fide, pro federe, pro libertate in bellum accincti ſunt; eademq; hoc præſtat, ut, quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronunciet: utique iniqua illa & injuſta erit pax, ubi victis ſuperbè ac duriter imperitatur.

Quocirca, quoniam pax iſta Caudina pactionem aut labem & ignominiam habet ſervitutis, nequaquam tolerabilis fuit Romanis, populo libero fortique, quem quidvis potiùs facere, & vel in bello emori oportuit, quàm ſervire, aut in ſervitute vivere.

Viro namq; forti, teſte Thucydide lib.2. ignominia triſtior eſt morte, quæ cum gloriâ & ſpe publicæ ſalutis ſine longo cruciatu aditur.


Et, ut Cicero docet Philippicâ 3. mors ſervituti anteponenda eſt, quâ nihil eſt fœdius aut miſerius, cùm ad decus & libertatem nati ſimus, quàm aut tenere, aut cum libertate mori debemus.

Et in Philippica 2. Pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium, non modò bello, sed morte etiam repellendum.


Et quia populus Romanus nihil quicquam vel Samnitibus victoribus, vel etiam Numantinis promisit; sed cõsules tantùm, & tribuni militum: (nec enim consulis jus, nec sui erat arbitrii, pacem spondere,) ideo rescissâ turpissimâ pace, ejus authores captivos hostibus dediderunt; atq; ita pactis istis se liberavit.

Utique enim, quod bellicum est, Duces belli tractare decet, non aliud; aut ipsi suo malo soli obligantur.

Plura de pacis observantiâ require lib. 3. strategem. nostræ c. 2.



INDEX



INDEX RERUM MEMORABILIUM.

Affecti-

Am

Amari

Arte

Bella-

Bruns-

Con-

Debora

Ducum

Filius

Inter

Impera-

Joramus

Justina,

Legatus

Marga-

Metus

Nicolai

L. Cor-

Marga-

Metus

Legatus

L. Cor-

Marga-

Metus

Pompeji

Regis


Ri-

Sca-

Tigranis

Valens

FINIS.






Errata, ſic corrige.


Pag.11. lin.3.leg. ſuadent.14. l.26. Ovidio.21. l.2. M. Antoninus Imp.24. l.7.expung. particul.&.38.l.2. domum rediiſſent. 40.l.21. non poſſis.48.l.21. archetypo ex ſeſe ſumto 63. lin.antep. vincendũ.70. lin.antep.magnæ cum neceſſitatis.73.l.pen.ſociati Romanis.78. l.19 qui in itinere. l.21. oblato cauſam.85.l.12 Joram.91.l.13.projecerat.114.l.9.minimam.137.l.25. (a. Chriſt.31) 143.l.5. videri. 243.l. 23 murus 164.l.15.cum ſeq.conſtantia conventionum.166.l.17.ſpeciem habere.211.l 19. Childerici ſecundi.244.l.antep. Licinius Gallienus.273. l.8.à Thebanis & l.7.Leuctricam. 277.l.10. Hannonis. 356.l 3.anima eſt.414.l.4.Aſdrubale.430.l.1.Comite Veromanduo. 432. lin. 1.ſuppl.majora. 457. leg. antepenultim. iconomachus. 463.lin.23.repudiata 488. lin.3.Viroldus & paulò poſt,ibid. Jagellone.503 lin. 21. ejus.522. lin.25. Childerici.529. l.4. Paryſatis.565.l.19.Gerſonem. 581.l.2. expung.particul.cum 581 l1. rege Argivorum.584. l.ult. compacta.585.l.1. expung.& .587. l.17. in Deo. 623. l.5. Spurius Servilius.625.l.ult.Maximinus 635.l. pen. Vonæ.645.l.24. communicari. 654 l.24. Corvino. 659.l.4. Maximo.696. l.3. anguſtiſſimis. 708. l.8. contemnerent.

Tigranis

Valens

FINIS.





Errata, sic corrige.

Pag. 11. lin. 3. leg. suadent. 14. l. 26. Ovidio. 21. l. 2. M. Antoninus Imp. 24. l. 7. expung. particul. &. 38. l. 2. domum rediissent. 40. l. 21. non possis. 48. l. 21. archetypo ex sese sumto. 63. lin. antep. vincendũ. 70. lin. antep. magnæ cum necessitatis. 73. l. pen. sociati Romanis. 78. l. 19. qui in itinere. l. 21. oblato caussam. 85. l. 12. Joram. 91. l. 13. projecerat. 114. l. 9. minimam. 137. l. 25. (a. Christ. 31) 143. l. 15. videri. 243. l. 23. murus 164. l. 15. cum seq. constantia conventionum. 166. l. 17. speciem habere. 211. l 19. Childerici secundi. 244. l. antep. Licinius Gallienus. 273. l. 8. à Thebanis & l 7. Leuctricam. 277. l. 10. Hannonis. 356. l 3. anima est. 414. l. 4. Asdrubale. 430. l. 1. Comite Veromanduo. 432. lin. 1. suppl. majora. 457. leg. antepenultim. iconomachus. 463. lin. 23. repudiata. 488. lin 3. Viroldus & paulò post, ibid. Jagellone. 503 lin. 21. ejus. 522. lin. 25. Childerici. 529. l. 4. Parysatis. 565. l. 19. Gersonem. 581. l. 2. expung. particul. cum. 581. 11. rege Argivorum. 584. l. ult. compacta. 585. l. 1. expung. &. 587. l. 17. in Deo. 623. l. 5. Spurius Servilius. 625. l. ult. Maximinus 635. l. pen. Vonæ. 645. l. 24. communicari. 654. l. 24. Corvino. 659. l. 4. Maximo. 696. l. 3. angustissimis. 708. l. 8. contemnerent.

